


P
BIBLIOTECA NAZIONALE
6
26 H
15
VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google



P
Cronologia ex
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6 H 26 15
Digitized by Google


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE









CHRONOLOGIA
HOC EST
SVPPVTATIO TEMPORVM *ab initio mundi ex Eclipsibus & obseruationibus Astronomicis & sacræ scripturæ firmissimis testimonijs demonstrata.*

GERARDO MERCATORE, & MATTHAEO BEROALDO *authoribus.*

Accessit & ISIDORI HISPALENSIS EPI. CHRONOLOGIA ex quinto & sexto Originum libris sumpta.



Basileæ per Thomam Guarinum M. D. LXXVII.

G
T

tes,
ing
arg
ex
str
sen
pa
ret.
eor
illis
tati
libil

GERARDI MERCATORIS IN CHRONICUM SUUM PRÆFATIO.

AD chronologiam cum inquisitio Cosmographicæ perfectionis me adduxisset, nō excedendos tamen esse eius professionis limites, neq; longiùs rerum gestarum historiam ingrediendam existimaui, sed ea tantùm argumenta & testimonia proferenda esse, ex quibus vniuersi temporis variè facta distributio, & nihilominus vbiq; sibiipsi consentanea, totius temporis & omnium eius partium veram magnitudinem concluderet. Usus autem sum per singula tempora eorum scriptorum testimonijs, quorum in illis approbatior est fides, & quorum supputationes inter se consentaneæ & cum infallibili calculo astronomico concordes reperi-

untur, qualesfrequenter ſunt qui à Diodo ro Siculo, Ioſepho, Clemente Alexandr. Euſebio, ſimilibusq; fide digniſsimis autoribus citantur, quæ tametſi fragmenta ſubinde exigua tãtum ſint, plurimum tamen ad aliorum ſcriptorum iudicandas ſententias & delectum earum habendum faciunt, quo ipſa veritas ex opinionum multitudine innoteſcat & ſecernatur, Nonnunquam etiam ſententias addidi ipſum propo ſitum momentum non omnino attingentes ſed vero proximas, vt vel non maiora vel nõ minora poſitione noſtra debere poni interſtitia docerem, aut etiam autorum proxime verum dicentium fidem oſtenderem. Ex Beroſi & Manethonis ſcriptis quæ publicata ſunt à Ioanne Annio Viterbiẽſi ſi vere ipſorum ſcripta fuiſſent plura in hoc opus referri poterant, quæ multum lucis antiquiſsimis temporibus & hiſtorijs allatura erant, ed ſuppoſititia eſſe plane ex Ioſepho contra Appionem conſtat. Is enim lib. 1.

tradit

tradit Berosum à diluuio vsque ad Nabugodonosorem & Hierosolymæ euersionem historiam suam tribus libris prosequutum esse cum hic Berosus ad Ascatadem tantum perueniat, idque libris 5. Præterea eorũ quæ Iosephus ex Beroso longis contextibus citat, ne iota quidem in hoc Annij Beroso inuenitur, omitto nugas & crassa mẽdacia quæ genealogijs insunt, quorum tam laudatum apud omnes scriptorem autorem facere pudor esset, lõgum esset ea hic recensere & detegere, commodius breuiusque id in Genealogico fiet. Manethonis eadem apud Iosephũ disparitas est, & longè altiùs ille historiam eius inchoatam notat quàm Annianus habeat Manetho. quare cum hic suam historiam inde vbi Berosus desijt ordiri se dicat, & ab Ascatade initium faciat, quis nõ videat duplici mẽdacio & Manethonẽ hunc et Berosum illi adiunctum falsitatis argui? tum etiam longe diuersam regum Aegypti historiam ab Anniana editione citat Iose-

phus, vt nihil certius sit, quã à studioso quidem antiquitatis quopiã, sed sine sufficiente iudicio hinc inde hos libellos conflatos esse. Eadem fraus et in Metasthene facta apparet, cũ ad Sardanapalũ tantum Berosi historiã pertingere dicat. Hæc admonere volui, quòd magni apud multos videã hos autores Annianos fieri, & somnia illorum de amplis statim à diluuio per omnes terras regnis pro veris haberi, cũ meræ sint fabulæ, vt nihil ad nostram hãc exactam temporũ dispositionem cõferre potuerint, neq; etiam aliquid inde ad operis amplificationem assumere volui, quod ab alijs quoq; grauioribus scriptoribus traditum non esset, ne incerta pro certis obtrudere viderer. De vtilitate chronologiæ disserere nihil hic opus esse putaui. ipsa enim historiarũ lectio eius omnimodam necessitatem secũ adfert, & præsentissimum iuuamen ipsius statim prima historiæ chronologiæq; collatione patescit, cum Chronologia sit veluti prima historiæ

adum-

adumbratio & rudis quædã imago, in qua primariæ partes iuxta magnitudinem, situ͂, & proportionem disponu͂tur, quas deinde perpoliens historia totam imaginẽ perficit, vt sine Chronologia cõfusa membrorum congeries & monstrum plane fiat historia: quocirca nec prophetiæ, cu͂ sint historiæ siue actorum siue futuroru͂, non recte sine temporum præsignata distributione & cõmensuratione intelliguntur. Astronomica sine vera temporu͂ suppositione plane concidu͂t, quorum traditionibus si detrimentum aliquod per hanc nostram demonstrationem inferatur Lector, id æquo feras animo precor, non enim data opera id à me quæsitum est, sed quod ipsa reru͂ se offerens veritas conspicuu͂ fecit, ego obscurare non potui, plura & fortasse magis absurda in his (quatenus hucusq; descripta fueru͂t) inuenie͂tur, si quis exacte rimetur omnia, quibus emendãdis merito docti viri aduigilare debere͂t, vt pulcherrima ars suæ integritati restituatur.

MATTHAEI BEROALDI IN CHRONICVM SVVM PRÆFATIO.



Hronologiam, non vt alij ex prophanorum hominũ libris, ſed ex Sacræ ſcripturæ authoritate demonſtraturi, altius & longius doctrinæ huius rationem repetiuimus, ne quid poſſet in iſta tractatione requiri. nam qui hactenus è noſtris Chronica ſcripſerunt (cæteros enim miſſos facio, quibus veri fontes fuerũt ignoti) multa præterierunt: quum reliquos è ſuo metirentur ingenio. Quę rudioribus ignota, rem alioqui obſcuram reddiderũt difficiliorem. quo factum fuit, vt in hac generali temporũ deſcriptione, quam Chronologiæ, aut Chronici appellatione volumus intelligi, de tempore ſit ſemper diſputatũ, & de ea re perpetuò fuerit actum, quæ nõ explicata, diſputationes eò ſemper vnde fluxerant & cœperãt reuocarit. Neque verò adhuc inter Theologos, ac ne Mathematicos quidem quorũ eſt iſta profeſsio propria, cõſtat de anno, & eius ordinatione. Inde in hac tanta luce, & tanto doctorum Aſtrologorum prouentu, confuſis vtimur temporibus: nec anni habemus cer-

tum

tum modũ, neq; eius nouimus certum initium aut finem. Quum enim annos à nato Domino numeremus, & ab eius natiuitate annum inchoandum eſſe intelligamus, nihilominus annum à Calend. Ianuarijs ordimur, quibus certi ſumus non eſſe natum Dominum. Et paucis antè annis, grauius hac in re peccabatur, quum ijdem anni Domini, à feſto Paſchæ numerarentur, quo tempore, non natum, ſed mortuum Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, nemo eſt noſtrum qui ignoret. Etſi enim tum ſuperata morte, & Satana deuicto, quia venerat vt opera eius diſſolueret, reſurrexit, quòd Sanctus ille Dei nõ erat viſurus corruptionem: tamen dici nõ poteſt tum natus, etſi rediuiuus, triũphata pro nobis morte, ex ſepulchro prodijt. De tempore igitur & eius partibus, neceſſariò fuit nobis agendum, præſertim quum Chronologiam, quæ temporum notationem cõtinet, ſuſceperimus tractandam. Partes autem temporis quæ ſunt Annus, Menſis, Septimana, Dies, Hora, etſi vulgò notæ videntur, quia crebris vſurpantur noſtris ſermonibus: habent tamen obſcuritatis tantum, quantum ſatis ſit noſtris ingenijs diu multumq; exercendis. Huic de tempore diſputationi, adiũximus breuem de mundi ratione tractationem: vt qui verſantur in Philoſophorum libris, ſciant ſibi nequaquam, quod tamẽ ple-

riq; existimant, cóstare certam rerum rationem posse, sine verbi Dei diligéti inspectione. Quia verò prophanis autoribus, mundus partim creditur æternus, partim suo tépore putatur cœpisse, nec tamen ijs de eius cóstat origine, nec quicquã certi potest apud illos definiri, de rerum initijs quæ historijs sunt comprehésæ, dicendũ fuit vnde temporum quibus historia definitur, repetenda sint initia. Proindeq; in quam mundi ætaté incidãt Olympiades, quibus Græcorum signantur fasti, fuit exponendũ. quòd hac de re non satis accuratè sit à nostris actum. quemadmodum neq; de vrbis Romę natalibus, qui propterea vnde sint repetédi, & in quam mundi ætatem conferendi, declarandũ fuit. Quare his de rebus, pro arguméti suscepti necessitate, vt potuimus, cũ Deo egimus. quibus ea sunt adiuncta, quæ nec à nobis præteriri, nec ignorari debuerunt, quũ ad sacrarum rerum notitiam non parum conferant.

Hæc auté, subiunctam habent temporum ipsorum seriem, à prima mundi origine, ad nostra vsq; tempora deductam. In qua exponenda, Sacræ scripturæ autoritatem vbique sequuti sumus, quæ tanquam fundamento certo & indubitato, quemadmodum largitus est nobis Dominus, vsi sumus. Ac priora quidem tempora, quæ sunt à mundi ortu, ad mortem Christi Domini, pro nobis in cruce

obitam

obitam & exantlatam, ſic deduximus, vt ea nobis diſtinxiſſe & propoſuiſſe, Sacra videatur oracula. quæ rerum illuſtrium notatione & expoſitione, diuina quæ in nos extant infinitè beneficia, voluit nobis ſemper ante oculos propoſita. Itaque eius temporis veluti metas & curricula ſeptem propoſuimus, ex definitis in ipſo Dei verbo rebus maximè memorabilibus.

Primùm igitur annorũ mundi curriculum à mundi ortu inchoatũ, definimus diluuio.

A diluuio ſequitur alterum, quod terminatur memorabili illa promiſsione facta Abrahamo, de benedicendis in eius ſemine cunctis familijs terræ.

Tertium autem finitur liberatione populi Dei ex Aegypto, aut Legis promulgatione illa inſigni in monte Horeb, quòd eadẽ propè, & paria ſint illa tempora.

Quartum à promulgata Lege Dei voce, perducitur ad iacta per Salomonem Templi fundamenta.

Quintum à fundato Templo pertinet ad Babylonicam tranſmigrationem.

Sextum continetur eo tempore quo Dei populus, non patria profugus, ſed exul egit apud Babylonios, cui tranſmigrationis Babylonicæ tribuitur appellatio.

Septimum habet Danielis hebdomadas, excipientes Babylonicam tranſmigrationẽ,



per quas ad veri & perpetui Iubilæi deducti ſumus poſſeſsionem. qua, beneficio mortis Domini noſtri Ieſu Chriſti, liberati ſumus à peccato, & ira Dei ventura ſuper filios inobedientiæ. Hæc ſunt priorum temporum capita, quæ finiuntur morte ſeu paſsione Ieſu Chriſti domini noſtri, ad quam nos Lex & Prophetæ deducunt. Cui hiſtoriȩ adiecta eſt ex diuinis oraculis regni Perſici deſcriptio, longè alia quàm nobis eam proponant, autorum prophanorum monumenta. è quibus hactenus, magno errore, temporum Scripturæ repetita fuit interpretatio. Vnde turbȩ & cõfuſiones natæ ſunt, magna ex parte in hac Chronologiæ tractatione, dum ſibi perſuadent noſtri, Herodoti & Thucydidis ſcripta mendaciorum plena, neceſſaria eſſe ad temporum explicationem, quæ Scriptura ſacra proponit. quaſi luci ſint offundendæ, vt illuſtretur, tenebræ.

Iam primis mundi temporibus explicatis, ſequuntur ea quæ dicũtur Scripturæ, Nouiſsima tẽpora. quæ quidem inchoata Chriſti Domini in hunc mundum progreſsione, ſiue diuini Verbi incarnatione, ſupremo mũdi finientur die. In quibus explicandis illud eſt præcipuè animaduertendum, Chriſtum Dominum natũ eſſe æquinoctio autumnali: à quo annos Domini, quibus vtimur in temporibus annotandis, inchoandos eſſe docemur

mur ex Sacris oraculis, ne quis nos hic quicquam fingere exiſtimet. Alia ſunt adiuncta, quæ ad hiſtoriæ quum prophanæ, tum ſacrę cognitionem plurimùm cõferunt, quale eſt familiarum Noe explicatio, & deductio in ſuas colonias: quas aliter quàm Sacris doceatur oraculis, definierunt pluribus locis, Ioſephus, & qui ex illo hauſerunt ſcriptores Eccleſiaſtici. Cætera cognitione non indigna, & ad præſens argumentum pertinentia expreſſa habet ſubiectus Index, quo rerum quæ commentario iſto explicantur, capita continentur.

TERTIO LIBRO.

QVARTO LIBRO.

QVINTO LIBRO.

Continetur index Chronici perpetuus, ab orbe condito vsq; ad nostra tempora additis à mundo condito temporibus, item Patribus, Iudicibus & Regibus, à Scriptura commemoratis, & alijs rebus illustribus quæ faciunt quum ad sacram, tum prophanam historiam intelligendam, vno verbo notatis. Relictis vbiq; vacuis spatijs, in quibus quisq; pro studij sui ratione, quæ volet annotare poterit.

CHRONOLOGIA,

HOC EST

DEMONSTRATIO TEMporum absolutissima, ab initio mundi, in hæc vsque tempora.

AVTORE GERARDO MERCATORE.

EMPORA *mundi elapsa certo spacio definiri, annos Regum distingui, & inter se vndiq; conciliari, atq; ad absolutã omnia consonantiam reduci, nullis vnquam laboribus nullis vigilijs posse, tum aliorũ, tum nostris sæpe frustratis conatibus didicimus, nisi ea tandem forma excogitata esset, in qua ipse operis aspectus ex visibilium dimensionum collatione temporum varietatem concordiam discordiamq; intellectui, & rationis iudicio explicatam, et vndiq; per sese conspicuam redderet. Multi siquidem, imò infinita penè consideranda, & inter se summatim singulatimq; conferenda erant, quibus seclusa huiusmodi visibili commensuratione nullam neq; ingenij perspicuitatem, neq; memoriæ tenacitatem sufficere existimamus, præcipuè in tanta rerum inscribendarum varietate & multitudine, quarundam etiam necessariarum obscuritate, in tanta autorum dissonantia, in annorum de-*

nique diuersitate & inconstantia. Quibus difficultatibus adacti hoc primum faciendum cogitauimus, vt quot annorum principijs differentium species ad reuocandas in sua tempora insigniores quasq; historias necessariæ essent, totidem columnas æquidistantibus lineis effingeremus, & in harum deinde vna perpetuaq; annos ab initio mundi, veros & stabiles æqualibus interstitijs, ad reliquorũ differẽtias inde deducẽdas, circino emetiremur. Veros autem annos dicimus, qui sunt ab alterutro solstitio siue æquinoctio ad idem rursus, aut ab alio quouis ab his interstitio ad eundem locum Sole reuertente. Habent porrò anni mundi initium suum Sole Leonis signum occupante, vt ex 8. cap. Genes. colligimus hoc modo.

A — Mundi initium Sole in Leone posito.

Vigesimoquinto die mensis II. quum secundò columbam emisisset Noe, attulit illa folium virentis iam, siue frondescentis oliuæ: erat igitur tempus veris illud, quo solent arbores germinare, quo & cessare diluuium conueniebat, vt noua æstas, nouas fruges, ac fructus hominibus reliquisq; animantibus sustentãdis suppeditaret. Atqui Sole Geminorum signum perambulante, demũ eam oliuæ germinationem in diluuio factam esse, naturali ratione ostendimus. Plinius lib. 16. cap. 25. oleam pariter cum vite germinare ait, & concipere quidem Vergiliarum exortu, hoc est 6. diebus ante Idus Maij, Sole 25. (15. legendum) partem Tauri occupante, vt habet idem lib. 2. cap. 47. florere autem solstitio. Atq; hæc respectu sui climatis, Romani inquã, dicit Plinius, in quo & Gordieus, mons Armeniæ, situs est, cui arca Noe recedentibus aquis insedisse dicitur. Idem igitur tempus competebat oliuæ germinationi in monte Gordieo, si cæte-

ra fuissent accidētia paria, verùm frigiditas, quæ in montibus maior diuturniorq; existit, tardius paulò hic ver admittebat, atque æstatem, tùm autem maximè retardabat aquarum altius operimentum, quod omnia resuscitantem viuificantemq; Solis calorem ad arbores ac terram penetrare non sinebat, nec proinde excoqui solito more poterat arborum succus ad reuirescendum, neque radices incalescere ad trahendum alimentum, neq; terræ pinguedo subtilis, & fluida reddi, vt attrahi, et duci per plantarum corpora poßit, nisi longa admodum Solis incubatione aquarum profunditas calefieret, quod longè post solitum tempus effectum esse subita oleæ germinatio arguit, cuius 7. antè diebus quàm à columba adferretur virens folium, nullum erat vestigium, aquis adhuc omnia præter summa iuga montium occupantibus, neq; germinationem admittentibus. Habet enim natura ista inferior suas alterationum periodos, quas vel propria indole, & natiuo calore assequi adnititur, quanquam sine adiumento superioris virtutis perficere nequeat: quæ periodus quum longius vltra terminum suum aquarum suffocatione extracta esset, interna quadam succi maturatione inualescente ad primum statim viuifici ætheris sensum potenter in gemmas & surculos eruperunt plantæ, vt prima germinatio floribus penè iungeretur. Neq; verò poterat ista germinatio in solstitiū differri propter fructus & frumenta animalium vitæ necessaria, quæ nulla eo anno reposita fuerant. Medio igitur interstitio Tauri & Cancri, hoc est Geminis mensem 11. respondisse necesse est, itaq; & Siuan, cui Gemini competunt vndecimum, & Ab, cui Leo respondet primū in mensibus anni

adeoq; mundi initium fuisse. Non enim credibile est, vllam anni mutationem factam fuisse ante diluuium à sanctis Patribus, quibus religio fuisset, annum, siue à Deo sic institutum, siue ab Adamo rerum omnium scientissimo prudenter, & non sine iustis causis sic inchoatum & mensuratum variare, præcipuè quum paucorum intermediorum per manus traditione integra & testatissima ac veluti recentia adhuc rerũ primordia haberent. Censuerunt & Aegyptij sacerdotes, teste Solino cap. 35. mundi natalem esse, dum principium Leonis ingreditur Sol, quod vnde acceperint non addit Solinus, verisimile autẽ est eos ita à Mosi interpretibus aliquot Hebræis edoctos fuisse: nam & Mosi scripta habuerunt, & frequens ipsis cum Hebræis conuersatio fuit, aut sane (vt sunt antiquissimi) à Noe ac filijs eius ita domestica traditione per manus acceperunt, tametsi postea à paucis eorũ hæc sententia recepta probataq; fuerit, Satana mundi principe veritatem rerum obscurante, quo populos ad insanam idololatriam perduceret. Quod Plinius lib. 16. cap. 20. dicit oleæ folia non decidere, nullum hic scrupulum facere potest, quasi quouis mense virentem frondem adferre potuerit columba: neq; enim virere sub aqua eaq; profundissima possunt, quibus in aere vita est, neque etiam folia per 7. penè menses incorrupta seruare. Accedit aliud primi mensis argumentum ex Hebræorum cabala, iuxta quam Aleph litera primum & æternũ principium Deum signat, Beth litera principium creationis, vt etiam literarum mysterio A B principium creationis à principio æterno factum, hoc est primum tempus conditi à Deo mundi significet. Præterea & septimus

mensis

menſis Sabat numero ſuo conueniens myſterium præferre videtur. ſceptrum enim interpretantur Sabat, quo regnum illud æternum, quod poſt 6. ſiue dies, ſiue menſes, ſiue milia annorum, nõ tamen omnino complendorum, pios manet, denotari poteſt.

Initium igitur annorum mundi in Leone ponentes ſpacia eorum ſingula in 12. ſigna, à Leone ſumpto initio diuiſa intelligimus, atq; vbi inſcribendorum ratio poſtulat, etiam reipſa diuidimus magnitudinem eorum gradatim, pro rerum annotandarum multitudine augentes, nonnunquam etiam in quantitatem, quæ menſes ac dies recipiat expendentes, quo ſingula ſuis temporum articulis adſcribi poßint.

B Annorũ diuersi generis inscriptio.

Hoc deſcriptiones annorum primo fundamento iacto, Hebræorum, Olympiadum, Aegyptiorum, & Romanorum annos, ſuis quoſq; columnis inſcripſimus, obſeruatis eorundem principiis iuxta verorum annorum duodena ſigna, & Olympiacos quidem ſecundum ipſorum rationem à ſolſtitio æſtiuo inchoamus. Hebræos ab æquinoctio verno, quòd cum Niſan menſe inde ferè initium habeant, niſi quòd primus Niſan illud aliquando antecedat, aliquando ſequatur, prout Lunæ decurſu, & menſium numero nutauerit annus: quam vacillationem, cùm exigua ſit, ſequi nobis non erat neceſſarium. Si quis tamẽ hanc inæqualitatem ſcire deſiderat quolibet anno, reſpiciat principium cycli decemnoualis proximè præcedens, & ab eo quotus ſit propoſitus annus cognoſcat, & ſi 3. 6. 8. 11. 14. 17. aut 19. in ordine fuerit, erit emboliſmicus 13. menſium, reliquis in locis 12. tantum menſibus conſummabitur, quorum à Tiſri incipiendo 1. 3. 7.

9. & 11. habent 30. dies, cæteri 29. tantùm. Qui minutiora quærit Hebraicis annis incidentia, Calendarium Hebraicum Sebastiani Munsteri consulat. Aegyptios annos instabiles locis aliquot ex Astronomicis obseruationibus Ptolemei & aliorum aptauimus, inde antrorsum retrorsumq; iuxta Aegyptij anni magnitudinem spacia continuauimus. Romani anni quanquam proximè ad verorum quantitatem accedant, exiguo tamen quodam maiores sunt, & à veris sensim anticipantur: quamobrem hos primùm ad nostram ætatem iuxta signorum ad mensium dies habitudinem asscripsimus, inde in anteriora progreßi vsque ad Iulium Cæsarem, habita ratione transpositionis anni ob excedentem magnitudinem, paulatim anticipantes signauimus, vt iuxta Plinij autoritatem lib. 18. cap. 25. 27. & 28. circa Christi tempora in octauas signorum partes proximæ solstitijs æquinoctijsq; Calendæ incidant, cum nostra ætate 18. 19. & 20. ferè partes eædem occupent. A Cæsare ad Romulum non eandem anticipationis rationem sequi licuit: incidisset enim Solis in Arietem ingressus in Aprilem, qui Martio debebatur, teste Macrobio Saturn. lib. 1. cap. 12. siquidem à Martio mense, & signo Martio, quod est Aries, annum suum inchoare voluit Romulus, qui se Martis filium gloriabatur. quamobrem primi anni Romani primum mensem medio sui Arietis initium suscipientem (vt contigisse verisimile est) posuimus. Verùm quando Aegyptiorum Romanorumq; annorũ instabilitas à primis temporum partitionibus pendet, ijs demonstratis demum ipsorum inscriptiones absoluimus. Voluissemus & Chaldæorum Macedonumq; annis spacium vnum dare,

dare, nisi multitudo angustiam rebus gestis adscribendis allatura fuisset: habet enim & illorum annus differens à reliquis omnibus initium, idq; instabile. Anno siquidem 3547. circa Libræ principium inchoabatur, vt colligitur ex fœdere Lacedæmoniorum cũ Atheniensibus ibidem descripto, cum 6. mensis Arthemisius iuxta veris initium terminari signetur. Anno 3739. initium sumpsit cum Scorpij signo proximè: Xandicus enim 5. mensis initium commune cum signo Piscium quam proximè habere signatur in obseruatione ibi ex Ptolemeo adscripta. Anno verò 3785. paulo post medium Scorpij inchoatus deprehenditur, quinto nimirum die primi mensis Apellei cum 25. parte Scorpij in adscripta obseruatione iuncto. Quia porrò rarius huius anni mentio fit apud scriptores, eum reliquis adiungere existimauimus quoq; non necessarium.

Annorum scalis rectè dispositis ad temporum demonstrationes accedendum est, quæ quum in opere latissimè explicatissiméque contineantur, non hîc texemus integras & absolutas demonstrationes, sed formam tantum eas inde colligendi & ordine concinnandi præscribemus. Est autem harum vna capitalis, & columna siue basis cæterarum, ac proinde primo loco tractanda, quæ talis est. A condito mundo tempora certis dimensionibus continuauimus vsq; ad Nabugodonosorem, infallibilibus vbiq; sacræ scripturæ testimonijs additis. A Nabugodonosoris anno 5. ex Ptolemei demonstrationibus retrocessimus ad initium Nabonassari, qui in libris Regum et Paralipomenon est Salmanassar. Hinc ex eodem Ptolemeo deducuntur annus 2. Mardocempadi siue

Summaria demonstratio basis reliquarum.

Merodach, 20. & 31. annus Darij Hiſtaſpis, Mors Alexandri Magni, anni 13. 21. & 45. Ptolemei Philadelphi, anni 75. & 82. Seleucidarum, annus 12. Domitiani, annus 1. Traiani, anni 2. & 3. Antonini Pij, & alij aliquot loci. Ex 3. anno Antonini iterum mors Alexandri Magni, & ex 2. anno Merodach, 20. annus Darij, & 19. Adriani. Quorum omnium inter ſe ordinem, & in demonſtratione conſequentiam, ſiue in anteriora quis, ſiue in poſteriora recipere velit, adiectis è regione in margine duobus annorum mundi numeris indicauimus, vt in quemcunq; huius capitalis demonſtrationis locum quis incidat, continuò vnde dependeat idem ex priore numero, & quis ex eodem deducatur ex poſteriore videat, adeóq; per locorum conſequentiam, ſiue principium, ſiue finem vniuerſi temporis vſq; ad Antoninum Pium ſine mora apprehendat, & magnitudinem interſtitiáq; primaria totius dinoſcat. Litera numeris interiecta primam, ſecundam, tertiámve annorum in eadem pagina ſignatorum ſeriem indicat, in qua locus quem numeri reſpiciunt, poſitus eſt. Ab Antonino Traiano & Domitiano, deinceps in anteriora vſq; ad Iulium Cæſarem irrefragabili autoritate Suetonij, Dionis, & aliorũ grauiſsimorum Scriptorum cum Mathematicis apud Ptolemeũ obſeruationibus conſentientiũ nitimur, vt certo de interuallo ab anno Iulij emendato ad Antonini initium conſtet. Ab Antonino porrò in conſequentia doctiſsimi diligentiſsimiq; viri Onuphrij Panninij lucubrationes in Romanos Imperatores, in faſtos Conſulum & Pontificum perpetuo ferè ſequuti ſumus. Et quidem ab Indictionum inſtitutione, & Valentiniano Imp. anno Domi

ni

ni 364. imperante ad nostra vsq; tempora nullus error incidere potest, annis Imperatorum, Pontificũ & Indictionum accuratè per ea tempora obseruatis & annotatis, quibus accedunt literæ dominicales annorum, principijs debito ordine inscriptæ, quæ quoties hebdomadalis feriæ appellatio certo alicui diei in ordine dierũ mensis à scriptoribus annectitur, chronographum aberrare à vero non sinunt. A castigato autem per Cæsarem anno ad Valentiniani initium, præter alia in opere conspicua, solidißimum iustæ intercapedinis argumentum est bissextilis annus Valentiniani imperium inchoans, de quo vide annotata natiuitati Christi. Certißimus igitur annorum numerus est quem à cõdito mundo ad nos vsq; posuimus, nullo vel abundans vel deficiens, quemadmodum tum hanc primariam demonstrationem, tum vniuersi operis cõsensum perspicienti manifestum fiet. Sunt enim præter huius primariæ demonstrationis partes, cætera quoq; omnia sic ordinata, vt suam vnumquodq; scriptum ad fixa loca relationem adferat, vnde certis inter se terminis, et à primarijs quoq; locis distare comperiantur, adeoq; omnia certa & firma inter se lege cohæreãt.

Ab hac summaria demonstratione tanquam totius operis columna reliqua dependent, eaq; inde tanquam è trunco ramos deducemus. Et primùm quidem Olympiades à morte Alexandri certißimo nodo dependent, quæ ab omnibus scriptoribus 114. Olympiade Hegesia Athenis summum magistratum gerente (vt præter cæteros habet Diodorus in fine lib. 17.) contigisse notatur. Similiter à solstitij obseruatione in magistratu Abscudis ab Euctemone facta anno mundi 3536. Archontibus ni-

D Olympiadum demõstratio.

mirum Athenienſium ad Olympiacos annos indubitabilem collationem habentibus.

E Olympiadibus conſtitutis etiam de initio Vrbis, & rerum Romanarum temporibus conſtat: multis ſiquidem teſtimonijs vnanimi conſenſu hæ ad illas in opere referuntur & alligantur, quanquam & Conſulum Regumq; ordo & anni eodem dirigant. Ex his conſequenter captæ Troiæ locus innoteſcit, ſi conferantur teſtimonia ibi annotata. Romanorum temporibus limitatis annuos Conſulum, Tribunorum, & Decemuirorum magiſtratus ex Onuphrij Faſtis annorum Romanorum areolis inſcripſimus, paucis tantum immutatis, ſed adhibita iuſta demonſtratione. Quòd autem Conſulum loca ſuis temporibus verè reſpondeant octo ex locis etiam mathematica ratione demonſtrabimus. Primùm anno Vrbis conditæ 365. tribus Fabijs Coſſ. notatur plenilunium circa ſolſtitium æſtiuum, quum Vrbs à Gallis caperetur: videamus num hoc in hunc annũ ita eueniat. Poſita eſt anno à Nabonaſſaro 366. eclypſis Lunæ, cuius mediũ fuit 25. die menſis Phamenot currente, à qua in anteriora 6. proximè annis à nobis ſemota eſt pugna Alliana, & Vrbis captiuitas. Porrò 6. anni quam proximè continent 74. ſynodos Solis & Lunæ. quia ergo integris ſynodis totum interſtitium emenſuratur, vt quod à plenilunio ad plenilunium extenditur, per 74. multiplicemus tempus vnius ſynodi, videlicet dies 29. horas 12. 44′. 3″. 32‴. (hoc enim vni ſynodo iuxta Ptolemei rationes competit) habebimus Aegyptios annos 5. dies 360. horas 6. 20′. quod tempus à ſex annis Romanis plenis deficit diebus 6. horis 5.35. quibus Sol medio motu perficit gradus

dus 6.8.proximè. Hos ergo addamus ad medium Solis locum tempore eclipsis assumptæ, in media inquam illius oppositione, qui, vt ex tertio huius capite colligere licet, est grad.22.2´2. ♊ . fiet medius Solis locus in hoc quæsito plenilunio medio gradus 28.30. ♊ .qui à solstitio æstiuo gr.tantum 1.3´0. distat:duobus ergo paulò minus diebus ante solstitium media fuit oppositio luminarium, vera autem & plenilunium perfectum propter syderum anomalias paulùm fortè præcessit: verùm hoc exiguum est,nec curandum,quum vltra biduum separare plenilunium hoc à solstitio non possit. Rectè igitur in hunc sextum ante assumptam eclipsim annum trium Fabiorum consulatus à nobis repositus est.

Deinde anno Vrbis 561. sub Consulibus M.Acilio Glabrione,& P.Cornel.Scipione ex Liuio eclipsim Solis annotauimus ad 5.Idus Quintiles, videamus num hoc loco facta sit illa,& sumamus mediam oppositionē proximè præcedentis eclipsis Lunæ, quæ anno 548.à Nabonassaro scripta est, & ad eius mediæ oppositionis tempus,medium locū Solis,inæqualitatem & motū latitudinis medium Lunæ constituamus:quæ vt faciliùs assequamur, obseruemus 3.cap. huius in eadem eclipsi mediam oppositionem posteriorem vera horis 13.18. quantum ergo dictorum motuum his horis competit, tantum singulis in vera oppositione eiusdem eclipsis ibidem repertis addamus, & habebimus radices horum motuum, ex quibus quæsitam eclipsim deducamus.Scripsimus autem 3.cap. in assumpta Lunæ eclipsi Solis medium motum fuisse,maiorem vero gr.2.2´3.ferè:hos ergo addamus ad verum Solis locum à Ptolemeo notatum, habebimus

gr.17.35. ♍ .medium locum Solis in oppositione vera, huic addamus quantū ex Ptolemei tabulis competit horis 13.18. videlicet gr.0.33.fere, habebimus medium Solis locū in oppositione media gr.18,8. ♍. Similiter ad inæqualitatem Lunæ assumptæ eclipsi 3.cap. à nobis annotatā, videlicet 249.9. addamus inæqualitatē horarū 13.18.nempe gr.7.14.habebimus inæqualitatem Lunæ ad oppositionis mediæ momentū gr.256.23. Deniq; ad medium latitudinis motum, quem tempore assumptæ eclipsis ex 3.cap.huius colligimus fuisse gr.86.32. addamus motum latitudinis horarum 13.18. videlicet gr.7.20.fere, fiet motus latitudinis medius in oppositione media gr.93.52.fere. Stabunt igitur radices ad propositæ eclipsis inquisitionem inuentæ hoc modo.

548.anno à Nabonassaro, die 5. Messori, &c. oppositio media sequuta est veram horis 13.18.

Igitur in oppositione media { Inæqualitas Lunæ est gr. 256. 23. Medius Latitudinis Lunæ gr. 93.52. Solis medius locus. 18.8. Virginis.

Hoc fundamento posito consideremus à Lunæ eclipsi ad Solis transitum fieri, & proinde præter integras syzygias etiam dimidiam in hoc interuallo comprehendi debere. Supponamus igitur $93\frac{1}{2}$. syzygias, nam totidem credo interuallum à nobis inter vtramque eclipsin positum emetientur, per hunc numerum tempus vnius syzygiæ mox præscriptum multiplicemus, habebimus annos

Aegy-

Aegyptios 7. dies 206. horas 2.3′9.″30.‴22. Huic interuallo quæramus cõuenientes motus inæqualitatis & latitudinis Lunæ, ac medium Solis, eosq; addamus ad radices positas, ac videamus num prodeat situs syderum eclipticus. Inæqualitatis motus inuento interuallo ex Ptolemei tabulis competit gr. 73. 5′1. latitudinis gr. 167. 4′2. ferè, Solis medius gr. 201. 2′6. his ad radices additis fiunt ad terminum syzygiarum 93½. motus inæqualitatis gr. 330. 14. & proinde medius motus minor verò gr. 2. 1′8. motus medius latitudinis gr. 261. 34. à termino boreo & Solis medius locus gr. 219. 34. à principio ♍: hoc est 9. 3′4. ♈. qui locus quũ ab apogeo Solis distet gr. 304. 4. reperitur medius locus Solis minor vero gr. 1. 55. Præterijt ergo Luna tempore coniunctionis mediæ veram gr. 0. 2′3. qui horis. 0. 4′6. iuxta rationem motus distantiæ mediæ Solis & Lunæ conficiuntur, præcessit ergo vera coniunctio mediam horis. 0. 4′6. quo tempore latitudinis motus minuitur gr. 0. 2′5. vt fiat medius latitudinis motus in coniunctione vera 261. ′9. Verus autem 263. 2′7. proximè à termino boreo, hoc est gr. 6. 3′3. à nodo ascendente versus meridiem, quæ propinquitas multũ ecliptica est. Quia igitur syzygiarũ 93½ à nobis suppositarum tempus, interuallum quod inter Ptolemei eclipsim assumptam, & eam quæ quæritur designauimus æquare conspicitur, rectè ad eius interualli terminum Solis eclipsim, & Acilij Glabrionis consulatum posuimus, inciditq; hæc eclipsis in 8. Arietis gradum. Si verò quisquam locum eius à nobis signatum non exactè ad 5. Idus Quintiles quadrare obseruet, cogitet ille annum Romanum per ea tempora incertis legibus decurrisse

propter intercalationis anomaliam: neque verò nos propter exiguam deuiationem initia annorum Romanorum à sua æqualitate turbare debuimus, quamdiu in reliquis quoque temporibus de inæqualitatum ratione & modo non constaret. Ad huius inuentæ eclipsis tempus, si sex addantur syzygiæ, & pro earum tempore tres illi quos diximus motus augeantur, reliquáque, vt iam fecimus, absoluantur, inuenietur Sol rursus in gradu 3. Libræ eclipsim passus esse: quod vt cognitu sit facilius, eo modo forma & perspicuitate, tum huius tum iam ineuntis eclipsis inquisitionem oculis obijciemus, quo tertio capite omnes eclipses statuimus, vt res compendio scribi, legi, & intelligi possit.

548. anno à Nabonassaro eclipsis Lunæ die 5. Messori, &c. in qua media oppositio sequuta est horis veram 13.1'8.

Ergo

In media oppositione {
Inæqualitatis Lunæ motus gr. 256.2'5.
Latitudinis Lunæ medius gr. 93.5'2.
Solis medius gr. 18.'8. ♍.
}

Interuallum sit syzygiæ $93\frac{1}{2}$. cui respondet tẽpus anni Aegyptij 7. dies 206. horæ 2.39. *

*quibus respondent {
Inæqualitas Lunæ gr. 75.'51.
Lat. motus gr. 167.4'2. ferè.
Solis medius gr. 201.2'6.
}

556. an-

556. anno à Nabon. eclipsis Solis sub Acilio Glabrione, in cuius media coniunctione fuerunt.

Inæqual. Lunæ gr. 330. 14. et ideò medius motus maior vero gr. 2. 18.

Latit. medius motus gr. 261. 34. à termino boreo.

Solis locus medius gr. 9. 34. ♈. & medius minor vero gr. 1. 55.

Ergo

Prior Luna Sole gr. 0. 23. & præcessit vera coniunctio mediam horis. 0. 46. quæ latitudinis motũ minuunt gr. 0. 25. vt fiat medius gr. 261. 9. Verus autem gr. 263. 27. proximè à termino boreo, hoc est 6. 33. à nodo ascendente in meridiem.

Interuallum syzygiæ 6 et tempus illi respondens dies 177. horæ 4. 24.
Inæqualitatis motus grad. 154. 54. ferè.
Latit. motus medius gr. 184. 1.
Solis medius gra. 174. 38.

556. à Nabon. altera Solis eclipsis sub Acilio Glabrione, in cuius coniunctione media fuerunt.

Inæqualitatis motus gr. 125. 8. Medius maior verò gr. 4. 19.

Latit. medius 85. 35. à termino boreo.

Solis medius grad. 4. 12. ♎. Medius maior verò gr. 2. 8.

Ergo

Sol prior Luna gradibus 2. 11. sequetúrque coniunctio vera post horas 4. 19. Interea augetur motus latitudinis, vt fiat medius 87. 58. à termino boreo, Verus autem grad. 83. 39. hoc est,

gr.6.21. à nodo descendente versus boream, qui locus præcedente magis est eclipticus. Et facta est eclipsis in gr.3. ♎.

Tertiò extat eclipsis Lunæ apud Liuium, L. Aimilio & C. Licinio Coss. quam anno Vrbis 584. à Nabonassaro 579. notauimus. Hanc simili plane collectione demonstramus 5. anno completo, inchoato 6. post eam quæ anno 7. Philometoris, 574. à Nabon. scribitur, rectè à nobis locatam esse.

574. anno à Nabon. eclipsis Lunæ Phamenot 27. &c. in cuius vera oppositione, vt 3. cap. inuenies, sunt.

Inæqualitatis Lunæ motus gr.163.28. Medius maior verò gr.1.33.

Latitudinis motus medius gr. 99.5′1. à boreali termino.

Solis medius in gr.6.16. ♉. Medius minor verò gr.1.1′0. Ergo

Media oppositio verã præcessit gr.2.43. hoc est horis 5.22. pro quarũ ratione hi motus minuuntur, vt in oppositione media fiant.

Inæqualitatis Lunæ motus gr.160.45.

Latitudinis medius grad. 96.5′6.

Solis medius gr.6.2. ♉.

579. à Nabon. Lunæ eclipsis nocte quã pridie nonas Septembris insequuta est dies, &c. in

Sit interuallum syzygiæ 64. fiunt anni Aegyptij 5. dies 64. horæ 32. ferè.

Inæqualitatis motus gr.294.2′3.

Latitudinis medius gr.162.′44.

Solis medius gr. 62.4′6.

cuius

cuius oppositione media hi motus colliguntur.

Inæqualitatis Lunæ gr.95.8.& medius maior vero gr.5.′1.

Latitudinis medius 259.′40.à termino boreo.

Solis medius gr.8.4′8.♋.vbi medius maior vero gr.1.1′6.

Ergo

Luna distat ab oppositione gr.3.4′2. sequutáque vera oppositio mediam post horas 7.2′4. in quibus augetur motus, latitudinis gr.4.′5. vt medius sit gr. 263.4′5. verus autem 258.4′4. proximè à termino boreo, hoc est grad.11.1′6. à nodo ascendente versus meridiem, qui locus eclipticus est satis conueniens durationi eclipsis à Liuio positæ. Rectè ergo ad suppositi interualli terminum eclipsis hæc & L. Aimilius, C. Licinius Coss. à nobis repositi sunt. Facta est eclipsis hæc circa finem gr.9.♋.

Quarto maxima extat apud Maronem 1. Georgic. Solis eclipsis, quam post Cæsaris cædem contigisse ait, hãc etiam anno Vrbis 708.(quo Cæsaris mortem notauimus) accidisse sic demonstramus.

840. anno à Nabon. Vrbis 844. facta fuit media luminarium oppositio. 1. die Decembris, & horis 19.4′0. completis, vt tertio cap. ostendemus. Inueniuntur in ea hi motus,

Interuallum à cæde ad mediam coniunctionẽ positum est annorum Romanorum 136. dierũ 262. proximè, qui efficiũt Aegyptios 136.

Inæqualitatis gradus 7.34.

Latitud. medius grad. 35.20. à termino boreo.

Solis medius 8.2′1″8. ♓.

703. anno à Nabon. Vrbis 708. posita à nobis est Cæsaris mors, & eclipsis Solis subsequuta, in cuius media coniũctione hi motus subductione colliguntur.

dies 296.34. enim sunt in hoc interstitio dies intercalares.

Ponamus ergo syzygias 1688½. his respondent anni Aegyptij 136. dies 222. horæ 9.53.

Et Inæqualitatis motus gr. 211.33.

Latit. medius grad. 127. 16.50.

Solis medius gr. 186.9.

Inæqualitatis gr. 156.1. Medius maior vero grad. 2, 13.

Latit. medius gr. 268.4. à termino boreo.

Solis medius grad. 2.12. ♊. *Medius minor vero gr. 0.′7.*

Ergo

In media coniunctione Sol præcedebat Lunã gr. 2. 20. qui medio distantiæ motu conficiuntur horis 4. 3′7. Interim autem auctis motibus fit in coniunctione vera Solis medius gr. 2.23.21. qui minor est vero gr. 0.6. Et inæqualitatis motus gr. 158.31.45. ideoq; medius motus maior vero gr. 2.′8. Media ergo fit in vera coniunctione distantia gr. 2.14. quæ horis 4.25. perfecta fuit, quo fit vt vera coniunctio sequuta sit mediam horis 4.25. fuitq; tunc latitudinis medius gr. 270.30. & verus 268.22. Hæc paulò exactius cæte-

ris

ris supputamus, vt eclipsis magnitudo à Vergilio notata hoc loco deprehēdi cognoscatur, Luna gr.1.38′. tantum à nodo ascendente distante. Facta est eclipsis Sole in 3.gr. ♊ .versante, ideoq; sub finem Maij. Porrò quum syzygiarum assumptarum tempus 74. circiter diebus tantum minus sit interuallo in opere posito, certum est eclipsim hanc & Cæsaris cædem consulesq; adiunctos eo anno quo debebāt repositos esse.

Quinto eclipsim Solis posuimus duobus Sext. Pompeio & Apulcio Coss. quā Dion sub ijsdem 100. paulò amplius diebus ante mortem Augusti contigisse indicat lib.56. Eusebius item in Chronico eam anno mortis Augusti ponit. Hanc similiter deducimus ex eâ Lunæ eclipsi, quam ex Ptolemeo adscripsimus, anno à Nabon.607. sic.

607. anno à Nabon. eclipsis Lunæ, &c. in qua, ex annotatis cap.3. huius, colligimus tempore oppositionis mediæ radices has,

Inæqualitatem Lunæ gr.175.56′.

Latitudinis mediū gr. 277.44′. à termino boreo.

Solis medium grad.2.53′. ♒.

760. à Nabon. duobus Sext. Pōpeio & Apuleio Coss.

Sit interuallum syzygiæ $1895\frac{1}{2}$. quibus respondent anni Aegyptij 153. dies 130. horæ 5.53′.

Inæqualitatis motus gr. 155.37′.

Latitudinis motus medius gr.356.10′.

Solis medius gr.91.10′. ferè.

eclipsis Solis ex Dione, in cuius media coniunctione.

Inæqualitas Lunæ gr. 331. 3′3. proindeq; medius minor vero gr. 2. 1′0.

Latitudinis medius gr. 273.′54.

Solis medius gr. 43. 8. ♉ . *Medius minor vero gr. 1.′12.*

Ergo

Sol prior Luna gr. 0. 58. & sequitur vera coniunctio mediam hor. 1. 5′6. in quibus augetur motus latitudinis gr. 1. 4′. vt fiat medius latitudinis gr. 274. 5′8. verus autem 277.′8. à termino boreo, siue 7.′8. à nodo ascendente versus boreã, quod longè intra terminum eclipticum existit. Quum igitur syzygiarum suppositarum tempus in locum à nobis aßignatũ cadat, rectè hanc eclipsim Solis recteq; consules posuimus. Facta est eclipsis hæc in gr. 6. 15. ♉.

Sexto, 792. *anno à* Nabon. M. Vinicio II. & M. Statilio Coß. *eclipsim Solis annotauimus ex* Dione, *quam eadem via rectè eo loci repositã esse sic demonstramus.*

574. *anno à* Nabon. *eclipsis Lunæ mox ex* Ptolemeo *allegata, in cuius oppositione media hi motus inuenti fuerunt,*	*Sit interuallũ syzygiarum* 2699½. *erit tempus anni* Aegyptiaci 218. *dies* 147. *horæ* 20.′17. *ferè.*
Inæqualitatis Lunæ motus gr. 160. 45.	*Inæqualitatis motus gr.* 32. 17.
Latitudinis medius gr. 96. 5′6.	*Latitudinis medius gr.* 175. 25.
Solis med. gr. 6. 2. ♉.	*Solis medius gr.* 92. 43.

792.

792.anno à Nabon. eclipsis Solis scripta est ad Cal. Augusti, in cuius media coniũctione hi motus colligũtur,

Inæqualitatis Lunæ motus gr.193.′2. ideoq; medius motus minor vero gr.1.1′3.

Latitudinis medius 272.21. à termino boreo.

Solis medius 8.45. ♌. ideoq; medius maior vero gr.2.5.

Ergo

Luna transiit oppositum Solis gr.3.18. & præcesſit vera oppositio mediam horis 6.32. circiter, quo temporis spacio latitudinis motus minuitur gr.3.36. vt fiat medius latitudinis in oppositione vera grad. 268.45. verus autem 269.58. hoc est in ipso fere nodo ascendente. Facta est ergo eclipsis, eáque circa medium 7.gr. ♌. Porrò quum temporis distantia syzygiis comprehensa positioni nostræ respondeat rectè antedictos Coß. simul cum eclipsi eo anno positos esse necesse est.

Septimo, extat eclipsis apud Plinium libro 2. capite 70. facta Vipsanio & Fonteio Coß. hanc rectè à nobis anno à Nabonassaro 806. locatam esse pari modo sic demonstramus.

574. anno à Nabonaß. 7. Philometoris facta est eclipsis Lunæ, etc. in cuius oppositione media paulò antea hos inuenimus motus,

Inæqualitatis Lunæ gr. 160.47.

Sit interstitium syzygiæ 2869½. quibus respondent anni Aegyptij 232. dies 58. horæ 1.7. ferè.

Inæqualitatis motus gr. 101.7.

Latitudinis mediũ gr. 96.56. à termino boreo.	Latitud. medius 349. 22.
Solis mediũ 4.53. ♉.	Solis medius grad. 0. 48.
806. anno à Nabon. posita Solis eclipsis, in cuius coniunctione media hi motus colliguntur.	

Inæqualitatis Lunæ gr. 261. 5´4.´ ac proinde medius minor vero gr. 5. 0.

Latitudinis Lunæ medius grad. 86. 18. à termino boreo.

Solis medius 5. 41. ♉. ideóque medius minor vero grad. 1. 8.

Ergo

Luna superauit Solem gr. 3. 5´2. & præceßit vera coniunctio mediam horis 7. 38. interim motus latitudinis minuitur gr. 4. 12. vt fiat medius latitudinis in coniunctione vera gr. 82.´6. verus autem 87.´6. à termino boreo, quæ à nodo distantia maximam Solis eclipsim causauit in 7. circiter ♉. gradu: qui locus tempori à Plinio aßignato proximè congruit, & interuallum suppositum positioni nostræ consentit, vt dubitari nequeat rectè Vipsanium Fonteiúmque Coß. locatos esse.

Octauo maxima Solis eclipsis fuit sub Constantio et Constante Impp. Constantio X. & Iuliano III. Coß. teste Ammiano. quam quum dicat matutino tempore fuisse, & ad meridiem vsque durasse, certum est medium

dium eius vna hora, aut fortè duabus ante meridiem Romæ accidisse. Etsi autem diem non ponat, tempus tamen anni quàm proximè describit, inter adultam hyemem & ver eam constituens, in quod eam hoc anno quo nos posuimus quadrare calculus ostendit hoc modo.

882. *anno* à Nabonaß. *siue* Domini 135. *in secunda eclipsi* Ptolemei *præceßit media oppositio veram horis 5.26. vt tertio capite ostendetur, pro quarum ratione minutis motibus in oppositione vera repertis fiunt,*

Inæqualitatis Lunæ motus gr. 61.41.

Latitudinis medius gr. 7.4. à nodo descendente.

Solis medius gr. 26.31. 38. ♎.

360. Domini *dictam* Ammiani *eclipsim posuimus intra mensem Martium, vt ibi videre licet.* Colligun*tur autẽ iuxta syzygiarũ suppositarum tempus hi motus.*

Sit interuallum syzygiarum 2775½. *fient à media oppositione ad mediam coniunctionem anni* Aegyptij. 224. *dies* 202. *horæ* 4.5.26.46. *qui sunt* Romani 224. *dies* 145. *horæ* 4.5. *nam intercalares sunt hoc interstitio* 57. Re*spondent autem huic tempori intermedio motus hi,*

Inæqualitatis Lunæ gr. 194.20.51.

Latit. medius gr. 346. 19.20.

Solis medius gr. 144. 48.27.

Inæqualitatis Lunæ gr. 256.1.51. & *medius motus minor vero* gr. 4.57.

Latitudinis medius gr.253.23.à nodo deſcendẽte,
Solis medius gr.21.20.5. ♓. *& medius minor vero gr.2.16.*

Verus Solis locus in gr.19.4. ♓.

Ergo

In media coniunctione Luna prætergreſſa fuit Solem gr.2.41.& præceßit vera coniunctio mediam hor.5.21. circiter, in quibus latitudinis motus minuitur gr.2.57. vt fiat medius in coniunctione vera gr.250.26. Verus autem 355.23. anno à nodo deſcendente: nam Luna in maxima ſua inæqualitate conſtituta eam tantillo tempore non mutat ſenſibiliter. Maxima igitur eclipſis fuit, Luna gradibus tantum 4.33.à nodo diſtante, idq; in Septentrionem, vbi parallaxis latitudinem eius minuit. Porrò collecto ſyzygiarum tempore ad tempus mediæ oppoſitionis anni 135. Domini, quod tertio capite Octobris diem 19. completum, & horas 17.33. eſſe oſtendemus, proueniet 13. dies Martij finitus cum horis 21.38. quo tempore media coniunctio ſecundum Ptolemei rationes fuiſſe conuincitur, & vera coniunctio horis 16.17. completis, ſeriùs quàm debebat horis 4. aut 5. propter cauſas 3. cap. declarandas. Quum ergo & anni per ſyzygias collecti, interuallo à nobis admiſſo reſpondeant, & in adultam hyemem verisq; initium quadrẽt, rectè Conſules illos vna cum eclipſi Ammiani anno Chriſti 360. poſitos eſſe conſtat.

Etſi autem eclipſes hæ à nobis demonſtratæ, non in idem quod inuenimus, fortè tempus exactè incidãt, propter inæqualitatem quandam et anomaliam in motu Lunæ ſiue eius à Sole receſſu, hactenus à nemine animaduerſam,

uersam, vt 3. cap. indicabimus, tamen non ita longè Ptolemei calculus à vero aberrat, vt in anni aßignatione falli queamus: horarum enim aut etiam dierum aliquot differentia nihil intentioni nostræ derogat, quo minus annum eiusq; determinatam aliquam partem verè aßequamur. Porrò eclipsis illa Plinij ad Consulum aliquot Romanorum vno anno à locis hactenus receptis in consequentia transpositionem nos coegit, vt nunc in sextum Neronis annum, Vrbisq; 811. cadant Vipsanius & Fonteius, quos alij quinto Neronis aptauerunt: neq; hic solùm Plinij, sed alibi quoq; Dionis eclipsis, nempe anno 797. idem facere postulat, & quod anno 801. ex Solino adscripsimus testimonium similiter. Quæ tria argumenta quum sint validißima, & inter se consentientia, eodemq; spectantia, nullum dubium esse potest, quin hactenus in illorum Consulum locatione erratum sit, & vno anno in consequentia transferendi sint. Vnde verò ea translatio inchoanda, vbiq; finienda sit diu quæsiuimus, neque potuimus initium eius aliò reijcere, quàm in secundum annum Claudij, quod à Ti. Claudio II. & C. Licinio Largo Coß. deinceps perpetuus & constans hic ordo Consulū, quē sequuti sumus, in annalibus primùm Dionis, deinde Taciti, vsq; ad C. Suetonium Paullinū, et L. Pontium Telesinum anno Vrbis 818. inscriptos inueniatur: quem ordinem Suetonij de Claudij Neronisq; consulatibus testimonia interrumpere aut turbare non permittūt. Et quidem Dio pag. 862. b. videtur inter vltimum consulatum C. Caligulæ Aug. & Ti. Claudium, C. Largum Coß. vnum annū interponere, vt rectè hinc Consulū promotio inchoari videatur, astipulante etiam

fame vniuersali, quam 4. anno Claudij factam Eusebius & Orosius, inchoatã autem Claudio & C. Largo Consulibus Dio scribunt, quibus Claudij & Largi consulatus in 4. annum Claudij terminari subindicatur. Accedit quòd Orosius lib. 7. cap. 6. dicit Claudium 4. imperij sui anno expeditionem in Britanniam fecisse, quam ex Dione fecisse constat, quum Vitellium collegam haberet. Commemorat autem Iulius Frontinus in libro de Aquæductibus Sex. Nonium Celerem, & Iunium Quintilianum Coß. quos quum inter Iulianum Asprenatemque, & Pomponium Gallum Veranniumq; Coß. medios locet, non possunt illi sanè alio quàm in hunc locum conferri, modo ordinariè electi, non autem suffecti (vt verisimile est) habeantur. Pro fine porrò huius dislocationis non alius locus idoneus mihi videtur, quàm vbi Tacitus librum suum 16. finit, Suetonio Paullino & Pontio Telesino Coß. ibi enim quum hiatus esse manifestè deprehendatur, vnde disiungendi eos qui coniungendi erant ad annorum numerum implendum error facilè irrepere potuit, nec antecedens Consulum continuatio apud Tacitum contractionem admittat, & mox sequentium Imperatorum Galbæ, Othonis & Vespasiani determinata tempora determinatos quoq; Consules habeant, nec vlteriorem transpositionem admittant, necessarium videbatur Fonteium Capitonem & Iulium Rufum, seorsim ab alijs positos in vnum annũ cum Paullino & Telesino contrahere. Quod verò de Claudij morte & Neronis initio Asinio & Auiola Coß. scribitur, facilè explicari potest, & à controuersia redimi per ea quæ ex Dione anno Vrbis 707. de Consulum creatione annotauimus

mus. Aliam huius loci conciliationem nos ignoramus, si quis rectius potest, laudabimus.

Atheniensium regum tempora fundantur in Demophoonte & capta Troia anno mundi 2784. in Hippomenis anno 4. anno 1. Olymp. 14. sub finem anni, & in Aesimede, fine anni 1. Olymp. 8. quibus locis à nobis scripta, Atheniensium tempora cum Olympiadibus exactè conciliant. Annos regum ex Eusebio sumpsimus. F Atheniensiũ demonstratio.

Argiuorum reges pendent ex Corynthо condita anno mundi 2552. cuius loci causa coacti fuimus eos 30. annorum spacio in consequẽtia promouere, quot nimirum annis Eusebius 35. annum Danai priorem facit 28. Pandionis contrà historiæ indicium, quam annorum numeris minus fallacem iudicamus. Abundant autem apud Eusebium 30. illi anni in Abante, & sequentibus vsq; ad Eurysthæum, regem Mycenarum, vt ijs locis apparebit. G Argiuorũ.

Sicyoniorum reges pendent ab Argiuis anno mundi 2416. vbi Orthopolidis Sicyoniorum regis annus 47. Phorbantis 17. vnitur. In annis regum nihil Eusebio addidimus, aut detraximus, sed promouimus tantũ in consequentia ad annos 2. Argiuorum regum respectu, propter collationem iam dictã, respectu Atheniensium verò longius in consequentia transferuntur propter Argiuorum promotionẽ. Annos regũ ab Eusebio mutuauimus. H Sicyoniorum.

Corynthiorũ regũ initiũ colligitur ex Heraclidarum descensu in Pelopõnesum 2. anno Alethis regis I. Corynthiorũ anno mundi 2864. Habẽt ergo certũ initiũ respectu captæ Troiæ. In annis regum Eusebium sequimur. I Corynthiorum.

Lacedæmoniorum regum tempora in eo fundantur, quod Eurysthenes primus rex cum fratre Procle Spar- K Lacedæmoniorum.

tam obtinuit iuxta Eusebij annotationem anno 8. Alethis, deinde quòd Ephesus condita ab Androclo, Ionum rege, scribitur anno 10. Archestrati, regis Lacedæmoniorum, quod Clemens in Strom. pag. 31. d. annis 140. post Troiana tempora factum scribit. Vnde constat à capta Troia Lacedæmoniorum reges determinatum initium habere, quod posuimus. Idem confirmatur in condita Carthagine anno 13. Archestrati regis Lacedæm.

L
Macedonũ. Macedonum reges certam positionem assequuntur ex morte Alexandri, Olymp. 114. anno 1. ex initio Philippi anno 1. Olymp. 105. ex Archelai initio anno 1. Olymp. 88. ex 14. anno Tyrimantis iuncto cum primo Lacedæmoniorum Ephoro anno 1. Olymp. 5. Deniq; in vltimo rege Philippo anno Vrbis conditæ 554. Macedonum tempora cum Romanis conciliantur. Annorum numeri ex Eusebio sumpti sunt, nisi quod circa 103. Olympiadem quædam ex Gemisto Plethone restituimus.

M
Assyriorũ. Assyriorum tempora fundantur in Sardanapalo, victo sub Tespieo rege Atheniensium, anno mundi 3140. scripto, & in natiuitate Abrahæ anno 43. Nini, vt annotat Eusebius. Annos regum ab Eusebio sumpsimus.

N
Medorum. Medorum principium sumitur à Sardanapalo victo anno mundi 3144. In pugna Halyattis & Astyagis ad Olympiades & res Romanas alligãtur, & in fine capto Astyage anno Vrbis 201. Persis conferuntur. Quando porrò fidem habemus Ctesiæ Gnidio apud Diodorum cap. 9. lib. 3. reges Medorum ex Archiuis Persarum plures quàm Eusebius ponit enumeranti, & Herodoto qui lib. 1. pag. 21. & 22. per omnia ferè Ctesiæ consentit, nec tamen tot anni, quot hi enumerant, à morte Sardanapa-

li ad

li ad Astyagem à Cyro captum reperiantur, adhibitis Eusebij annis, & historia regum Medorum, quæ est apud Herodotum ad annos Diodori atq; Herodoti, studiosissimè qua potuimus industria hos tres autores conciliauimus, & regum tempora iuxta verosimillimam rationem digessimus.

O Lydorum.

Lydorum radix in Pittaco Mityleneo sumitur Olympiade 42. ex Eusebij autoritate, colligatio cum Medis Olymp. 48. in pugna Halyattis cum Astyage Medo.

Troianorum.

Dardanum siue Troianorum reges determinatū finem habent in capta Troia, inde retrorsum Manethoni & Archilocho Ioannis Annij credidimus, quòd initium Dardani eò reponerent quò Eusebius, & in plerorumq; regum annis cum Eusebio consentirent. Latinos ex his dependentes reges ex Dionysii Halicarnassei deductione subtexuimus.

P Aegyptiorum.

In Aegypti regibus longè ab Eusebio recedere nos coegerunt Manethonis apud Iosephum contra Appionem reliquiæ, quem scriptorem viderit'ne Eusebius certò non constat. In Amenophe tertio Politanorum dynastiæ rege videtur quiddam ex eo lecto sumpsisse: lib. aūt 9. Præp. euang. cap. 4. quædam Manethonis, Berosi & aliorum aliquot scriptorū ex Iosepho citat: vnde apparet eum nec Manethonis, nec Berosi scripta habuisse, & conijcimus priorem illam allegationem ex aliorū nō sua lectione posuisse, potissimùm quum in dispositione regum Manethonis historiam non sequatur, quem tamen autorem primam in Aegyptiaca historia fidem habere, vti & Berosum in Chaldaica, ex Iosepho constat, qui horum testimonijs tanquam publica fide probatissimis in

graui contra Appionem disputatione præcipuè & plurimùm vtitur. Nos igitur Manethoni fidem omnino deberi existimantes ex eius autoritate reges Aegypti suis locis restituimus, principio ab Amenophi Sethonis patre sumpto, quem ille filios Israhel Aegypto pepulisse asserit. Ab hoc in anteriora Manethonem apud Iosephum planè sequuti sumus, nisi quòd Cherrem, quē apud Iosephū omissum esse credimus, ex Eusebio inseruimus. Post exitū Israhelis ab Aegypto Herodotum & Diodorum sequuti sumus, præcipuè vbi inter se consentiūt, atq; vbi deficiebāt hi, Eusebium. Oportuit autem & coniecturis aliquando vti, verùm eas sic librauimus, vt proximè consonas veritati arbitremur, quemadmodum etiam reuera consonas esse, & rectè regum tempora distributa esse locis aliquot conuenientißimè incidentibus monstratur. Primùm ex Memphi dudum ante egressum Israhel condita, vt anno mundi 2334. ostendimus, constat non rectè Eusebium Cenchrem, priorem eadem, mari rubro mersum ponere, sed hoc potius Amenophi iuxta Manethonis sententiam competere, quem proximè præcedens Armesesinianum siue Ramesses anno mundi 2368. idem confirmat, cōdito Ramesse oppido. Nec omnino nullum est conuenientiæ argumentum quod de Pharetate annotauimus anno 2024. & de Themosē anno 2106. Et post exitum Aegypti certa patent argumenta rectè positorum regum in Chabrei siue Vaphris ad Salomonem literis anno 2907. In Osochor siue Sesac annis 2971. & 2976. in Nechaone anno 3327. in Vaphre anno 3359. & in Amasi postremo Aegypti rege anno 3443. Restitutum Aegyti regnū principium habet firmum à morte

te Alexandri, & finem in Actiaca pugna anno V.C. 721. intermediorum distributio determinatam habet stationem vnam in septimo anno Philometoris anno V. C. 579. Anteriora posterioráque anni regum exactè emetiuntur.


Syriæ regum initium pendet ex obseruatione astronomica anno Vrbis 517 scripta, & item ex altera anno Vrbis 525. In Antiocho Epiphane iusso decedere Aegypto anno Vrbis 585. Romanis Syriaca conferuntur. Q Syriæ.

Persarum reges certissimam temporum designationem assequuntur ex obseruatione Hipparchi anno 20. Darij Histaspis, & rursus 31. eiusdem, ex morte Xerxis anno 4. Olymp. 78. ex morte Artaxerxis anno 7. belli Peloponnesiaci, & ex Dario Arsami filio sub mortem Philippi Macedonis regnum inchoante, Olymp. 110. anno 4. Initium item monarchiæ Cyricum 70. anno captiuitatis Babylonicæ eleganter quadrat iuxta prophetiam Hierem. 29. & Zach. 1. vers. 7. & 12. R Persarum.

Babyloniorum regum tempora fixa sunt ex summaria & capitali demonstratione in Salmanassaris monarchiæ principio, in Merodach anno 2. in Nabugodonosoris Magni anno 5. Finis eorum status in monarchiæ Cyri anno 70. captiuitatis Babylonicæ. S Babyloniorum.

Iudicum tempora tametsi certa & firma sunt, quia tamen quæstionem aliquam explicatione egentem annexam habent, huc ea nobis reuocanda sunt, & ab omni dubitatione vindicanda. Hæc igitur præterquam quòd determinatis singulorum annis distribuuntur, certos etiam terminos & extensionem habent 350. annorum à diuisione terræ ad initium Samuelis. Etenim 480. T Iudicum Israhel.

anni



anni computantur ab egressu Aegypti ad inchoatum templum, 3.Reg.6.vers.1.à quibus si 46.ab exitu ad diuisionem terræ,et 84.à Samuele ad inchoatū templum, annos inquam Scripturæ testimonijs à nobis in opere comprobatos subduxerimus, residui tantum erunt 350. quot nostra digestio quoq; colligit, vnde in Actis cap.13 corruptè 450. annos legi deprehenditur: qui error tametsi scribarum hallucinatione factus credi poßit, quòd pronus sit lapsus τετρακοσίοις pro τριακοσίοις legere: quia tamen non casu ita vitiatum locū existimamus, sed quempiam ex libro Iudicum perperam intellecto, quum crederet ediuersò τριακοσίοις pro τετρακοσίοις malè scriptum esse, eum locum studio ita castigaße, non inutiliter eum scrupulum, qui castigatorem mouit ob oculos ponemus, ac pro nostro modulo refutabimus, quod etiam hodie lectorem fallere poßit. Cap.2.Iudic.vers.18.& 19.obiter aspicienti apparet: donec viueret Iudex aliquis à Deo datus, etiam liberos ab afflictione & seruitute vixisse Israhelitas, mortuo verò Iudice demum ad idololatriam rediјsse, & ab hostibus pressos esse aliquot annis sine Iudice, quousq; nouus Iudex & libertatis assertor daretur. Quam sententiam ita in genere propositam, videntur subsequentia aliquot exempla confirmare. Primum est quod 3.cap.vers.8.9.10.11. anni seruitutis 8.sub rege Mesopotamiæ videantur præcedere, & distingui à 40. annis Othonielis, quos quietis annos indicari apparet. Secundum quod eodem cap.vers.14.15.31. eadem ratio videatur esse annorum 18. seruitutis sub Eglon ad 80. quietis sub Aod. Tertium similis conditio 20.annorum sub Iabin ad 40.annos Deboræ, vt apparet conferenti

capitis

capitis 4.vers.1.3. & sequentes cum cap.5. vers.31.& & cap.8.vers.28. Quartum deniq; par omnino exemplum inter annos 7.seruitutis sub Madian,& 40.quietis sub Gedeone,cap.6.vers.1.& 8.v.28. His exemplis fortè persuasus quispiam rectè se locum castigare opinatus fuit;credens omnes afflictionum annos cum Iudicum annis in vnam summam colligendos esse, quæ exactè ad 450.pertingit, vt in subiecto abaco videre est. quod si obtinuisset, iam augendus fuisset numerus annorum ab egressu Aegypti ad templum inchoatum centenario,& scribendum 580. Verùm non animaduertit castigator ille 20.annos Sampsonis contineri in 40.annis Philistinorum.Iudic.15.vers.20.quare quum ad summam 450. peruenire nequeant collecti anni, temerè ex commutatione affinium dictionum errorem commissum esse imaginatus est. Neque verò annos 18 Philisthijm à sequentium pariterq; antecedentium Iudicum annis distinguere cogimur, quum enim à morte Gedeonis fornicati sint filij Israhel in Baalim,Iudic.8.vers.33.idq; peccatum ita paulatim increuerit,vt circa tempora Iephte etiam Astaroth & Syriæ ac Sydonis deos assumerent, verisimilius est tot annis quot Abimelech, Thola & Iair præfuerũt; non indulsisse Deum peccatis eorum, ac siluisse, sed suo more hostium immißione acriter castigasse, vt resipiscerent,nec mortem Iair expectasse,vt affligeret, sed eo viuo 18.annis Philistheis subiecisse, quos etiã mox à morte Iair ad Iephthe finitos esse pœnitentia eorum morti Iair subiuncta cap.10.vers.10.ac deinceps: deinde ducis fortis inueniendi continuum studium eodem.vers.18. & sequens Iephte victoria satis ostendunt. Rursus 20.

annos Iabin sub 40. Deboræ contineri inde liquet, quòd Iudicum 4. vers. 12. post mortem Aod Israelitæ traduntur in manus Iabin 20. annis, & mox à versu 4. eodem tempore Debora iudicasse Israhel dicitur: quare quòd Iudicum 5. vers. 31. dicitur terra 40. annis quieuisse, intelligendum est non de toto eo tempore, sed per synecdochen de parte, vt sit sensus: Deboram in 40. annis, quibus iudicauit Israel, ipsum à seruitute vindicasse. Itaque in reliquis quoq; restitutæ quietis annis eadem interpretatione vti conuenit, & seruitutum annos sub Iudicum annis comprehendere, vt consentanei sint anni Iudicum summæ 480. annorum, 3. Reg. 6. positæ, nec temerè contrarietatis mendum admittatur.

Seruit Israhel	8. annis sub rege Mesopot.	Iud. 3, 8.
Quiescit terra	40. annis sub Othoniele,	Iud. 3, 9, 10.
Seruiuit	18. annis, Eglon regi Moab,	Iud. 3, 14.
	Postea clamarunt ad Dominum, cap. 3, 15.	
Quiescit terra	80. annis sub Aod,	Iud. 3, 30.
	Post mortem Aod peccauit iterum, cap. 4, 1.	
Premuntur	20. annis à Iabin rege,	Iud. 4, 1, 3.
	Et clamauerunt post oppreßionem 20. annorum, cap. 4, 3.	
Quiescit terra	40. annis sub Debora,	Iud. 5, 31.
Seruiuit	7. annis Madian regi,	Iud. 6, 1.
Quiescit terra	40. annis sub Gedeon,	Iud. 8, 28.
	3. annis iudicat Abimelech,	Iud. 9, 22.
	23. annis Thola,	Iud. 10, 2.

	22. annis Iair,	Iud. 10,3.
Seruiuit	18. annis Philisthijm,	Iud. 10,6,7,8.
	6. annis Iephte iudicat,	Iud. 12,7.
	7. annis Abesan,	Iud. 12,9.
	10. annis Elon,	Iud. 12,11.
	8. annis Abdon,	Iud. 12,14.
Seruiuit	40. annis Philisthijm,	Iud. 13,1.
	20. annis Sampson.	Iud. 15,20.
	40. annis Heli,	1. Reg. 4,18.
Summa	450. anni.	

V Reges Iuda & Israhel.

Reges Iuda & Israhel, cum summariæ demonstrationis pars existant, & in conciliatione difficultatem aliquam adferant, non erant hic prætermittendi, sed reddendæ causæ, quibus dispositio à nobis exhibita comprobetur, ne & parum firmum demonstrationum robur posuisse videamur, & cum plerisq; alijs parum fœliciter in hac parte chronologiæ laborasse. Habent reges Iuda & Israhel certum initium à morte Salomonis, certum finem in captiuitate Samariæ & Ierusalem, determinatissimam conciliationem in principio Iehu, regis Israhel, anno 3064. vbi vtroque rege cæso idem initium habent Iehu & Atalia, & definitam annorum summam in prophetia Ezechielis, vt anno 2964. asscripsimus. Quod ad reliqua attinet, nos eorum regum annos ita conciliauimus, vt ad summum duo tantum nodi relinquantur, vnus in 41. annis regni Ieroboam, anno ab ædificatione templi 189. alter in 27. Ieroboã, Azariæ initio, anno ab ædificatione templi 204. imò hic posterior vnicus, ac nullus tandem, si vel in vtroque, vel hic saltem

librariorum mendum agnoscatur, vt eo loco annotauimus. Nec existimo aliter disponi posse hos reges, & eorum tempora distribui, quàm nos fecimus, nisi pluribus erroribus, & maioribus difficultatibus, qui se inuoluere velit: tentauimus enim plurimis modis, quorum omnium hic extricatissimus erat, & minimè contradictionibus obnoxius. Oportet autem in annorum aßignatione eam moderationem adhibere, vt quandoque anni maiorem partem pro anno computemus, minorem è diuerso negligamus. Sic Asa rex Iuda ab anno mundi 2991. regnauit annos 41. at quod superest minus dimidio anno non connumeratur. Similiter Iehu ab anno 3063. regnauit 28. annos, et quod superest negligitur. E diuerso Achaz rex Israhel ab anno mundi 3206. regnauit 16. annis, nō completis, sed pars vltimi pro toto computatur. Potest autem & in huiusmodi casu pater cum filio aliquot menses regnasse dici, vt completi fiant anni. Rursum quum numeri ordinis proponuntur, in quibus ferè collatio est regnorum, intelligatur vel intra vertentes, vel post finitos, etiam aliquandiu, vel iam incipientibus, siue mox incepturis, aliorum initia constitui. Sic anno mundi 3187. Phaccia rex Israhel regnum inchoat, anno 50. Azariæ incipiente, vel sub eius initium, vt 50. Azariæ sit primus Phacciæ. Et anno 3222. Ezechias rex Iuda dicitur inchoare regnum post finitum tertium Oseæ regis Israhel. Et anno 3055. Ioram rex Iuda cœpit regnare anno 5. Ioram Israhel, currente scilicet. Hanc moderationem etiam ethnici scriptores subinde requirunt, quæ adhibita vno anno differentibus veritatem vtrinque sæpißimè tuebitur, eadem regibus Iuda & Israhel

hel permissa, conueniens eorum conciliatio facta reperietur. Et sanè requiri eam à Sacris literis, satis euidens est ex anno 2891. adscriptis. Olympiadem obseruandum est apud scriptores non semper pro eo sumi, in quo ludi Olympici celebrati sunt, sed nonnunquam pro toto quadriennio, quod ab vna celebritate in proximè sequentem extenditur: talem enim Olympiadem diuidentes primum, secundum, tertium, quartúmve eius annum appellamus.

Pontifices Iudæorum, quos inscribere contigit, fundamentum accipiunt ex Iasone, anno mundi 3794. à quo sursum ad mortem Alexandri Magni, & Iadduæ Pontificis Philonem Annij sequuti sumus, & rursum à Iesu & solutione captiuitatis Babylonicæ, vsque ad Iadduæ mortem. Mediocriter autem videntur primorum Pontificum anni vsque ad Ioadam, Olympiade 87. signatum historiæ conuenire, porrò à Ioada ad Iadduam plures anni inueniuntur, quàm in Philone Annij sunt, quamobrem in Ioiada Ioathan, & Iaddua coniecturis vtendum fuit. X Pontif. Iudæorum.

Pontifices Romanos primos 4. à Petro disposuimus ex traditione Irenæi, quem (quum vicinissimus fuerit Apostolorum temporibus, nempe sub 12. Pontifice Eleuthero) credimus veriorem à Patribus traditionem acceptam sequutum esse, cui & Eusebius, Hieronymus, & Nicephorus Constantinopolitanus subscribunt. Si Clementis Romani epistolæ, quæ hodie extant, illorum temporibus extitissent, & pro Clementinis habitæ fuissent, secundum haud dubiè à Petro Clementem constituissent. Certè Eusebius Eccles. hist. lib. 3. cap. 15. 16. 37. & 38. Y Pontif. Roman.

vnam tantum ad Corynthios epiſtolam Clementis agnoſcit: de altera quadam dubitat, nec plurium meminit. Vnde epiſtolas haſce adulterinas credimus, quòd cũ primorum patrum traditione non conueniant, neque etiam quinta apoſtolicũ pectus redolet, vt quæ communionem vxorũ approbet. Adhæc veritati hiſtoriæ diſſonantiſsimum eſt, poſt Petri mortem ad Iacobum fratrem Domini ſcribi: martyriũ ſiquidem hic ſubijt ſex circiter annis ante Petrum. Quare ſuppoſititias has iudicamus, & ab impoſtore aliquo hinc inde, maximè autem ex libris recognitionum conſarcinatas: habent enim paſsim longas paginas ad verbũ inde infartas, quod tam fœcundus omnirerum cognitione Clemens facturus non erat. Poſt Petrum igitur cum his Patribus Linum ponimus, deinde Anacletum, tertio loco Clementem, quarto Euariſtum, hinc deinceps eruditiſsimi viri Onuphrij Panninij lucubrationes ſequimur.

Z Sabbata terræ. *Sabbata terræ quæ Hebræi à menſe Tiſri inchoant, vt habet Munſterus in Calendario Hebraico, quorum de numero ſunt Iubilei, anno mundi 2507. ſex videlicet annis poſt partitionem terræ principium habent. Cæterùm ea per captiuitatem Babylonicam interrupta fuere, ſed hac ſoluta ſeptimo poſt iterum cultam terram anno reſumpta. Exhibet autem hic ſabbatiſmus magnum iuſtè diſpoſitionis argumentum in capta ab Herode Hieroſolyma anno Vrbis 715. quòd duo hæc ibi coincidant ſecundum Ioſephi teſtimonium libro Antiq. 14. capite 26.*

Aa Archonton Athenien. *Archontes Athenienſium præcipuè ex Dionyſio Halicarnaſſeo, Diodoro & Pauſania inſcripſimus, tum qui*

qui passim apud alios scriptores reperiuntur, nominum item multorum restitutionem, & quarundam incidentium difficultatum resolutionem antiquitatis solertissimus indagator, & vir doctissimus Franciscus Fabricius, *scholæ* Dusseldorpianæ Rector, *nobis ad huius partis illustrationẽ communicauit. Obseruandum autem* Dionysium Halicarnasseum *annos* Olympiadum *non à solstitio ordiri, sed cum annuo* Romanorum *magistratu inchoare pariterq; finire, & primum* Olympiadis *annum vocare eum* Romanum, *in quo* Olympias *acta est, ita vt pars eiusdem* Olympica *festa antecedat, pars item sequatur.* Romanam *enim historiam scribentem,* Romanos *etiam annos sequi conueniebat. Sic porrò apud hunc annos accipere cogit,* Olympiadis *75. cum* Cæsone Fabio *& initio veris coniunctio anno* Vrbis *273. signata.* Diodorus *autem quum* Græcorum *res gestas potius quàm* Romanorum *prosequatur, eorum etiam annos multum à* Romanis *variâtes supputat: siquidem à solstitio nouus apud* Athenienses *magistratus inibatur, vt ex belli* Peloponnesiaci *initio anno 2.* Olymp. *87. notato manifestum fit, vnde à solstitio incipientes* Atticos *siue* Olympicos *annos historiæ suæ plurimũ conuenientes vsurpauit. In* Philippi Macedonis *tamen historia* Macedonicos *annos intelligere apud eundem conuenit, vtq;* Olympiaci *anni eo modo sumantur, quo in* Romana *historia sumẽdos diximus: iuxta quem modum ex ijs quæ principio huius capitis de* Macedonum Chaldæorumq; *anno scripta sunt, primus quisque* Olympiadis *annis duobus aut tribus ad summũ mensibus post* Olympicũ *certamẽ terminabitur.*

Hebdomades Danielis *70. omnino terminãtur in mor*

Hebdomadum Danielis.

te Christi, quocunque nonnulli finem illarum reijciant: perspicuè enim ait Daniel 9.cap. Christum post 69. hebdomadas occidendum esse: confirmaturum autem (doctrina & miraculis) testamentum (suum nouum) hebdomada vna (nimirum 70.) & in eius dimidio cessaturum sacrificium (legis per mortem Christi.) Quum ergo de fine constet, de principio earum dubitari non poterit, modò rectè à nobis distributa sunt tempora. Incidit autem principium harum hebdomadum iuxta nostrã demonstrationem in annum Vrbis conditæ 299. siue 81. Olymp. annum 3. quo & 20. annis Artaxerxis coincidit, in quo nõ templi, quod sub Dario extructum est, sed vrbis murorum & portarum instaurandarum mandatum à rege datum est, de quo mandato expreßè loquitur Angelus Danieli, addens ab eo prolato computandas 70. hebdomades vsque ad mortem Meßiæ. Iam huc concurrere annum 20. Artaxerxis perspicuum fiet, si duo regni ipsius initia obseruauerimus, vnum quo patre mortuo succeßit, alterum quo patri secundam in Græcos expeditionem paranti iuxta Persicam legem substitutus est. Ab hoc enim substitutionis principio rationi consentaneum est Iudæos, qui sub Persarũ dominio viuebant, Artaxerxis domestici regis, à quo beneficia in gentem suam & patriam expectabãt, annos in actorum suorum annalibus obseruasse, potiùs quã absentis dubio bello patris. Hoc aũt principium 20. quàm proximè annis ab hebdomadarum principio à nobis signato in anteriora distare sic probamus. Themistocles Atheniensis anno 2. Olymp. 77. ad Artaxerxem nuper regnare incipientem fugit, vt ibi adscripsimus: fugit autem circa anni prin-

ni principium: multa enim & longa itinera peregit, atque apud Xerxem agens linguam Persicam didicit, munera accepit, et possessiones à rege datas iniit, antequam anno sequente ad bellum Græcanicum egrederetur ille. vt habet Diod. anno 2. Olympiad. 77. paulò igitur ante 282. V.C. annum Artaxerxes regni paterni gubernaculis admotus est. Quum porrò ex Pausaniæ proditione 276. anno Vrbis annotata & descripta constet Xerxem de secunda expeditione Græcanica 6. vt minimum annis ante Themistoclis fugam, hoc est, continuo post memorabilem cladem priore expeditione à Græcis acceptam, cogitasse, & apparatum in eam facere cœpisse, deinde ex iis quæ de publicato Xerxis dolo ex Iustino ibidem adscripsimus, apertè pateat Xerxem occultæ proditionis spe delusum apertè iam & maiore impetu atq; acceleratione omnia ad inchoandum bellum comparasse, ac proinde maturiùs se ad expeditionem accinxisse, nō dubium est quin maturiùs quoq; filium Artaxerxem, post primam expeditionem, aut sub finem eiusdem haud dubiè natum (vt anno Vrbis 289. probatum est) sibi in regem substituerit. Quapropter conuenientissima ratione dictum illud Diodori: Nuper incipientis regnare Artaxerxis: de tribus paulò minus annis interpretamur, vt triennium tantum ab hoc rege constituto sursum ad Pausaniæ proditionem deprehensam intersit, propter Xerxis maturationem, & indidem ad Cimonis Atheniensis naualem iuxta Salaminam contra Persas victoriam paulò minus quadriennio, quod dum filium regem cōstituit, negotia regni perlustrat, disponit, atq; ordinat, copias & ad bellum necessaria passim congesta terra, mariq; in

duos exercitus colligit, exercitumq; terra claßem mari deducit, donec à Cimone vtrobique cæditur, facilè dilapsum est. Itaq; *triennio circiter non toto ante Themistoclis fugam patri in regno Persarum substitutum fuisse Artaxerxem neceße est, qui locus 20. annis initium 70. hebdomadarum à nobis signatum antecedit: rectè ergo harum principium à nobis constitutum est.*

Cc *Persarum postremos recentioresq; reges & eorũ successores Saracenos, denique omnia occupantes Turcas, tum etiam Francorum reges Romanis temporibus excludere noluimus, quòd monarchiæ quartæ & postremæ cursum contemplari volenti, horum quoq; consideratio in primis planè sit necessaria, vt à quibus maxima illi mutatio & clades illata sit, maiorq;, proh dolor, in posterum metuenda sit. Autores quorum testimonijs nitimur singulis locis adscripsimus.*

Deniq; vt nihil ad speculationem & demonstrationem temporum desit, cyclum decemnoualem Hebræorum ab exitu Aegypti vsq; ad extremam desolationem Templi, et vrbis Ierusalem subuersionem, à Tito factam continuauimus, initijs eorum suo cuiusq; loco notatis. Idem in cyclo decemnouali Latinorum à Chisto passo deinceps fecimus, & literas dominicales cuiusque anni principio inscripsimus. Indictiones quoq; ex quo institutæ sunt non omißimus, quo omnibus modis conferri & conciliari tempora poßint. Porrò in cyclis decemnoualibus hoc sciendum est: ex 28. cyclis magnum cyclum 532. annorum conflari, post quem coniunctiones oppositionesq; luminarium magnorum, non solùm vt in minoribus cyclis, ad eosdem eodem ordine dies redeunt,

sed

sed etiam ad eandem hebdomadæ feriam, ac proinde Pascha in eosdem mensis dies restituitur, ideoq; Bedæ magnum cyclum anno Domini 532. incipientem per capita minorum cyclorum numeris signauimus vsq; ad 28. vt quotus quisq; sit in ordine sine paginarum multa reuolutione cognoscatur. In sequente magno cyclo idem obseruauimus, sed prius adiecto binario, quo in secundo maiore cyclo versari se videat inspector. Minores cyclos annum Domini 532. antecedentes si quis similiter numeret, poterit per omnia Christi tempora iuxta cyclorum rationnm de pleniluniorum & Paschatis tempore ex Bedæ cyclo pronunciare.

Hac temporum demonstratione, vt omnia vndiq; inter se consentientia conspiciuntur, ita etiam exactè Heliæ, siue Thesbitis illius, siue alterius vaticinio, quod Hebræi per manus acceptum suis libris paßim inseruerunt, respondere inueniuntur, quod sic habet: Sex milia annorum mundi, & postea destructio, duo milia inane, duo milia lex, duo milia Christus, & si quid ex his deerit, deerit propter peccata nostra, quæ magna & innumera sunt. Huius enim primum æuum exquisitè terminatur ad euocationem Abrahæ ex Hur Chaldæorum, secundum in morte Christi, sequente quàm appositißimè proximo anno sabbato terræ, quod sublati legalis iugi, & inuentæ per Christum pacis ac requiei symbolum est. Tertium quousque complendum sit solus nouit cœlestis pater, Matth. 24. Mar. 13. Pulchrum præterea videre est omnia quæ solidis testimonijs requirebantur, in paßione Christi concurrere, videlicet annum 4. Olymp. 202. quo præternaturalis illa solis obscuratio in

Coronis demostratio.

paßione Christi contingens à Dionysio Areopagita obseruata est, Lunam 14. qua Pascha nostrum iuxta Legem immolari debebat, diem Veneris quo mortuum esse Christum testantur omnes, & medium deniq; 70. hebdomade Dan. 9. Quorum quædam ex præmißis demonstrationibus constant, alia diem paßionis Christi concernentia mox ita se habere declarabimus.

De annis prædicationis Christi, & Speculum harmoniæ euangelicæ. Cap. II.

CVM *annos Romanorum Imperatorum & Consulum firmißimis testimonijs ad Indictiones vsq; & Valentiniani initium continuassem, vnde deinceps perpetua & constans annorum Christi computatio seruata est, deprehendi interstitium quod est à 15. anno Tiberij et Baptismo Christi vsq; ad Indictiones, & Valentinianum vno anno maius esse quàm vulgatæ annorum Christi supputationi competeret: cuius causam quum intentißimè inuestigarem, ac viderem Lunam decimamquartam non alio quàm quo paßionem signaui anno ad Veneris diem accedere posse, & in 4. pariter Olympiadis 202. annum incidere, suspicatus sum quadriennium, & menses aliquot à baptismo Christi vsq; ad eius mortem effluxisse, quemadmodum ipsa annorum intercapedo oculis exhibebat, tametsi veteres omnes ferè triennium cũ dimidio ponant. Et quidem hanc suspicionem non modò augebat, sed pro indubitato confirmare videbatur antiquißimus*

mus ecclesiæ à paßione Christi computus, quem ex Bedæ de natura rerum maiori opere cap. 46. continenter ab incunabulis ecclesiæ Romæ vsitatum fuisse apparet, quum à conceptione vel natiuitate computandi modum Dionysius Exiguus Romanus demum circa annum Domini 532. inuenerit, qui & longo post tempore ab Eugenio 4. hortatore Blondo Notario in ecclesiam Christi Romanam inductus est: ea tamen ratione dubitabilis, quòd præter paucos menses triennium tantum prædicationis Christi sine iusta demonstratione supponat. Narrat autem Beda suo tempore anno secũdum Dionysium ab incarnatione Domini 701. Indictione 14. Romæ in natali Domini ita cereis beatæ Mariæ (annua consuetudine) inscriptum fuisse: A paßione Domini nostri Iesu Christi anni sunt 668. idq; à suis monachis tum Romæ existentibus, ita visum atq; exscriptum esse, qui numerus ab Indictionis dictæ loco in anteriora emensus exactè in annum paßioni à nobis aßignatum incidit. Itaq; & antiquißima annos Christi à paßione numerandi forma & exemplo difficulter fallaci persuasi, rectè paßionis tempus à nobis signatum existimauimus, et 4. annis integris Christum docuisse. Non tamen his argumentis contenti fuimus, nisi & historiam euangelicam consentire videremus. Quapropter eius harmoniam capitibus tantum actorum & profectionum Christi annotatis tanquam in speculo proponere studium fuit, in quo, pro numero euangelistarum distributis areis, quæ eadem sunt apud diuersos, aut simul facta, hæc è regione sibi mutuò responderent, æquali à summa vel ima linea distantia, vbi vero tempore differentia narrantur, priora scribentes,

priorem etiam locum occuparent, reliquis vacantibus & dilatis quousq; eorum vices in narrationis tempore ſuccederent, vt & ſingulorum maneat propria & continua hiſtoria, & ex omnibus per proxima ſemper in deſcenſu diuertendo vna communis colligi poßit. Quæ ratio nobis tum ad noſtram intentionem tum ad ſacrum quoq; ſtudium maximè perſpicua, facilis & accommoda videbatur, & ſine omni confuſione ordinatißima. Hanc *igitur primùm proponemus cum annotationibus* et *demonſtrationibus, vbi opus erit in margine appoſitis, quibus quadriennium integrum in ea comprehenſum velut digito oſtendemus, poſtea ad* Lunam *decimamquartam, & diem* Paſchæ *tempore paßionis* Chriſti *eruendum conuertemur. Seruabimus autem & hanc formam in ſingulis* Euangeliſtis, *vt capitum principia ſupra reliqua extent: quæ verò præter ordinem dicuntur, veluti per anticipationem aut recapitulationem, ea contractioribus adhuc verſibus ſcribantur, deniq; quæ ſummatim latam alterius hiſtoriam complectuntur, ſparſis per medium areæ dictionibus ad rei geſtæ terminum extrahantur, quo vera euangeliſtarum collatio vel oculis iudicibus obuia & perſpicua fiat.* Vtemur *verbis* Euangeliſtarum, *niſi vbi compendio aliquid dicendum erit ad vitandam prolixitatem: non enim integram & plenam harmoniam deſcribimus, ſed ſpeculum tantum & veluti indicem, qui quo ſingula* Euangeliſtarum *ſcripta referenda ſint, commonſtret.*

Sequitur ſpeculum harmoniæ Euangelicæ.


A
ais vacatib
ionis temper
opris & con
ima semper i
possit. Qu
um ad sacra
& accommod
tissima. Hæ
onibus et le
ne apposit
nprehensio
ecimamque
hristi cruc
anc forma
ia supra
ntur, vel
, ea contra
uæ summ
sparsis pa
num extra
l oculis in
s Euange
um erit ad
& plenam
& veluti
ipta rest

1 Liber generationis IESV Christi, *filij* David, *filij Abraham, &c.* Iacob *genuit* Ioseph, *maritum* Mariæ, *ex qua natus est, &c.*

Iesu verò Christi natiuitas sic habet: Quũ mater eius Maria despõsata esset Ioseph, prius q̃ congreßi essent, deprehẽsa est grauida è Spiritu sancto. Porrò Ioseph maritus eius quoniã erat iustus, et nolebat illam infamare, voluit clanculum ab ea diuertere. Hæc autem quum is in animo versaret, ecce Angelus Domini in somnis visus est illi, &c.

Excitatus autem Ioseph à somno fecit, vt iniunxerat sibi Angelus Domini, & adiunxit sibi vxorem suam, & nõ cognouit eam donec peperisset filium suum primogenitum, & appellauit nomen eius Iesum.

Lucas.	Ioannes.
1 Erat in diebus Herodis, regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, &c. & vxor eius Elizabeth, &c.	1 In principio erat Verbum, et Verbū erat apud Deum, & Deus erat Verbum.
Factum est autem quū sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ coram Deo secundum consuetudinem functionis sacerdotalis, sors illi obuenit, vt odores incenderet, &c. Promittitur illi filius ab Angelo, nominandus Ioannes.	
Et accidit vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suā. Post hos autem dies concepit Elizabeth, vxor eius, & occultabat se mensibus quinque, &c.	
In mense autē sexto missus est Gabriel Angelus à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, &c.	
Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum, &c.	
Ac discessit ab illa Angelus.	
Exurgēs autem Maria in die-	



2 *Qum autem natus esset Iesus
in Bethlehē, ciuitate Iudææ,
temporibus Herodis regis, ec
ce Magi ab Oriente accesse-
runt Hierosolymam, &c.*

*Tum Herodes clàm accer-
sitis Magis accuratè perqui-
siuit ab illis, quo tempore stel
la apparuisset, &c.*

*Digreßis autem illis Ange-
lus in somnis iubet Ioseph cū
puero et matre in Aegyptum
fugere, &c.*

*Tunc Herodes vt vidit sibi
illusū fuisse à Magis, indigna
tus est vehemēter, ac mißis sa*

bus his, abijt in montana cũ festi natione in ciuitatẽ Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, ac salutauit Elizabeth. Mansit autem Maria cũ illa circiter mensibus 3. & reuersa est in domũ suam. Elizabethæ verò impletũ est tempus pariendi, & peperit filium suum, &c. Puer autem crescebat, & corroborabatur spiritu, & erat in desertis donec veniret dies quo ostendendus erat apud Israhelitas.

2 *Factum est aũt in diebus illis exijt decretum à Cæsare Augusto, vt censeretur totus orbis, &c.*

Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, &c.

Accidit autem quũ essent ibi, completi sunt dies pariendi. Et peperit Filium suum, &c.

Pastoribus excubias agẽtibus circa gregem suũ, gaudium annunciat Angelus. Vt discesserũt Angeli in cœlum, festinantes transeunt in Bethlehem, &c.

Et Verbũ caro factum est, & habitauit in nobis, & conspeximus gloriam eius, gloriã velut vnigeniti à Patre, plenum

tellitibus interfecit omnes pueros qui erant in Bethlehem, *& in omnibus finibus* Bethlehemiticis, *quotquot essent bimuli aut minores iuxta tempus quod exactè cognouerat à* Magis, *&c.*

Cæterùm defuncto Herode, ecce *Angelus* Domini *apparet* Ioseph *in* Aegypto, *dicēs, surge, & assume puerum & matrem eius, & vade in terram* Israhel, *&c.*

Verùm *quũ audisset* Archelaum *regnare in* Iudæa, *loco* Herodis *patris sui, timuit illuc abire, sed oraculo admonitus in somnis secessit in partes* Galilææ, *ac profectus habitauit in ciuitate quæ vocatur* Nazareth.

1 Initium Euangelij *Iesu Christi*, *Filij* Dei, *sicut scriptum est in* Prophetis: Ecce *ego mittto nuncium meum ante faciem tuam, &c.*

Lucas.	Ioannes.
Et postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, &c.	gratia & veritate.
Et postquã completi fuissent dies purgationis eorum secundum Legem Mosi, adduxerunt eum Hierosolymam, vt sisterent eum Domino, etc.	
Et vt perfecerũt omnia secundum Legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth.	
Puer autem crescebat corroborabaturq; spiritu, & implebatur sapientia, &c.	
Et ibant parẽtes eius quotannis Hierosolyma in die festo Paschæ. Et cũ factus esset annorũ 12. ascendentibus illis Hierosolyma secundũ consuetudinem diei festi, consummatisq; diebus quum redirẽt illi, remansit puer Iesus Hierosolymis, &c.	
Disputat cum Doctoribus, &c.	
Et Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum atq; homines, &c.	

Matthæus.	Marcus.
3 In diebus illis accedit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ, dicẽs: Pœnitẽtiam agite, &c.	Baptizabat Ioãnes in deserto; prædicans baptismum pœnitentiæ in remißionem peccatorũ.
Tunc egressa est ad illum Hierosolyma, & tota Iudæa, totáque regio vndiq; finitima Iordani, & baptizabantur in Iordane ab illo, confitentes peccata sua. Tũc accedit Iesus à Galilæa ad Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab illo, &c.	Et egrediebatur ad eum tota Iudææ regio ac Hierosolymitæ, et baptizabantur, &c.
	Et factum est in diebus illis venit Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à Ioanne in Iordane, et statim quum ascenderet ex aqua, vidit diffundi cœlos, & Spiritum quasi columbam descendẽtem, &c.
Et baptizatus Iesus ascendit protinus ab aqua, & ecce aperti sunt illi cœli, et vidit Spiritũ Dei descendentem tanquam columbam, & venientem super ipsum, et ecce vox de cœlis, dicens, &c.	
4 Tunc Iesus ductus fuit in desertũ à spiritu, vt tentaretur à Diabolo, & quũ ieiunasset 40. dies ac noctes, &c.	Et continuò spiritus illum expulit in desertum, & erat illic in deserto dies 40. & tentabatur à Satana, erátque cum feris, &c.

Lucas.	Ioannes.
3 Anno autem 15. Tiberij Cæsaris, &c. factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem finitimam Iordani, prædicans baptismum pœnitẽtiæ, in remißionem peccatorum, &c.	
Factum est autem quum baptizaretur omnis populus, vt & Iesu baptizato, & orante apertum sit cœlum, ac descendit Spiritus sanctus corporali specie, quasi colũba in ipsum, & vox de cœlo facta est, &c.	
4 Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & actus est per spiritum in desertum, ac diebus 40. tentabatur à diabolo, &c.	
	Ioannes testificatur de ipso, & clamat, dicens: Hic erat de quo dicebam, &c.

Lucas.		Ioannes.	
		Hoc eſt teſtimoniū Ioannis quando miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & Leuitas, vt interrogarent illum: Tu quis es, &c.	
		Hæc in Bethabara facta ſunt trans Iordanem, vbi Ioannes baptizabat.	
		Poſtero die videt Ioannes ipſum venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus, &c.	
		Poſtero die iterum ſtabat Ioannes & ex diſcipulis eius duo (quorum alter Andreas) dixit illis: Ecce agnus Dei: qui ſequuti ſunt Ieſum, rogant eum vbi habitet. Iußi ſequi, & videre, ſequuntur, & apud illum manent eo die.	
		Andreas prior fratrem ſuum Simonem repperit, adduxit eum ad Ieſum.	
Et reuerſus eſt Ieſus virtute ſpiritus in Galilæam: & ipſe docebat in ſynagogis eorum.		Poſtero die voluit Ieſus exire in Galilæam, & repperit Philippum, & dicit ei: Sequere me.	
		Philippus inuētum Natanaelem, ad Ieſum adducit.	
	2	Et die tertio nuptiæ fiebant in Cana Galilææ, & erat mater Ieſu ibi, vocatus autem & Ieſus eſt ac diſcipuli eius ad nuptias, &c.	Ieſus habitat in Nazareth.
		Poſt hæc deſcendit Capernaū ipſe	

Matthæus	Marcus
Quum audisset autem Iesus quòd Ioannes traditus esset, secesit in	Postquam autem comprehensus esset Ioãnes, venit Iesus in Galilæam,

& mater eius & fratres eius & discipuli, & ibi manserunt non multis diebus.

Et in propinquo erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Eiecit templo ementes & vendentes. Pascha 1.

Cùm autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomen eius, videntes signa eius quæ ædebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis; eo quòd ipse nosset omnes, &c.

3 Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum: hic venit ad Iesum nocte, &c.

Post hæc venit Iesus & discipuli eius in terram Iudæam, & illic morabatur cum eis, ac baptizabat: baptizabat autẽ & Ioãnes in AEnon iuxta Salem, &c. Migrat Iudæam.

Nondum enim coniectus fuerat Ioannes in carcerem.

Orta quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis est de purificatione. Interrogatio de baptismo Christi facta.

4 Vt ergo cognouit Dominus audisse Pharisæos, quòd Iesus plures baptizaret quam Ioannes, reliquit Iu-

Matthæus.	Marcus.
Galilæam, & relicta Nazareth, profectus habitauit in Capernaum. Ex eo tempore cœpit Iesus prædicare, & dicere: Resipiscite, instat enim regnum cœlorum.	prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: Impletum est tempus, instátque regnum Dei, resipiscite & credite Euangelio.

dæam, & abijt iterum in Galilæam. Oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar ad fontem Iacob. (quatuor mensibus ante messem, vt patet ex interrogatione: Nonne, &c.) Rogauerunt Samaritani vt cum ipsis maneret, & mansit 2. dies. Post 2. autem dies exijt inde, & abijt in Galilæam.

Migrat in Galilæã, & Ioannes in carcerẽ mittitur.

Cùm ergo venisset in Galilæam, exceperunt illum Galilæi, cùm omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo, & ipsi enim venerant ad diem festum.

Pascha 2.

Venit ergo Iesus iterum in Cana Galilææ, vbi fecerat ex aqua vinum. Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capernaum, hic cùm audisset quòd Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam, abijt ad eũ, & rogabat eum vt descenderet, ac sanaret ipsius filium, &c.

Dixit ad eum Iesus: Vade, filius tuus viuit, &c.

Hoc iterum secundum signum edidit Iesus cùm venisset à Iudæa in Galilæam.

Breuitas tẽporis à paschate ad messẽ. Mar. 2. & Luc. 6. notatam, videlicet 2 $\frac{1}{2}$. circiter mẽses, & econtrario a primo paschate longior indubitato mora Christi apud Iordanẽ in Iudæa, dũ docet, baptisat, & multitudinẽ discipulorum colligit maiorẽ quam

Et venit in Nazareth, & intrauit

Matthæus.	Marcus.
Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vocat Simonem & Andræam fratrem eius iacientes rete in mare. Et progressus illinc, vocat Iacobum & Ioãnem, filios Zebedæi, sarcientes retia cum Zebedæo patre suo, qui sequuti sunt eum: & circumibat totam Galilæam Iesus	Cùm autem ambularent iuxta mare Galilææ, vidit Simonem & Andræã fratrẽ eius, quos iußit sequi. Et progressus illinc pusillum vocat Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui sequuti sunt illum. * Et ingrediuntur Capernaum, & statim sabbathis ingressus in synagogam, docebat, &c.

secundū consuetudinem suam, die sabbathorum in synagogā, & surrexit vt legeret, &c.

Deinde complicatum librū *reddidit ministro, ac resedit, et concionatus est, &c.*

Et ait ad illos: Omnino *dicetis mihi hanc similitudinem, medice cura teipsum. Quæcunque audiuimus facta in Capernaum, fac & hic in patria tua.*

Eiectus è ciuitate, *& ductus vsque ad supercilium montis, vt præcipitaretur, &c.*

*

Et *descendit Capernaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbathis.*

Ioannes, præter reliquas profectiones a Ioanne, Marco, & Luca descriptas ante messem dictam, cogunt festum hoc Ioan. 4. signatum pascha 2. dicere, præcipue hoc accedente, quod 4. mensibus ante messem in Galilææ migrasse dicitur, a quo tēpore ad messem non aliud omnibus Hierosolymis celebrandum festum occurrit quam Pascha & Pentecoste, atqui Pentecoste vicinius est messi, quam vt cum huius festi loco conuenire posit. quare Pascha hoc esse necesse est.

Cæterum cùm Iesus a Iordane recta in Galilæam migrare sub festum Paschæ insinnetur, & a Galilæis qui simul festiuitati interfuerant excipi, dubitari potest, quando ad hoc festum accesserit. Dicimus igitur cùm in Galilææ migrasset, paulo post inde Hierosolymam ad festum iuisse, inde autem reuersum amanter a Galilæis exceptum fuisse. Neque enim verba Ioannis: Cùm ergo venisset in Galilæam, &c.

docens in synagogis illorum, ac prædicans Euangelium regni, & curans omnem morbum & omnẽ languorem in populo.

Sanat in synagoga hominẽ obnoxium spiritui immundo.

Et protinus è synagoga egressi venerunt in domum Simonis & Andrææ cum Iacobo & Ioanne.

Socrus Simoni à febri liberatur.

Vespere autem cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, &c.

Et ciuitas tota congregata erat ad ostium.

Et mane multa adhuc nocte egressus, abijt in desertum locum, prosequutúsque eum Simon cum suis dicit: Omnes te quærunt. Ait illis Iesus: Eamus in proximos vicos, vt & ibi prædicem, in hoc enim egressus sum. Et prædicabat in synagogis eorum in tota Galilæa, & dæmonia eijciebat.

Lucas.		Ioannes.
Liberat et ſanat hominem habentem ſpiritum dæmonis immundum, &c.		
Quum autẽ ſurrexiſſet Ieſus de ſynagoga, introiuit in domum Simonis.		
Socrum Simonis à febri liberat.		
Quum autem Sol occideret omnes qui habebant infirmos morbis varijs ducebant illos ad eum, &c. Exibant autem & dæmonia à multis clamãtia & dicentia: Tu es Chriſtus ille Filius Dei, &c.		
Facto autẽ die egreſſus ibat in deſertum locum, & turbæ quærebãt eum, volentes ipſum detinere, quibus ille ait.		
Et alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnũ Dei: nam in hoc miſſus ſum.		
Et prædicabat in ſynagogis Galilææ.		

dicere cogũt feſtum hoc celebratum fuiſſe antequam veniret in Galilæã: hoc enim meſsis diſtantia in itinere indicata cũ itineris cõtinuitate nõ patitur, ſed ſententia Ioãnis eſt Poſtquam Ieſus migraſſet in Galilæam, indeque cum eo ad feſtum profecti Galilæi vidiſſent ſigna quæ fecerat Hierosolymis, gauiſi ſunt talem ſibi Prophetã contigiſſe, &c. Rectè ergo hoc loco 2. Paſcha aſsignauimus.

Matthæus.	Marcus
5 Cùm vidiſſet autẽ turbas, aſcendit in montẽ. Et cùm conſediſſet, acceſſerunt ad illum diſcipuli eius, & poſtquam aperuiſſet os ſuum, docebat illos (hæc videlicet,) 8. Beatitudines.	
Vos eſtis ſal terræ, &c. Lux mundi, &c.	
Habeto beneuolentiam cũ aduerſario tuo, &c.	
Si oculus tuus dexter tibi obſtaculo, &c.	
Quiſquis repudiauerit vxorẽ ſuam.	
Si quis impegerit alapam in dextram, &c.	
Diligite inimicos veſtros, &c.	
6 Attẽdite ne eleemoſynã veſtrã, &c.	
Pater noſter qui es in cœlis, etc.	
7 Nolite condemnare, & nõ condemnabimini, &c.	
Cauete à Pſeudoprophetis, etc.	
8 Cùm deſcendiſſet autem de monte, ſequutæ ſunt eum turbæ multæ, & eccę leproſus accedens, adorauit eum, &c. Protenſaq́; manu tetigit eum.	Et venit ad eũ leproſus deprecans eũ, eiq́; ad genua accidẽs, ac dicens illi: Si vis potes me mundare.

5 Factum est autem quum turba immineret ei, vt audiret verbum Dei, & ipse stabat iuxta stagnum Genezareth, vidit duas naues stantes ad stagnũ, è quarum altera quæ Simonis erat paulùm à terra subducta concionatus est.

Post concionem dixit Iesus: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam, &c.

Rumpebatur autem rete eorum præ multitudine piscium. Et subductis in terram nauibus, relictis omnibus sequuti sunt eum (Simon, Iacobus, & Ioannes.)

Et accidit quũ esset in quadam ciuitate, & ecce vir plenus lepra, quũ vidisset Iesum, prostratus in faciem, rogauit eum, dicẽs: Domine si vis, potes me mundare.

Et protensa manu tetigit eum, &c. Et ipse præcepit illi ne cuiquam diceret, &c.

Iesus aũt misertus protensa manu tetigit illum, &c. Et dixit ei: Vide ne cui dixeris, &c. At ille egressus cœpit prædicare multa, & diuulgare sermonem, ita vt iam non posset Iesus manifestè introire in ciuitatẽ, sed foris in desertis locis erat, & veniebant ad eum vndique.

2 *Et iterũ intrauit Capernaum post dies aliquot, et auditum est quòd in domo esset, & protinus cõgregati sunt multi, adeò vt iam non caperent eos, nec illa loca quæ erãt circa ianuam, & loquebatur eis sermonem.*

Et veniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur, &c. Per tectum cũ grabato, in quo decumbebat, demissus, &c.

Ait paralytico: Tibi dico surge, ac tolle grabatũ tuũ, & abi in domum tuam.

Et egressus est rursus ad mare, omnisq; turba veniebat ad eum, ac docebat eos.

Peruagabatur autem magis rumor de illo, et conueniebant turbæ multæ, vt audirẽt, & sanarentur, &c.

Ipse autem agebat in secessu in desertis, & orabat.

Et factum est quodam die, & ipse docebat, erantq; Pharisæi sedentes, ac Legis Doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, et Ierusalem, &c.

Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, &c. quem per tegulas demiserunt cum lectulo in medium ante Iesum, &c. Ait paralytico: Tibi dico, surge, tolle lectulum tuum, & vade in domum tuam.

Et post hæc exijt, ac vidit Publicanum, nomine Leui, sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me, atque is relictis omnibus surgens sequutus est eum.

Orationem Dominicã bis docuit Christus, hic Matth. 6. totã multitudinẽ cũ Apostolis, Luc. 11. autẽ discipulos tantum vno illorũ petente.

Mathæus vocatur.

Et quum præteriret Iesus, vidit Leui Alphei filium, vocat eum, sequitur.

Et factum est quum accumberet in domo illius, &c.

Scribæ & Pharisæi dicebant: Quid est quòd cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit? &c.

Messis.

Et accidit vt transiret sabbatis per segetes, & cœperũt discipuli eius inter viam vellere spicas, &c.

3 Et intrauit iterum in synagogam, & erat ibi homo arefactam habens manum. qui curatur, &c.

Egreßi verò Pharisæi statim vnà cum Herodianis consilium inibant aduersus eum, vt illum perderent.

Iesus autem cum discipulis suis seceßit ad mare, & ingẽs multitudo à Galilæa sequuta est, & ab Iudæa, & ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & trãs Iordanẽ, & qui circa Tyrum habitabãt, ac Sidonẽ, hominũ multitudo magna, &c.

Lucas.	Ioannes.
Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua, & erat turba multa publicanorum, &c. Et murmurabant Scribæ & Pharisæi, &c. dicentes: Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis?	
6 Accidit autem vt in sabbato secundo primo transiret per sata, ac vellebant discipuli eius spicas, &c.	
Factum est autem & in alio sabbato, vt intraret in synagogam et doceret, &c. Homo aridam manū habens curatur, &c.	
Ipsi autem repleti sunt amentia, & colloquebantur inter sese quidnam facerent Iesu.	

12. Apostolos ex discipulis eligit Christus.

Matthæus.	Marcus.
	Et iußit Iesus discipulis suis, vt nauicula sibi deseruiret propter turbam, ne ipsum prementent, &c.
	Et ascendit in montẽ, ac vocat ad se quos vult ipse, &c.
	Et fecit 12. vt essent secum, & vt emitteret illos ad prædicandum, &c.
Porrò quum ingressus fuisset Iesus Capernaum, adijt eum Centurio, rogans vt famulum paralyticum sanaret.	

Factum est autem in illis diebus, exijt in montem ad orandum, erátque pernoctans in deprecatione Dei. Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, turbáque discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ex omni Iudæa, &c.

Docet beatitudines, &c. & ve opposita.

Diligite inimicos vestros, &c.

Nolite iudicare, & non iudicabimini, &c.

Nunquid potest cæcus cæcum ducere? &c.

Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, &c.

Vnaquæq; arbor ex fructu suo cognoscitur, &c.

Parabola super audiente & faciente sermones Domini.

7 Cùm autem consummasset omnia verba sua audiente populo, intrauit Capernaum. Centurionis autem cuiusdam seruus male habens, agebat animam, &c. Cùm

Socrus Petri curatur.

Qum autem appetisset vespera, adduxerũt illi dæmoniacos multos, & eiecit spiritus verbo, omnésque male habentes, sanauit.

Ioãni in carcere acta Christi nũtiantur.

audiſſet autem de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & ſeruaret ſeruũ ſuum, &c.

Ieſus autem ibat cum illis, & cùm iam non longè abeſſet à domo, miſit ad eum centurio amicos, &c. Et reuerſi qui miſſi fuerant in domum, inuenerunt ſeruũ qui lãguerat ſanum.

It in ciuitatem Naim cũ diſcipulis & turba.

Ante portam filiũ viduæ reſuſcitat.

Diſcipuli Ioannis nuntiant Ioanni in carcere de omnibus quæ Chriſtus egit, qui duos è ſuis ad Chriſtum mittit, rogans: Tu es qui venturus es, an, &c. In eadem hora curauit multos à morbis, &c. Et dixit: Euntes renuntiate Ioanni, &c.

Edit cum Simone Phariſæo. Mulier peccatrix lauat pedes Ieſu, capillos exterget, oleo vngit.

8 Et factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per ſingulas ciuitates & caſtella, prædicans & annuntians regnum Dei, & 12. cum illo, ſimúlque mulieres aliquot, Maria Magdalenæ, & Ioanna, vxor Chuſæ, procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabãt ei de facultatibus ſuis.

Scenopegia hic assignamus, quod parabolam de seminante videatur Christus apud Marcũ & Lucã sumpsisse ex re præsenti. Scenopegia enim circa nouã sementem celebrabantur.

Et venit in domum (Capernai) *& conuenit iterum turba, sic vt non liceret illis vel panes edere: & cùm audißent qui ad illum attinebant, exierunt, vt manus inijcerent in eum. dicebant enim:* In *furorem versus est.* Et Scribæ *qui ab* Hierosolymis *descẽderant, dicebant:* Beelzebub *habet, & per principem, &c.*

Parabola 10. virginũ. Parabola dantis talenta, &c		
26 Et quũ conſummaſſet Ieſus ſermones hos, dixit diſcipulis ſuis: Scitis quòd poſt biduum Paſcha fit, & Filius hominis traditur vt crucifigatur. (4. Sabbati.)	14	Erant autem Paſcha & & azymorum dies futuri poſt biduum.
Tũc cõgregati ſunt principes Sacerdotũ et Scribæ, & ſeniores populi in atriũ principis ſacerdotũ, qui dicebatur Caiphas, & conſilium inierunt, vt Ieſum dolo caperent, & occiderent. Dicebant autem, Non in die feſto, ne tumultus fiat in populo.		Et quærebant ſummi Sacerdotes & Scribæ quomodo eum per dolum comprehenſum occiderent.
Quum autem Ieſus eſſet in Bethania in domo Simonis Leproſi, acceſſit ad eũ mulier, habẽs alabaſtrũ vn		Et cũ eſſet Bethaniæ in domo Sim. Leproſi accũbẽte eò venit mulier habẽs alabaſtrum

21 *Respiciens eos qui mittebãt munera in gazophylaciũ laudat, &c.*

Et quibusdã dicentibus de Templo quod pulchris lapidib. ac donis ornatũ esset, dixit: Ex his, etc.

Prophetia Christi de destructione Ierusalem & extremis temporibus.

22 *Instabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.*

Et quærebant principes Sacerdotum & Scribæ, quomodo eum interficerent: timebant enim plebem.

Matthæus.	Marcus.
guenti pretiosi, &c. Videntes autem discipuli indignati sunt, dicẽtes: Ad quid perditio hæc, &c.	vnguenti, &c. Erant autem quidam qui indignarentur apud sese, ac dicerent: Ad quid perditio hæc, &c.
	Et infremuerunt aduersus illam.
Tunc abijt vnus è 12. qui dicebatur Iudas Iscariotes ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid vultis, &c.	Et Iudas Iscariotes vnus è 12. abijt ad summos sacerdotes vt proderet eum illis, &c.
Ex eo tempore quærebat oportunitatem vt eum traderet.	Et quærebat quomodo oportunè illum traderet.
5. Sabbati. Cæterùm primo die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes ei: Vbi vis paremus, &c.	Ac primo die azymorũ quũ Pascha immolarent, dicunt illi discipuli sui: Vbi vis vt abeamus & paremus, &c.
At ille dixit, Ite in ciuitatem ad quendam, et dicite ei: Magister dicit, Tempus meum propè est, apud te facio Pascha, &c.	Et emittit duos è discipulis suis, & dixit illis: Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo hydriam aquæ baiulans, sequimini illum, &c.
Vespere autem facto discumbebat cum 12.	Et quum vespera iam esset venit cum 12.

Intrauit autem Satanas in Iudam, cui cognomē erat Iscariotes, qui erat è numero 12. abijtq; & locutus est cū principibus sacerdotum, &c.

Et ille spopōdit quærebátque oportunitatem vt traderet eum illis sine turba.

Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat immolari Pascha. Et emisit Petrum ac Ioannem, dicēs: Euntes parate nobis Pascha vt edamus. At illi dixerunt, Vbi vis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret homo vas aquæ, &c.

Et quum iam esset tempestiuum accubuit, & 12. cum eo. Et ait illis: Desiderio desideraui hoc Pascha.

13 Ante festum aūt Paschæ sciens Iesus quòd venisset hora ipsius, vt transiret ex hoc mundo ad Patrem, quum dilexisset suos qui erant in mundo, vsq; ad finem dilexit eos.

Pascha 5.

6.Sabbati & Paſcha legale. Iudęis autem tum paraſceue.

Dico enim vobis post hac non edam vltra ex eo donec cõpleatur in regno Dei. Et accepto poculo gratias egit ac dixit: Accipite hoc et diuidite inter vos. Dico enim vobis, quòd nõ bibam de fructu vitis, donec regnũ Dei veniat.

Et cœna facta cũ diabolus iam immisisset in cor Iudæ Simonis Iscariotæ, vt proderet eum, sciens Iesus quòd omnia dedisset sibi Pater in manus, et quòd à Deo exisset, & ad Deũ iret, surgit à cœna, & ponit vestimenta. Et quũ accepisset linteũ præcinxit se, deinde misit aquã in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorũ, &c. Et vos mundi estis, sed nõ omnes: sciebat enim quisnam esset qui proderet ipsum.

Postquã ergo lauisset pedes eorũ, receptisq; vestib. suis accubuisset, iterum dixit eis: Scitis quid fecerim, &c.

Matthæus.	Marcus.
Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quòd vnus vestrûm me proditurus est.	*Et quũ accumberent, ederẽtq́;, dixit Iesus: Amen dico vobis, vnus ex vobis proditurus est me, qui mecum edit.*
Et mœsti redditi vehementer cœperunt singuli dicere: Num ego sum Domine? &c.	*At illi cœperunt esse mœsti, ac dicere illi singulatim, Num ego, &c.*
At ille respondẽs ait: Qui induxit mecũ manum in catino hic me proditurus est.	*Ille verò respondens dixit illis: Vnus è 12. qui intingit mecum in catinum.*
Vescentibus autẽ eis accepit Iesus panem, & quum egisset gratias, fregit, deditq́; discipulis, &c.	*Et edẽtibus illis sumpto Iesus pane, quũ gratias egisset, fregit et dedit illis, &c.*
Et accepto poculo gratijs actus dedit illis, dicẽs: Bibite ex hoc omnes, &c. Dico autẽ vobis: Non bibam posthac ex fructu vitis vsque in diem illum quũ illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.	*Et accepto poculo, quũ gratias egisset, dedit illis, & biberunt ex eo omnes, &c. Amen dico vobis, post hac non bibã de fructu vitis vsq; ad diem illum quum illud bibero nouũ in regno Dei.*

Et accepto pane quũ gratias egiſſet, fregit, ac dedit; &c.

Similiter et poculum poſtquam cœnauit, dicens: Hoc poculum nouum teſtamentum, &c.

Quũ hæc dixiſſet Ieſus turbatus eſt ſpiritu, & teſtificatus eſt, dixitque: Amen, amẽ dico vobis, quòd vnus ex vobis proditurus eſt me. Aſpiciebant ergo, &c.

Veruntamen ecce manus prodentis me mecũ eſt in menſa, &c.

Et ipſi cœperũt quærere inter ſeſe, quiſnam eſſet ex ipſis qui hoc facturus eſſet.

Diſcipulus recumbẽs in ſinu Ieſu rogat hortante Petro, quiſnam ille ſit proditor.

Reſpondit Ieſus: Ille eſt, cui ego intinctũ panẽ porrexero. Et cũ intinxiſſet panẽ dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ. Et poſt offulam ingreſſus eſt in eũ ſatanas. Dicit igitur ei Ieſus: Quòd facis fac citiùs, etc. Quũ ergo accepiſſet ille offulam exiuit continuò. Erat autem nox.

Facta eſt autem contentio inter eos quis eorum videretur eſſe maior, &c.

Matthæus.	Marcus.
Et cùm hymnum cecinissent, exierunt in mōtem Oliuarum, &c.	Et cùm hymnum dixissent, exierunt in mōtem Oliuarum.
Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis: Sedete hic donec vadam & orem illic. Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi: cœpit affici dolore & mœstitudine, &c.	Et venit in locum cuius nomen Gethsemani, & dicit discipulis suis: Sedete hic donec digressus orauero. Et assumpsit Petrum & Iacobum & Ioānem secum: cœpítque expauescere & angi, &c.
Et venit ad discipulos, & repperit eos dormiētes: & dicit Petro, &c. Vigilate & orate, vt ne intretis in tentationem. Spiritus quidē prōptus est, at caro infirma.	Et venit & offendit eos dormientes, dicitq; Petro, &c. Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus, at caro infirma.
Rursus altera vice abijt, et orauit, dicēs, &c. Et venit, et repperit eos iterum dormientes.	Et rursus digressus orabat, & eundem dixit sermonem. Et reuersus offendit illos rursum dormientes.
Et relictis illis, iterum abijt, & orauit tertio eundem sermonem.	
Tūc venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite iā & requiescite. Ecce appropinquat	Et venit tertio, dicitque illis: Dormite post hac & requiescite. Sufficit. Venit hora

Et egressus ibat vt erat solitus in montem Oliuarum: sequuti sunt autem illum & discipuli.

Et cùm peruenisset ad locum, dixit illis: Orate, &c.

Et ipse auulsus est ab eis fermè ad iactum lapidis, positisq; genibus orabat, &c.

Et cùm surrexisset à deprecatione, venissétque ad discipulos suos, reperit eos dormientes præ mœstitudine, & ait illis: Quid dormitis? Surgite & orate, ne intretis in tentationem.

14.15 16.17 Cõciones variæ per quatuor integra capita.

18 Hæc cùm dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus in quem introiuit ipse & discipuli eius. Nouerat autem & Iudas, qui prodebat eũ, locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.

hora, & Filius hominis traditur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce appropinquauit q me tradit.

Adhuc eo loquente ecce Iudas vnus de numero 12. venit, & cũ eo turba multa cũ gladijs & fustibus missi à principibus sacerdotũ, &c.

Et confestim accedens ad Iesum dixit: Aue Rabbi, et osculatus est eum.

ecce traditur Filius hominis in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce qui prodit me appropinquat.

Et cõtinuò adhuc eo sequente accedit Iudas, qui erat vnus è 12. & cũ illo turba multa cũ gladijs & fustibus à summis sacerdotibus et Scribis & senioribus, &c.

Et quum venisset protinus accedit ad illum, dicitq; ei: Rabbi, rabbi, & deosculatus est eum,

Illi verò iniecerunt in illũ manus suas, & comprehenderunt eum.

Vnus autem quispiam astantium educto gladio percussit seruũ summi Sacerdotis, & amputauit, &c.

Dixit illis Iesus: Tanquam ad latronem existis, &c.

Lucas.	Ioannes.
Adhuc autem eo loquente ecce turba, & qui vocabatur Iudas vnus è 12. antecedebat eos,	Iudas ergo quum accepisset cohortem, & à Pontificibus ac Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis ac facibus & armis. Iesus itaq; sciens omnia quæ ventura erãt super se processit, ac dixit:
& appropinquauit Iesu vt oscularetur eum.	
Iesus autem dixit illi: Iuda osculo Filium hominis prodis! &c.	Quem quæritis, &c. Dixi vobis quòd ego sum. Si ergo me quæritis sinite hos abire.
Et percußit vnus ex illis seruum principis Sacerdotum, & amputauit auriculam eius dextram.	Simon ergo Petrus quum haberet gladium eduxit illum, & percussit Pontificis seruũ Malchum, & abscidit, &c.
Quasi ad latronẽ existis cum gladijs & fustibus, &c.	

Matthæus.

At illi comprehẽsum Iesum, duxerũt ad Caipham principem sacerdotum, vbi Scribæ & seniores conuenerant.

Petrus Christũ negat.

27 Mane autem facto consiliũ inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. Et vinctum eum abduxerunt,

& tradiderunt eũ Pontio Pilato Præsidi.

Iudas pœnitentia ductus, retulit 30. argenteos, &c.

Marcus.

Et adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem, &c.

Petrus Christũ negat.

15 Et cõfestim diluculo consilio inito summi sacerdotes cum senioribus et Scribis ac toto consessu vinctum Iesum adduxerunt,

tradiderúntque Pilato.

Cõprehensum autem eum, duxerunt & induxerunt in domũ principis sacerdotum.

Petrus Christũ negat.

Atque vt illuxit conuenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Num tu es ille Christus? dic nobis, &c.

23 Et surgens vniuersa multitudo eorum, duxit illum ad Pilatum.

Et vt cognouit Pilatus quod ad Herodis ditionẽ pertineret, remisit eũ ad Herodẽ, qui & ipse Hierosolymis erat per id tempus, &c.

Spreuit autem illum Herodes cum exercitib. suis, cũq; illusisset indutum veste splendida, remisit ad Pilatum, &c.

Cohors igitur & tribunus ac minister Iudæorũ cõprehenderũt Iesũ, et ligauerũt eũ, et abduxerũt ad Annã primùm. Iesus comprehẽsus ad Annam ducitur.

Et misit eum Annas vinctum ad Caipham pontificem, &c. Ad Caiphã.

Petrus Christũ negat.

Ducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem manè; & ipsi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed vt ederent Pascha. Ad Pilatũ. Ad Herodem.

Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quã accusationem? etc. Ad Pilatũ.

Introiuit ergo iterũ in prætorium Pilatus, &

Matthæus.

Principes verò Sacerdotum & seniores persuaserant turbis vt peterent Barrabam, Iesum verò perderent, &c.

At illi dixerunt Barrabam.

Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in prætorio congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, et quũ exuissent eum circundederũt ei chlamydẽ coccineã, & coronam de spinis contextam imposuerũt super caput eius, & arundinem in dextram eius, & genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudæorum. Et quum expuissent in eum acceperunt arundinem, & percutiebãt caput eius.

Marcus.

Summi verò Sacerdotes concitauerunt turbam, vt potius Barrabã dimitteret ipsis, &c.

Pilatus verò volẽs turbæ facere satis dimisit illis Barrabã, et tradidit Iesum flagellatum, vt crucifigeretur.

Milites conuocata cohorte induunt illũ purpura, & circumponunt illi contextam spinis coronam, & cœperunt salutare illum:

Aue Rex Iudæorũ, et verberant illius caput arundine, & inspuebãt in illum, & positis genibus adorabant illum.

Lucas.

Pilatus autē cōuocatis principib. sacerdotū & magistratib. ac plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi, &c.

Nihil dignum morte actū est ei: emēdatum ergo illum dimittam. Necesse autē habebat dimittere eis in festo vnum. Exclamauit autē simul vniuersa turba, dicēs: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam, &c.

Iterum autem Pilatus loquutus est ad eos volens dimittere Iesum. At illi clamabāt, dicentes: Crucifige,

Joannes.

vocauit Iesum, & dixit ei: Tu es ille rex Iudæorum? &c.

Prodijt iterū ad Iudæos Pilatus, & dixit eis: Ego nullam inuenio in eo causam. Vultis ne ergo dimittam vobis illum regem Iudæorum?

Clamāt rursum omnes: Nō hunc, sed Barrabam.

19 Tūc ergo apprehēdit Pilatus Iesum, & flagellauit.

Et milites plectentes coronā de spinis, imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederūt eum, ac dicebāt: Aue rex Iudæorum; & dabāt, &c.

Exiuit iterum Pilatus foras, &c. Ecce homo, &c.

Cùm ergo vidissent eum pontifices & ministri, clamabant dicentes: Crucifi-

Et postquam illusissent ei, exuerunt eum chlamide, & induerunt eum vestimentis suis, & abduxerunt eum vt crucifigerent.

Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyreneum, nomine Simonem, hunc adegerunt vt tolleret crucem eius.

Et cùm illusissent ei, exuerunt eum purpura, & induerunt illum vestibus propriis, & educunt eum vt crucifigerent eum.

Et coegerunt prætereuntem quendam Simonem Cyrenẽsem, qui veniebat ex agro, &c. vt tolleret crucem eius,

Lucas.	Ioannes.
crucifige eum.	*ge, crucifige, &c. Et ingressus (Pilatus) prætorium iterum, & dicit ad Iesum: Vnde es tu? &c.*
Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit hic? &c. At illi instabant magnis vocibus, &c.	*Et ex eo quærebat Pilatus absoluere eum. Iudæi autem clamabãt dicentes: Si hunc absolueris, nõ es amicus Cæsaris, &c. Pilatus autem cùm audisset hunc sermonem, produxit foras Iesum, seditque pro tribunali, &c. Erat autem parasceue Paschæ hora ferme sexta, & dicit Iudæis: Ecce rex vester. Illi autem clamant: Tolle, tolle, crucifige eum, &c.*
Et Pilatus adiudicauit vt fieret quod postulabant illi, &c. Iesum vero tradidit arbitrio illorum, &c.	*Tunc ergo tradidit eũ illis vt crucifigeretur.*
Et cum abducerent eũ apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem veniẽtem è rure, & imposuerũt illi crucem,	*Acceperunt autem Iesum, & abduxerunt, atque is baiulans crucem suam, exiuit in eum qui*

Ad mõtem Caluariæ.

Et venerũt in locũ qui dicitur Golgatha, &c.

Tunc crucifiguntur cũ eo duo latrones, vnus à dextris, & alter à sinistris.

A sexta autẽ hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsq; ad horam nonam.

Et circa horã nonam clamauit Iesus voce magna, dicẽs: Eli, Eli, &c.
Iesus autem cum iterum clamasset voce magna, emisit spiritum. Et ecce velũ templi scissum est.

Cùm autem vespera facta esset, venit homo diues ab Arimathea,

& ducunt eum in Golgatha. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum, &c. Et cũ eo crucifixerũt duos latrones, vnum à dextris, & alterũ à sinistris eius. Cum vero facta esset hora sexta, tenebræ ortæ sunt super totã terram, vsque ad horam nonam.

Et hora nona clamauit Iesus voce magna: Eloi, Eloi, &c.
Iesus autem emissa voce magna, expirauit, & velum templi scissum est.

Et cùm iam venisset vespera, quoniam erat parasceue quæ præce-

vt portaret post Iesum.

Et postquam venerũt in locum qui vocatur Caluaria, ibi crucifixerunt eum, & facinorosos, vnum à dextris, alterum à sinistris. Erat autem hora ferè sexta, & tenebræ factæ sunt super terram vsque ad horã nonam, & obscuratus est sol, & velum templi scissum est medium.

Et cùm clamasset voce magna Iesus, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

Et ecce vir nomine Ioseph decurio, &c. oriũdus ab Arimathea

dicitur Caluaria locum, Hebraicè autem Golgatha, vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Iesum.

Iudæi ergo quoniam parasceue erat, vt non remanerẽt in cruce corpora sabbatho (erat enim magnus ille dies sabbathi) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura ac tollerentur, &c.

Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph Arimathiensis, &c. vt tol-

Matthæus.	Marcus.
nomme Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus fuerat Ieſu, hic acceßit ad Pilatum, ac poſtulauit corpus Ieſu.	*dit ſabbathum, venit Ioſeph ortus ex ciuitate Arimathea, &c. Et ſumpta audacia, ingreſſus eſt ad Pilatum, & petijt ab eo corpus Ieſu, &c.*
Tūc Pilatus iußit reddi corpus. Et cùm accepiſſet corpus Ioſeph, inuoluit illud ſindone munda,	*Et cognita morte Ieſu ex centurione, donauit corpus ipſi Ioſeph, & is mercatus ſindonem, depoſitum eum inuoluit ſindoni,*
poſuitque in monumento ſuo nouo quod exciderat, &c.	*depoſuitque in monumento, &c.*

Lucas.	Ioannes.
ciuitate Iudæorum, &c. Hic acceßit ad Pilatum, & postulauit corpus Iesu,	leret corpus Iesu,
	idque permißit Pilatus. Venit autem & Nicodemus, &c. Acceperunt ergo corpus Iesu,
& depositum inuoluit sindone,	& obuinxerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.
	Erat autem in eo loco vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat.
& posuit illud in monumento quod erat in lapide excisum, in quo nondum quisquam positus fuerat.	Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum; quod in propinquo esset monumentum, posuerunt Iesum.
Et erat parasceue, & sabbathum illucescebat.	
Subsequutæ autem mulieres, &c. viderunt monumentũ, & quemadmodũ positũ erat corpus eius. Reuersæ vero parauerũt aromata & vnguenta, ac sabbatho	

28 *Vespera autem sabbato-*
rũ quæ lucescit in vnam
sabbatorũ, venit Maria
Magdalene, & altera
Maria, vt viderẽt sepul-
chrum, &c. Et ecce ter-
ræmotus factus est ma-
gnus. Angelus enim Do-
mini descendit de cœlo,
& accedens deuoluit la-
pidem ab ostio, sede-
bátque super eum, &c.

Sabbathum & Pascha Iudæorum.

16 *Et cùm præterisset sab-*
batum Maria Magda-
lene & Maria Iacobi &
Salome emerũt aroma-
ta, vt venirent & vnge-
rent eum. Et summo di-
luculo diei primi sab-
batorum veniunt ad mo-
numentum exorto so-
le, &c. Et cùm respexis-
sent vident lapidem esse
reuolutum, &c.

Lucas.

quidem quieuerũt iuxta præceptum.

24 *Vno autem ſabbathorum profundo diluculo venerunt ad monumentũ, portantes quæ parauerant aromata, & nonnulæ cum illis.* Reperunt autem lapidem reuolutum à monumento, & ingreſſæ non inuenerunt corpus Domini Ieſu.

Ioannes.

20 *Primò verò die ſabbathorum Maria Magdalene venit mane cum adhuc tenebræ eſſent ad monumentum,*

Maria Magdalene prima ad monumentum venit.

vidétque lapidem ſublatum à monumento.

Currit ergo & venit ad Simonem Petrum & ad alterum illum diſcipulũ quem amabat Ieſus, & dicit illis: Suſtulerunt Dominum è monumento, & neſcimus vbi poſuerũt eum. Exijt ergo Petrus et ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum. Currebãt autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcurrit citius Petro, venitq́; prior ad monumentum: & cùm ſe inclinaſſet, vidit poſita

Petrus & Ioannes ad monumentum.

Et factũ est dũ mẽte consternatæ essẽt de hoc, ecce duo viri steterũt iuxta illas in vestibus fulgurãtibus.

linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eũ, et introiuit in monumentum, & videt linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput eius, nõ cum linteaminibus positũ, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit, & ille alius discipulus qui venerat prior ad monumentum, viditque & credidit, &c.

Abierunt ergo rursum discipuli ad semetipsos.

Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.

Dũ ergo fleret, inclinauit se in monumentum, & videt duos Angelos amictos albis, sedentes, vnũ ad caput & alterũ ad pedes, illic vbi posuerãt corpus Iesu. Dicunt illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Sustulerunt Dominum meum, nec scio vbi, &c.

Hæc cùm dixisset conuersa est retrorsum, & videt Iesum stantem, nec sciebat quòd Iesus esset, &c. Dicit ei Iesus: Noli me tangere, &c. Sed vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem, &c.

Christus apparet Mari. Magdal.

Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos, scio enim quòd Iesum qui crucifixus est quæritis, non est hic, surrexit enim sicut dixit: venite, videte locũ vbi positus erat Dominus. Et citò eũtes dicite discipulis eius quòd surrexit à mortuis: & ecce præcedit vos in Galilæã vbi eũ videbitis, ecce dixi vobis. Et digressæ celeriter à monumẽto cũ timore & gaudio magno, currebant vt nuntiarent discipulis eius.

Cùm aũt issent ad renũtiandum discipulis eius, ecce Iesus occurrit illis, dicẽs: Auete. Illæ autem accesserũt, et tenuerũt pedes eius, & adorauerũt eũ. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere, ite renuntiate fratribus meis, vt eãt in Galilæã, & ibi

At ille (Angelus) dicit eis: Ne expauescatis, Iesũ quæritis Nazarenum, q fuit crucifixus, surrexit, non est hic, ecce locus vbi posuerant illum.

Sed abite dicite discipulis eius & Petro quod ille præcedet vos in Galilæam, illic eũ videbitis, &c.

Et abeuntes cito fugerunt à monumento.

Cũ aũt surrexisset Iesus mane primo die sabbathi, apparuit primum Mariæ Mag. &c.

Illa profecta nũtiauit his qui cum illo fuerant lugentibus ac flentibus.

Lucas.	Ioannes.
Cum expauissent autem & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit. Recordamini, &c.	
Et recordatæ verborum eius, & regressæ à monumento, nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim & cæteris omnibus.	

me videbunt. Quæ cùm abiſſent, ecce quidam è cuſtodibus venerunt in ciuitatem, ac renuntiauerũt principib. ſacerdotum omnia quæ acciderãt, & congregati cũ ſenioribus, cõſilio habito, pecuniam copioſam dederũt militibus, dicentes: Dicite quod diſcipuli eius nocte venerint, & furati ſint eum vobis dormientibus. Et ſi hoc auditum fuerit, &c.

Et illi cùm audiſſent quod viueret, ac viſus eſſet ab illa, non crediderunt.

Poſt hæc autem duob. ex ipſis ambulantibus apparuit in alia forma euntibus rus.

Erat autē Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erāt, quæ dicebāt ad apoſtolos hæc. Et viſa ſunt apud illos ceu deliramentū verba illorū, neque crediderunt illis.

Petrus autē ſurgens, cucurrit ad monumentum, & proſpiciens vidit linteamina ſola poſita, & abijt apud ſemetipſum mirans quod acciderat.

Et ecce duo ex illis ibāt eodē die in caſtellūq đ aberat ſpatio ſtadiorū 60. ab Hieroſolymis, nomine Emaus, & ipſi, &c.

Et factū eſt dum cōfabularentur ac diſputarent, & ipſe

Venit Maria Magdalene annūtiās diſcipulis quod vidiſſet Dominum, et ea dixiſſet ſibi.

Apparet euntibus Emaus.

Et illi abierunt ac renuntiauerunt reliquis, nec his illi crediderunt.

Altera siue secunda sabbathorum.

Postea discumbentibus illis vndecim apparuit.

Iesus appropinquans, ibat vna cũ illis. Cæterum oculi eorum, &c. Atqui super hæc omnia tertius dies est hodie qđ hæc facta sunt. Sed & mulieres quædã ex nobis attonitos reddidere nos, quæ diluculo peruenerunt ad monumentũ, et non inuento corpore eius, venerũt dicentes, se etiam visionem Angelorũ vidisse, qui dicerent eum viuere. Et abierunt quidam eorum qui erant nobiscum ad monumentum, & ita repererunt, &c.

Et dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad, &c.

Et ipse euanuit à conspectu eorum, &c.

Et surgentes eadem hora, regreßi sunt Hierosolyma, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant, dicentes: Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.

Cum autem hæc loquuntur, stetit Iesus ipse in medio corũ, & dicit eis: Pax vobis. Expauefacti verò & cõterriti, exi-

Cùm ergo vespera esset die illo qui erat vnus sabbathorum, & fores essent clausæ, vbi erãt discipuli congregati propter metũ Iudæorum, venit Iesus, stetitq́;

Apparuit apost. & discipulis.

Et exprobrauit illis incredulitatem ſuam, et cordis duriciem, quòd hi qui ipſum vidiſſent reſurrexiſſe non credidiſſent.

Vndecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam in mõtem vbi conſtituerat illis Ieſus. Et cùm vidiſſent illũ, adorauerũt eũ: quidam au-

ſtimabant ſe ſpiritũ videre, & dixit eis: Quid turbati eſtis, &c. Videte manus meas, &c.

in medio, & dicit eis: Pax vobis.

Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus ac latus ſuum, &c.

Hæc cùm dixiſſet flauit in eos, & dicit eis: Accipite *ſpiritũ ſanctũ, &c.* Thomas autem, &c. dixit eis: *Niſi videro in manib. eius veſtigium, &c.* Et poſt dies 8. *iterum erant diſcipuli eius intus, &* Thomas cum eis, *venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis.* Deinde dicit Thomæ: *Infer digitũ tuum, &c.*

App. diſcipulis & Thomæ.

21 *Poſtea manifeſtauit ſe iterum Ieſus ad mare Tiberiadis, &c.*

App. apoſt. & diſcip. ad mare Tiberiadis.

Hac iam tertia vice manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis cùm ſurrexiſſet à mortuis. Cùm ergo prandiſſent dicit Simoni Petro Ieſus: Simõ Ioannis *diligis me? &c.*

App. apoſt. & diſcip. in Galilæa.

Matthæus.	Marcus.
tem dubitauerunt. Et accedens Iesus loquutus eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos, etc. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad cōsummationem seculi.	*Et dicebat eis: Ite in mundum vniuersum, et prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.* *Itaque Dominus quidem postquam loquutus fuisset eis, receptus est in cælum, & consedit à dextris Dei.* *Illi verò egreßi prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia.*

Tunc aperuit illorum mentem vt intelligerent scripturas, & dixit eis: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, &c. Et ecce ego mitto promissum Patris mei super vos. Vos autem sedete in ciuitate Ierusalem quoadusque induamini virtute ex alto.

Eduxit autem eos foras vsque in Bethaniam, et sublatis in altum manibus suis, benedixit eis.

Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.

Christus in cœlũ ascendit.

HAbes, beneuole Lector, ſpeculum harmoniæ Euangelicæ, quanta potuimus breuitate & perſpicuitatẽ digeſtum, in quo cùm manifeſtè 5. paſchata demonſtrauerimus, non eſt quod de completo quadriẽnio doctrinæ Chriſti à primo paſchate Ioan. 2. uſque ad mortẽ eius continuatæ dubitemus. Iam enim & detractione temporis quod clariſsimo Bedæ teſtimonio inter paſsionem Chriſti & Indictionem 14. ſui temporis effluxit, ac peregrinationum Chriſti tẽporaria diſtributione, relinquuntur à 15. anno Tiberij, & baptiſmo Chriſti uſque ad eius mortem, præter menſes aliquot anni 4. integri, ut ſacris quoque iam teſtimoniis confirmetur, quod in opere oſtendimus: Annis Chriſti uulgò cõputatis unum deeſſe, qui error in annis doctrinæ Chriſti tãtum latebat, cæteris ante & retro rectè ad ueritatem ſe habentibus. Porrò cùm unus aut alter ſit locus harmoniæ in quo plurimùm à nonnullis differimus, cogimur in noſtræ diſpoſitionis cõfirmationem eos locos indicare, ac diuerſitatem aliorum refellere. Vnus aſteriſco à nobis notatus eſt Marc. 1. & Luc. 4. ubi ante ingreſſum Capernai à quibuſdam inſeruntur capita Matth. 5. 6. 7. & 8. uſque ad ingreſſum Capernai, quem cum ingreſſu Marc. 1. & Luc. 4. coniungunt, alium aſſerentes leproſum qui eſt Matth. 8. ab illo qui eſt Marc. 1. & Luc. 5. alium item centurionem Matth. 8 ab eo qui eſt Luc. 7. Quæ ſi quis recipiat, atque ita ordine diſponat, uidebit inter 2. Paſcha Ioan. 4. ſignatum, & & Meſſem Marc. 2. & Luc 6. notatam, ſpacio, inquam, duorum ac dimidij menſium circiter comprehendi duas diſtinctas circuitiones totius Galilææ, priorem Matth. 4. quam ex aſsiduo docendi ſtudio, ex ſollicita omniũ languentium curatione, & ex fama undique è uicinis diſsitiſq; regionibus hominum turbas contrahente, facile eſt intelligere non obiter & perfunctoriè factam eſſe. Poſteriorem Marc. 1. & Luc. 4. quam ſimiliter non leuiter factam arguit Chriſti ubique euangelizandi ſtudium à Marco & Luca diligẽter inculcatum. Iam uero poſsint ne tam longæ ac lentæ profectiones tam exiguo temporis ſpacio fieri, uideat qui ſic diſponit: certe ut hoc impoſsibile eſt, ita etiam minimè cõueniebat illam Matthæi Ga-

lilææ



mæꝫ

lilææ peragrationem ab hac Marci & Lucæ distinguere, hoc etiam accedente argumento, q diligenter pensanti uerba Christi Marc.1.& Luc.4.non obscurè apparet primam ibi Galilææ per ambulationē significari Neq uero satisfaciunt rationes quibus leprosum Matthæi ab illo Marci & Lucæ, ac centurionem Matthæi ab illo Luc.7. distinguere conantur. Est & alter locus asterisco notatus ante 19. Matth.& 10. Marci, quo loco Carolus Molineus aliquot Lucæ capita ab initio 10. usq ad allationem infantum cap.18. deinde & Ioan quoq à 7.capitis loco, qui sic incipit: Erat autem in propinquo dies festus, &c. usq ad finem 10.capitis interserit, tū deinceps initia 19. Mat. & 10 Mar. subiungēs, quo stante ordine necesse est Christum post designatos 70.discipulos & ante migrationē è Galilæa in Iudæam Mat.19.& Mar.10.scriptam, quinquies Hierosolymam profectū esse. Primum Luc.10. ubi à Martha & Maria hospitio excipitur: secūdo Luc.13.per ciuitates & castella etiam, longo uidelicet itinere obambulando: tertio Luc.17. per mediam Samariam & Galilæam: quarto Ioan.7 ad festū scenopegiorum: quinto deniq Ioan.10 ad encenia. Verū tot Christo profectiones eo quo breui cōmigraturus erat, easq longinquas, tribuere absurdū uidetur, cū alioqui nonnisi ad celebria festa fere eo soleat ascēdere. Et continuatio capitū Mat.19.& Mar. 10. cum præcedētibus narrationibus non uidetur ullam interruptionem admittere, tum quoq quæ Lucas his capitibus scribit, quæq Ioānes, circa Hierosolymam & in Iudæa fere acta sunt, quemadmodū Luc.17.cap. annotauimus, & è regione 10.Marci, ut post migrationem in Iudæam acta, nō autem antè plane conspiciantur. Sunt & aliæ aliquot nobis cū quibusdam differētiæ, sed minores & quę uel ex annotationibus marginalib. cōsequentiam habēt comprobatam, uel ex tēporum ratione, & profectionū Christi ordine ita se habere conspiciuntur. Ex his duob. enim certissima pēdet euāgelicę historię cōciliatio, ex tēporis, inquam, & peregrinationis successibus, accedit & rerū gestarū paritas, sed hæc nōnunquam fallit: nā res gestæ ad similia quādoq exēpla, aut affines historias, aut alia quauis cōpendij ratione extra tēporis sui locum

& ordinem transferũtur Dogmatum æqualitas minus adhuc certitudinis adfert, pronius enim ad similia transponuntur, & potuit quoq; Christus idem dogma sæpius proponere. Atqui ut finem huius faciamus, nos in hac parte præstitimus quod penes nos fuit, minima curiosè prosequuti non sumus. Si quid rectius inuenerit alter, & nostra qua Christianum decet humanitate & modestia castigauerit, non modo æquanimiter patiemur, sed laudabimus quoque & gratiam habebimus: potior enim nobis est aliũde allata rerum ueritas quam propriarum inuentionum defensatio.

De tempore passionis Domini. Cap. III.

Postquam per eclipses Romanorum consules Imperatorumq; primorum tempora recte à nobis posita esse primo capite demonstratum est, iustam quoq; baptismum Christi positionem assequutum esse, & accedente quadriennio doctrinæ Christi secundo capite comprobato passionem Christi suo loco repositam esse dubitari non poterat, confirmante id quoque certo interuallo à Valentiniani Imperatoris Indictionumq; initio demonstrato retrorsum ad paßionem Christi, vt secundo capite ostendimus. Cæterum pluribus in paßionem Christi ex firmis receptisq; testimonijs cõcurrentibus, verum eius tempus attigisse non videbimur, nisi vno inter se consensu ea cõueniant omnia, proinde quænam illa sint primum, deinde vt tempori à nobis signato consentiãt ostendemus. Citat Eusebius in Chronico suo Phegonem Trallianum Adriani Imp. libertum, egregium Olympiadum supputatorem in 14. suo libro ita dicentem: Quarto autem anno 202. Olympiadis, magna et excellẽs inter omnes quæ ante eam acciderant defectio Solis est facta, dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus est vt stellæ in cœlo visæ sint, terræque motus in Bithynia Nicenæ vrbis multas ædes subuertit. Eadem Phegonis citat Marianus Scotus ex Flacco. Similiter Dionysius Areopagita in epistola ad Polycarpum Smyrneorum episcopum, & item 11. epistola ad Apollophanem ait se cum Apollophane Heliopoli Aegypti feria quadam sexta, & hora pene

sexta Solem, Luna contra naturalem motum ab Orientali parte subingressa, horribilibus subito tenebris obductum vidisse, ac postea Lunam rursum in Orientem & Solis oppositum resilientem obseruasse. Conueniunt *autem hæc à* Phegone & Dionysio *dicta eleganter cum ijs quæ in paßione* Saluatoris *acciderunt: factæ sunt enim tenebræ moriente* Christo *super vniuersam terrã ab hora 6. vsq; ad 9. hoc est à meridie vsq; ad tertiam pomeridianam, vt est* Mat. 27. Mar. 15. & Luc. 13. *idq; tempore oppositionis Solis et Lunæ, vt amplius videbimus.* Et Lucianus Antiochenus Martyr *(quem citat* Onuph. *in fast. comment. pag. 909. a.) cum iudicibus quorũ tribunalibus astabat, diceret:* Perquirite *in annalibus vestris, & inuenietis temporibus* Pilati Christo *patiente, fugato Sole interruptum tenebris diem: de eadẽ proculdubio* Solis *obscuratione attestatur.* Habemus *ex his testimonijs annum et horam mortis* Christi *determinata, nec non &* Lunam Soli *oppositam, de quo mox plura testimonia audiemus, & feriam præterea sextam, qua omnis antiquitas vniuersaq; ecclesia confitetur* Christum *crucifixum fuisse: cui etiam consentit* Dominicæ *resurrectioni celebrãdæ sola dominica dies ab* Irenæo *ad* Victorem Romanum *scribente adiudicata & approbata, quod eo die* Dominus *resurrexerit isq; tertius à morte eius fuerit.* Deinde *quia* Ioannes *cap. 18. dicit* Iudæos *non intro ijsse in prætorium ne contaminarentur, sed vt ederẽt* Pascha*, manifestum est* Christum *in parasceue* Iudæorum *crucifixum fuisse, quamobrẽ & mense* Nisan *& die eius* 14. Decimaquarta *enim eius die ad vesperã paschalis anus edendus, & 15. die solennitas azimorum celebranda*

præci-

præcipitur. Exo.12.v.6.18.& Leuit.23.v.5.& Nu.9. v.2.3. Quam legem tamen ſcribunt Hebræi à Rabbi Eleazaro in ſecunda templi conſtructione quibuſdam de cauſis ita reſtrictam fuiſſe, vt nũquam debeat paſcha feria 2.4.aut 6. celebrari, ſed in huiuſmodi euentu aliquo in proximum diem transferri, vt refert Munſterus in Calendario Heb.pag.128.& Paul.Foroſ.lib.3. de die paſſionis Domini. Porro menſes ſuos Hebræi à nouilunio inchoant, ſic enim 1.Eſd.10.v.16.primus dicitur menſis decimi dies, qui 3. Eſd.9.v.16.nouilunium mẽſis decimi dicitur. Et 1.Eſd.10.v.17.dicitur primus dies primi mẽſis, qui 3.Eſd.9.v.17.dicitur neomenia primi menſis. Et qui dies 2.Eſd.8.v.2. appellatur primus menſis ſeptimi, idem 3.Eſd.9.v. 40. eſt nouilunium menſis ſeptimi. Itẽ 2.Par.2.v.4.repetit Salomon eodem ordine ſacrificia legis, quo Num.28.v.11. calendæ & capita menſium appellantur, reliqua ſacrificia vno ſolennitatis nomine cõplectitur. Eodem ordine quoq; recitantur ab Eſd. lib.3. cap.5.v.52.& loco calendarum ponuntur neomenia. Similiter et Iudith cap.8.v.6. Hoc menſiũ principij reſpectu 3. Eſd.1.v.1. dicitur Ioſias Phaſe Luna decimaquarta primi menſis immolaſſe, & rurſum 3.Eſd.7.v.10.ſcribunt filij Iſrahel Luna decimaquarta menſis primi phaſe egiſſe, quia nimirum decimusquartus dies, etiam decimaquarta Luna vocatur. Ioſephus quoque Ant.lib.3. cap.13. ſcribit ſacrificium paſchæ quartadecima Luna, ſole oppoſito in ariete fieri ſancitum fuiſſe. Quæ ratio celebrandi paſchatis poſt[illegible] apud Chriſtianos multo tempore vſitata fuit, vt videre licet apud Euſebium Eccl.hiſt.lib.5.cap.24.& 25. vbi Polycrates Epheſiorum

episcopus nomine episcoporum Asiæ ad Victorem Romanum scribens, Ioannem & Philippum apostolos, Polycarpum, Thrascam, Sagarem, Papyrium & Melitum episcopos per Asiam decimaquarta Luna pascha celebrasse ait, eamq; traditionem ad sua vsq; tempora continuatam fuisse, vt dubium non sit tēpore paßionis Christi Hebræos in paschatis immolatione Lunæ decimæquartæ rationem habuisse. Neq; vero neomenia ad primum Lunæ conspectū eos constituisse, sed ad medias Solis & Lunæ coniunctiones respexisse constat per ea quæ Paul. Forosemproniensis lib. de die paßionis dominicæ 8. cap. 2. ex Gamaliele Pauli apostoli pædagogo de cyclo lunari & menstruo motu adducit, & si pascha Luna decimaquinta & Soli opposita celebrandum erat, non à cōspecta Luna, sed primum nata mensis inchoādus erat. Neq; rursum ad mediam luminarium coniunctionem tantum respexisse, atq; inde pascha deduxisse credibile est, quod cùm per Moysen Deus paschatis legem ferret, subtilis illa & perplexa mediorum motuum ratio nondum inuenta fuerit, vt multis argumentis doceri posset, sed circa Salmanassaris demum tempora in huiusmodi inuestigari ceptum esse apparet, qui vt maximè inuenti fuissent, non tamen est verisimile Deum ad tam exquisitam supputationem earum coniunctionum, quas humana ratio excogitauit, & adinuenit, ecclesiam suam astringere voluisse, cùm nec veritati semper vt videbimus respondeat, sed hoc voluit vnicè, vt ad egreßionis ex Aegypto similitudinem 14. die mensis, cùm Luna totam noctem illustrat, victimam transitus Domini celebrantes memoriam summi beneficij in Aegypto præstiti Israelitæ

recole-

recolerent, simul'que alterius & maioris liberationis, cuius illa typus erat, per Christum præstandæ mysteria peragerent. Itaque ad Lunam plenam potius quam ad nouilunia lex paschatis respicit, qua tantum beneficium populo Dei exhibitum fuit, quáque etiam Christus moriturus erat, vt se illius agni paschalis typici exemplar & complementum esse, vel digito monstraret. Hanc igitur in diem paschæ lex requirere, omnino videtur, neque media oppositione contenta esse, & Iosephi verba paulo antè allegata non nisi de vera oppositione loqui videntur. Quamobrem vt sacræ scripturæ satisfaciamus, nec quicquam sit quod legi dissonum in hac conscriptione reperiri, & scrupulum facere possit, non mediam tantum oppositionem indagare debemus, sed verum plenilunium in secundum Aprilis diem demonstrare. Collegimus igitur tempus paßionis Christi fuisse annum 4. Olympiadis 202. mensem Nisan, diem Veneris, Luna soli opposita, quam oppositionem secundo Aprilis, & Veneris die factam fuisse demonstrabimus: vnde constabit Christum iuxta legem recte Luna decimaquarta, die Iouis ad vesperam, qua decimusquartus item dies Nisan terminari iuxta legem debebat, initio inquam diei Veneris & decimiquinti Nisan, agnum paschalem cum discipulis edisse, & sequente luce eodem inquam die Veneris eodemq́; 15. Nisan, Luna in oppositione Solis existente, se verum agnum paschalem Deo patri pro totius mundi peccatis obtulisse, Iudæos autem iuxta constitutiones humanas diem decimumquartum Nisan in Veneris diem transtulisse, & pascha in sabbatum, magno diuinæ præordinationis mysterio, vt nimi-

episcopus nomine episcoporum Asiæ ad Victorem Romanum scribens, Ioannem & Philippum apostolos, Polycarpum, Thraseam, Sagarem, Papyrium & Melitum episcopos per Asiam decimaquarta Luna pascha celebrasse ait, eamq; traditionem ad sua vsq; tempora continuatam fuisse, vt dubium non sit tẽpore passionis Christi Hebræos in paschatis immolatione Lunæ decimæquartæ rationem habuisse. Neq; vero neomenia ad primum Lunæ conspectũ eos constituisse, sed ad medias Solis & Lunæ coniunctiones respexisse constat per ea quæ Paul. Forosemproniensis lib. de die passionis dominicæ 8. cap. 2. ex Gamaliele Pauli apostoli pædagogo de cyclo lunari & menstruo motu adducit, & si pascha Luna decimaquinta & Soli opposita celebrandum erat, non à cõspecta Luna, sed primum nata mensis inchoãdus erat. Neq; rursum ad mediam luminarium coniunctionem tantum respexisse, atq; inde pascha deduxisse credibile est, quod cum per Moysen Deus paschatis legem ferret, subtilis illa & perplexa mediorum motuum ratio nondum inuenta fuerit, vt multis argumentis doceri posset, sed circa Salmanassaris demum tempora in huiusmodi inuestigari ceptum esse apparet, qui vt maximè inuenti fuissent, non tamen est verisimile Deum ad tam exquisitam supputationem earum coniunctionum, quas humana ratio excogitauit, & adinuenit, ecclesiam suam astringere voluisse, cum nec veritati semper vt videbimus respondeat, sed hoc voluit vnicè, vt ad egreßionis ex Aegypto similitudinem 14. die mensis, cum Luna totam noctem illustrat, victimam transitus Domini celebrantes memoriam summi beneficij in Aegypto præstiti Israelitæ recole-

recolerent, simul que alterius & maioris liberationis, cuius illa typus erat, per Christum præstandæ mysteria peragerent. Itaque ad Lunam plenam potius quam ad nouilunia lex paschatis respicit, qua tantum beneficium populo Dei exhibitum fuit, quáque etiam Christus moriturus erat, vt se illius agni paschalis typici exemplar & complementum esse, vel digito monstraret. Hanc igitur in diem paschæ lex requirere, omnino videtur, neque media oppositione contenta esse, & Iosephi verba paulo antè allegata non nisi de vera oppositione loqui videntur. Quamobrem vt sacræ scripturæ satisfaciamus, nec quicquam sit quod legi dissonum in hac conscriptione reperiri, & scrupulum facere possit, non mediam tantum oppositionem indagare debemus, sed verum plenilunium in secundum Aprilis diem demonstrare. Collegimus igitur tempus paßionis Christi fuisse annum 4. Olympiadis 202. mensem Nisan, diem Veneris, Luna soli opposita, quam oppositionem secundo Aprilis, & Veneris die factam fuisse demonstrabimus: vnde constabit Christum iuxta legem recte Luna decimaquarta, die Iouis ad vesperam, qua decimusquartus item dies Nisan terminari iuxta legem debebat, initio inquam diei Veneris & decimiquinti Nisan, agnum paschalem cum discipulis edisse, & sequente luce eodem inquam die Veneris eodemq; 15. Nisan, Luna in oppositione Solis existente, se verum agnum paschalem Deo patri pro totius mundi peccatis obtulisse, Iudæos autem iuxta constitutiones humanas diem decimumquartum Nisan in Veneris diem transtulisse, & pascha in sabbatum, magno diuinæ præordinationis mysterio, vt nimi-

rum parasceuen suam occidendo vero agno nostro die per legem præconstituto impenderent, sic enim verum pascha, verus à tenebris ad lucem, à lege ad gratiam trāsitus, & primus azimorum dies in ipso plenilunio, quo decimusquintus dies Nisan agi debebat, iuxta legis mandatum celebratus est.

Inuentis iam ijs quæ in paßione Domini concurrere debent, deinceps videndum est, num eadem in locum paßionis à nobis signatum coincidant, vnicam autem luminarium oppositionem ab æquinoctio verno primam si in Veneris diem incidere probauerimus, de reliquis non erit quod laboremus, mensem enim hæc probatio secum adferet, annum vero 4. Olympiadis 202. paßioni Christi à nobis positæ coincidere ipse lector vides, hoc tantum obserua eum annum non Romano sed Græco more accipiendum esse, vt qui à Græco scriptore olympica non Romana tempora tractante annotatus est: Romana enim supputatione primus Olympiadis 203. diceretur. Quod ad plenilunium dominicæ paßionis attinet, non aliunde conuenientius propiusq; ad veritatem illud deducemus, quam ex proxima obseruatione aliqua, quæ accuratè facta extat, qualis est illa Agrippæ anno à Nabonassaro 840. quam Ptol. lib. 7. cap. 3. describit, post cuius obseruationis tempus diebus 2. horis 23. 22. mediam oppositionem factam esse, eamq; in primum Decembris diem completum, & horas 18. 1. incidisse, paulo pòst cùm ad eclipses venerimus ostendemus. Ab hac itaque media oppositione si in anteriora syzygias sumamus [illegible]o. [illegible] anni Aegyptij 59. dies 258. horæ 13. 55. à quibus si auferantur dies interca-

lares

lares 15. qui hoc interstitio inueniuntur, fient anni Románi 59. dies 243. horæ 13. 55. quod tempus etiam ad conspectum quamproxime respondet interuallo in opere admissô. Hoc ergo tempore ab oppositione illa anni 840. subducto inuenietur media oppositio tẽpore passionis Christi signato Aprilis die 2. completo, & horis 4. 6. nondum quidem prout lex paschatis intelligenda videtur iusto loco, sed tum demum ad eum reducenda, cùm quis in menstruo motu hactenus latuerit error disquisiuerimus, quantum autem absit à iusto loco nunc videbimus. Cõstitutio veterum Hebræorum habet, quod ille dies prima Luna nominandus sit, ante cuius meridiem vel vno momento nouilunium contingit, quod si post meridiem fiat appellationẽ eam in sequentem diem cadere. Cùm ergo extremum tempus quod primam Lunam efficit sit meridies, numeremus à meridie 19. diei Aprilis (quem nos primam Lunam tempore paßionis Christi dicimus) dimidiatum interlunium videlicet dies 14. horas 18. 22. habebimus diem 2. Aprilis completum & horas 6. 22. Si nunc illa constitutio de media coniunctione intelligi potest, erit eadem hora 6. 22. secundi Aprilis proximus terminus ad quem pertingere debebit calculus ab Agrippæ oppositione media sursum deductus, atqui hunc terminum superat ille horis 2. 16. sic ergo demonstratum esset secundum Aprilis recte Lunam decimamquintam dici, nec deficeret calculus. At si veros congressus respiciamus, & inæqualitates motus Solis & Lunæ tam in oppositione quam in nouilunio paschali conferamus, inueniemus dimidiatum interlunium verum medio maius esse horis circiter 3.

ſic vt noua Luna ad meridiem ſecundi Aprilis data, excurrat plenilunium ad ſummum in Aprilis ſecundum diem completum & horas 9.22. quo tempore motus inæqualitatis Lunæ reperitur graduum 24.5. & medius motus maior vero gr. 1.53. Solis item medius locus grad. 8.0. ♈. & medius minor vero gr. 2. ita vt oppoſitio media inueniatur veram præcedere horis 7.39. quas ſi auferamus ab inuento veræ oppoſitionis datæ termino, fiet tempus mediæ oppoſitionis 2. dies Aprilis completus cum hor. 1.43. Hic ſecundus terminus erit, ad quem peruenire debebit calculus primum factus, qui ab illo deficit horis 2.23. Porro ſi vtrolibet dictorum modorum Lunam primam inchoemus, fiet vera oppoſitio & plenilunium poſtridie paſchæ, hoc eſt decimaſexta Luna, quod num Lex à Deo per Moyſen lata aliquo modo patiatur ignoro, poſtquam ea vt diximus ad plenilunium ſpectare videatur. Si ergo vt credimus ipſum plenilunium in diem paſchæ incidere debebat, (is autem iuxta Dei legem quam Chriſtus impleuit terminabatur cum ſexta hora pomeridiana ſecundo Aprilis die) erit hic idem diei terminus extremus locus qui plenilunio dari poterit, ad hoc vt Paſcha ſecundum legem in ſecũdum Aprilis diem incidat, in eodem autem termino inæqualitates Solis & Lunæ collatæ efficiunt mediam oppoſitionem priorem vera horis 6.24. quibus ab horis 18. ſublatis manebit primus dies Aprilis completus & horæ 11.36. qui erit terminus tertius & longiſsimus, quem calculo apprehendi debere credimus. Ab eo differt ſupputatio ex Agrippæ oppoſitione facta horis 16.30. quo illũ per ducere tentabimus, ne quid dubitari

bitari poßit plenilunium rectè iuxta omnē legis interpretationem in secundum Aprilis diem incidere, in quo sane multum olei & operæ impendimus antequam idonea via se panderet, tandem autē gratia et auxilio Christi apud Bedā obseruauimus cyclos decemnouales Dionysij Romani in consequentia ad annum Domini 566. & Bedæ in anteriora eodem excurrentes quatriduo inter se differre, rursus Bedæ cyclū in annū Christi 1082. extensum biduo, vt ibi adscripsimus, errare: vnde astronomicum calculū à Ptolomeo, alijsq; præscriptum à vero aberrare suspicio fuit, quòd ad eius rationem cyclos ordinatos constaret: neq; vero fefellit nos suspicio: cum enim studiose eclipses omnes, primū quæ in opere Ptolomei extant, deinde quæ apud historicos sunt collegissem, & menstruo tempore dierum 29. horarum 12.44.3.32 tanquam vna & communi omnium mēsura, interstitium à singulis eclipsibus ad singulas proximas dimēsus essem, inueni hunc Ptolomæi calculum per interualla veritati cōuenire, alias autē nunc deficere, nunc abundare, vt dubium non sit aliam quandam & maiorem esse Lunæ inæqualitatem siue simplicē siue compositā, quam quæ epicyclo à Ptolomæo inuēto restitui et æquari posſit. Quæ inæqualitas ideo Mathematicos hactenus latuit, quod cùm ex longo eclipsium interuallo temporis & circuitionum collatione motuum mēsuras adinuenissent, non cogitarint intermedias eclipsium distantias ad eandem mensuram exigere, & num vbiq; conueniat experiri, persuasi quæ ad sua breuis vitæ tempora quadraret motus quantitas, eandē per omnia approbatam habendam esse, quanquam ne hanc quidem ab omni absolutè

lutè errore, qui iusto annorum curriculo in notabilem deuiationem euadere poßit, imbecille sensus iudicium vindicare valet.

Ad probandum igitur instabilem inæqualitatẽ illam menstrui motus ab Astronomis nõ animaduersam, eclipses coniunctiones oppositionesq́; iuxta temporis consequentiam ex ordine ponemus, & à qualibet in proximam sequentẽ verum temporis interstitium colligemus. Verum autem interstitium vocamus quod veras oppositiones coniunctionesq́; interiacet. Vero interstitio posito, si eclipses à doctis viris obseruatæ sunt, et tempus exacte determinatum habent, proxima cura erit in qualibet eclipsi eiusq; oppositione aut cõiunctione vera motum inæqualitatis Lunæ, hoc est distantiam eius ab apogeo epicycli iuxta Ptolomæi calculum addere, vt linea medij motus Lunæ inuenta, eaq́; cum linea medij motus Solis collata, patefiat quanto tempore media oppositio mediáue coniunctio veram antecesserit aut sequatur, ac sic inter quaslibet coniunctas eclipses medium interstitium innotescat. Medium autem interstitium vocamus quod medias coniunctiones oppositionesq́; interiacet. Porro motus inæqualitatis Lunæ in qualibet vera oppositione coniunctionéue (si quando ab obseruatore mathematico annotatus non est) mediante inæqualitatis motu qui vero interstitio respõdet inuenietur, à præcedente quidem eclipsi additione, à sequenti vero subductione. Quamobrem in sic obseruatis eclipsibus post verum interstitium, motum inæqualitatis Lunæ eidem respondentem subiungimus, quo ad inæqualitatem in vera oppositione aut coniunctione precedẽte inuentam addito,

dito, ſit motus inæqualitatis in vera oppoſitione cõiunctioneúe ſequẽte, aut eodem à ſequentis veræ oppoſitionis ſiue coniunctionis motu ſubducto, ſit motus inæqualitatis in vera oppoſitione coniunctioneúe præcedente. Medio autem interſtitio inuento ad eius menſurationem iuxta Ptolomæi computum accedendum eſt, primum interſtitio vero ſyzygiarum ſiue menſtruarum periodorũ numerum ſubſcribimus eum, quẽ emenſurando eiuſdem interſtitij tempori competere inuenimus, hunc numerũ in tẽpus vnius ſyzygiæ, videlicet dies 29. horas 12. ſcrupula prima 44. ſecunda 3. tertia 32. ducimus, quod prouenit tempus ſyzygiarũ numero ſubnectimus, hoc iam tempus cũ medio interſtitio collatum oſtendit num medius ille Lunæ & menſtruus motus à Ptolomæo præſcriptus veritati reſpondeat, an vero tardior celeriorúe ſit veritate obſeruata. Hanc rationẽ exactiorem ſequemur vbi exactius tempora obſeruata ſunt & annotata. Neq; tamen hic temporis æquationem curamus, quæ minutorum tantum aliquot differentiã nobis planè negligendã in motu efficit, quandoquidẽ exiguum calculi errorem deprehendere contenti nõ ſumus, ſed magnum & manifeſtum requirimus, quẽ nulla æquatio compenſare, nulla obſeruationis iuxta præcepta, quantum facile eſt, adhibitæ fallacia excuſare poteſt, qualem in non dubiæ obſeruationis eclipſibus (vt ſunt omnes illæ à Ptolomæo in magna conſtructione deſcriptæ) demonſtrare in primis eſt neceſſarium, quo in cæteris maior multò inuẽtus error, etiam ſine definita determinatione adhibita fidem proniorẽ inueniat. Vbi vero minus exactè determinata ſunt tempora, etiam inæqualitatis Lunæ motum, adeoq;

media interstitia relinquemus, cum quod incertum sit alius ne in re sit motus ille, quàm Ptolomeus præscripserit, ac posterioribus sæculis multum à vero abierit, tum quod indeterminata interualla iustum eius numerũ reddere non possunt. Neq; vero illius vsu ad nostram intentionem admodum opus erit, cum tantus menstrui calculi euasurus sit error, etiamsi maximarum inæqualitatum remedium adhibeatur, vt ad vnius diei fere intercalationem, quem nos requirimus demonstrandam sufficiat. Solis loca si quãdo in eclipsibus ab autoribus omissa sunt, & necessitas ita exigat, ex alijs obseruatis locis non aliter quam Lunæ inæqualitatem quæremus. Latitudinis Lunæ motum nonnunquam annotabimus, nõ quod nobis in hoc instituto sit necessarius, sed vt eius quoq; inconstantia studioso lectori suboleat, & altius de eo speculandi exordium detur. Nunc ad eclipses examinandas veniamus.

28. anno à Nabonassaro Lunæ eclipsis facta fuit, cuius medium erat Alexandriæ Thot 18. sequẽte 19. ante mediam noctem horis 0.50. Latitudo Lunæ fuit septẽtrionalis, distititq; à nodo ascendente gr. 9.′35. & à maxima epicycli longitudine 12. 2′4. Medius igitur Lunæ motus maior fuit vero gr. 0.′59. ferè.

Interstitium verum dies 176. horæ 20. 3′0. quibus respondet motus inæqualitatis Lunæ, videlicet à maxima epicycli longitudine gr. 150. 3′5. 47. 57. 44. 44. 43.

Et syzigiæ siue mẽsés lunares 6. quibus respondent dies 177. horæ 4. 24. 21. 12.

Mediũ interstitium hoc est à media oppositione ad

ferè. Solis medius minor vero 2.2´0. Itaq; medius Lunæ locus trãsijt oppositum mediũ Solis, & præceßit media oppositio veram horis 6.3´4.

mediã augmento illic præcedentis hic sequentis mediæ oppositionis fit dierũ 177. horarum 4.35. Deficiunt ergo syzigiæ in tẽpore à medio interstitio hor. 0.10.38.48.

28. anno Lunæ eclipsis Phamenot 15. sequente 16. horis 4.20. ante mediam noctem Alexandriæ. In cuius medio collectione ad præcedentis inæqualitatem fit Lunæ à maxima epicycli longitudine motus gr. 162. 59. 47. 57. 44. 44. 43. Medius ergo eius motus maior vero gr. 1.36. Et Solis in gr. 3.15. ♍ existentis medius motus maior est vero gr. 2.22. ferè. Ideoq; mediæ oppositionis distantia gr. 0. 46. & sequuta est media oppositio veram horis 1.31.

Interstitium verum anni Aegyptij 98. dies 257. horæ 9.20. quibus respondet inæqualitatis Lunæ motus gr. 177.13.5.58.26.0.26. Et syzigiæ 1220. quæ efficiunt annos Aegyptios 98. dies 257. horas 7.51.50.40.

Mediũ interstitium adhibita detractione à vero iuxta rationẽ inæqualitatũ fit anni Aegyptij 9.8 dies 257. horæ 8.4. 45. Deficiunt ergo syzigiæ horis 0. 12.55.

127. Lunæ eclipsis Athir 27. sequente 28. horis 5. post mediam noctem Alexandriæ, in cu-

Interuallum verum anni Aegyptij 98. dies 109. horæ 17.10. qui-

in cuius medio colligitur inæqualitatis Lunæ motus gr.340. 12.53. 56. 10. 45. 9. Medius ergo Lunæ motus minor vero gr. 1. 34. Et Solis in gr. 27. 3. ♈.existẽtis,medius minor est vero gr. 1. 26. Media igitur oppositionis distãtia gr.0.8. & sequuta est media oppositio verã horis 0.15.45.

bus respondet inæ qualitatis Lunæ motus gr. 47. 51. 54 .27. 39. 16. 46.

Et syzygiæ 1215.quæ efficiunt annos Aegyptios 98.dies 109.hor. 16. 11. 33.0. Syzygiæ abundant horis 0. 36. 18. Medium enim interuallum est ann.98.dies 109.horæ 15.35.15.

225.Lunæ eclipsis Phamenoth 17.sequente 18. horis 1.50. ante mediam noctem Alexãdriæ, in cuius medio colligitur inæqualitatis motus gr.28.4.48.23. 50. 1. 55. Medius Lunæ motus maior vero gr.2.11. Et Solis existentis in 18.12.♋. medius maior est vero gr.1.31. Mediæ ergo oppositionis distantia gr. 0.40: & præcessit media oppositio veram horis 1.19.

Interuallũ anni Aegyptij 21.dies 131. horæ 0.35.Inæqual. Lunæ motus gr.334. 55. 26.8.35.58.7.Syzygiæ 264. Anni Aegyptij 21. dies 131. hor.1. 51. 32.48.

Mediũ interstitium anni Aegyptij 21. dies 131.horæ 2.21.45. Deficiunt syzygiæ horis 0.30.13.

246.Lunæ eclipsis Epiphi 28. sequente 29. hora 1. 15. ante mediam noctem Alexãdriæ,in cuius

Interstitiũ anni 10.dies 159. horæ 23.55.

ius medio colligitur fuisse inæqualitas Lunæ gr. 3.0. 14. 32. 26. 0. 2. & medius Lunæ motus maior vero gr. 0. 14. Medius Solis motus inter hanc & præcedentem oppositiones est gr. 12. 4. proinde hic ab Apogeo distantia media gr. 168. 15. vbi medius motus maior est vero gr. 0. 33. Media ergo oppositionis distantia fuit gr. 0. 19. & sequuta est media oppositio veram horis 0. 27. 45.

Inæqual. Lunæ gr. 97. 32. 21. 36. 46. 42. 46.
Syzygiæ 129. quæ faciunt annos Aegyptios 10. dies 159. horas 10. 43. 35. 48.
Mediū interstitium ann. 10. dies 159. horæ 18. 12. 15. Deficiūt syzygiæ hor. 7. 28. 24.

157. Lunæ eclipsis Tybi 3. sequēte 4. hora 1. 20. ante mediam noctem Alexandriæ, in cuius vera oppositiōe colligitur motus inæqualitatis lunæ gr. 100. 32. 36. 9. 12. 42. 48. ideóque medius motus maior vero gr. 5. 0. Medius Solis à præcedente eclipsi ad hanc est gr. 279. 18. fere, ac proinde media ab apogeo distantia gr. 87. 33. vbi medius motus maior est vero gr. 2. 20. Distantia igitur oppositionis media gr. 2. 40. & præcessit media oppositio veram horis 5. 15.

Interstitiū anni Aegyptij 108. dies 268. horæ. 7. 50. Inæqual. lunæ gr. 127. 18. 14. 27. 18. 48. 26.
Syzygiæ 1344. quæ faciunt annos Aegyptios 108. dies 269. horas 2. 55. 8. 48.
Mediū interstitiū anni Aegyptij 108. dies 268. horæ 18. 24. 15. Abundāt syzygiæ hor. 8. 30. 53.

366. Lunæ eclipsis Thoth 26. sequente 27. post meridiem diei 26. horis 18.30. Alexandriæ, in cuius vera oppositiōe colligitur inæqualitatis Lunæ motus gr. 227.50.50.35.31.31.14. et medius Lunæ motus minor est vero gr. 3.56. Solis existentis in 28. 18. ♐. minor est medius motus vero gr. 0. 57. Distātia oppositionis mediæ gr. 2.59. & sequuta est media oppositio verā horis 5. 19.15.

Interuallum dies 177. horæ 11.26.
Inæqualit. Lunæ gr. 159. 10. 46. 38. 48.48.57.
Syzigiæ 6. quæ faciunt dies 177. horas 4.24.21.12.
Medium interuallum dies 177. horæ 3.8.29.
Abundant syzigiæ horis 1.15.52.

366. Lunæ eclipsis Phamenot 24. sequente 25. ante mediam noctem horis 4.24. Alexandriæ, in cuius oppositione vera colliguntur inæqualitatis Lunæ gr. 27. 1. 37. 14. 20. 20.11. Medius eius motus maior est vero gr. 2. 6. Solis in gr. 21. 46. ♊. existētis, maior est medius motus vero gr. 0. 36. Distantia oppositionis mediæ gr. 1. 30. Præcessit ergo media oppositio veram horis 2.58.16.

Interstitium dies 177. horæ 2.34.
Inæqualit. Lunæ gr. 153.53.57.5.48. 35.44.
Syzigiæ 6. efficiunt dies 177. horas 4.24.21.12.
Medium interstitium dies 177. horæ 4.39.16.
Deficiunt syzigiæ horis 0.14.55.

367. Lu-

367. Lunæ eclipsis Thoth 16. sequente 17. post meridiẽ horis 10.10, Alexandriæ, in cuius medio colligitur inæqualitatis Lunæ motus gr. 180. 55.34.20.8.55.55. & medius motus minor uero gr. 0. 5. Solis in 17.30. ♐. constituti, minor est medius motus uero gr. 0.32. Mediæ oppositionis distãtia gr. 0.27. & præcessit media oppositio ueram horis 0.53.

418. à Nabon. demõstrauimus eclipsim Lunæ, quæ contigit Alexandro ad Arbelam cum copijs Darij confligente, horis 5.30. circitèr serius factã quàm calculus Ptolomæi ex eclipsi hic proximè præcedente colligat, quod aptè admodum cum præcedentiũ syzigiarum defectu consonat.

367. Lunæ eclipsis Toth 16. sequente 17. post meridiem horis 10.10. &c.

454. Timocharis Alexandriæ obser.

Interstitium anni Aegyptij 87. dies 108

obseruauit coniunctionẽ Lunæ cũ spica ♍. Tybi 5. finito & horis 8. proxime. Sol erat in 15. gr. ♓. ubi medius Solis motus minor est uero gr. 2. 2′ 0. & Luna in 21. 21. ♍. Inæqualitatis Lunæ motus ad tempus obseruationis à maxima epicycli longitudine media colligitur gr. 322. 21. 38. 5. 13. 28. 5. & medius Lunæ motus minor uero gr. 2. 52. ut fiat media luminarium distantia gr. 181. 9. in qua adhibitis æquationibus iuxta Ptolemæi præscriptum lib. 5. cap. 9. inuenitur inæqualitas Lunæ æquata grad. 322. 25. proxime, et medius motus minor uero gr. 2. 50. Itaq; rectificata luminariũ distãtia fuit gr. 181. 11. Cùm ergo tẽpore obseruatiõis præterierit medius locus Lunæ medium Solis gr. 1. 11. præcesßit media oppositio obseruationem horis 2. 20.

Media igitur oppositio facta est Tybi 5. finito horis 5. 40.

108. hor. 21. 50.

Inæqualitatis Lunæ gr. 141. 26. 3. 45.

Inæqualitas Lunæ ab eclipsi anni 367. ad mediam oppositionẽ an. 454. graduum 140. 9. 50. 24

Syzigiæ 1079. faciunt annos Aegyptios 87. dies 108. horas 12. 19. 32. 28.

Medium interstitium anni 87. dies 108. horæ 19. 30.

Deficiunt syzigiæ horis 8. 4.

547

547. Lunæ eclipsis 16. Mesori (completo) post meridiem eius horis 7. Alexandriæ, in cuius oppositione uera colligitur inæqualitatis Lunæ motus grad. 300.1.13.33.37. & medius eius motus minor uero gr. 4.8. Et Solis in 26.6.♍. uersantis maior est medius motus uero gr. 2.16. Itaq; mediæ oppositionis distantia est gr. 6.24. & sequuta est media oppositio uerã horis 12.37.

Interstitiũ anni Aegyptij 93. dies 221. hora 1.20.

Inæqualitatis Lunæ gr. 338.55.48.49.29.

Syzigiæ 1157. annos faciũt 93. dies 221. horas 21.36.8.4.

Interstitium medium anni 93. dies 221. horæ 13.57.

Abundãt syzigiæ horis 7.39.

548. Lunæ eclipsis die 9. Mechir (cõpleto) post eius meridiẽ hor. 13.20. Alexãdriæ. Colligitur in oppositione uera motus inæqualitatis Lunæ gr. 109.2.6.18. & motus medius maior uero gr. 4.51. Sole aũt in gr. 26.17.♓. existẽte, minor est medius motus uero gr. 2.11. Distãtia oppositionis mediæ gr. 7.2. & præcessit media oppositio ueram horis 13.52.

Interuallũ dies 178. hor. 6.20.

Inæqualit. Lunæ motus gr. 169.0.52.45.1.39.55.

Syzigiæ 6. faciunt dies 177. horas 4.24.21.12.

Interuallũ medium dies 177. hor. 3.51.

Abundãt syzigiæ horis 0.33.

548. Lunæ eclipsis totalis die 5. Messori (cõpleto) hor. 14. 15. post eius meridiẽ Alexandriæ, in cuius medio colligitur inæqualitatis Lunæ motus grad. 248. 58. 15. & medius mot⁹ minor uero 4. 49. Solis in 15. 12. ♍. existentis maior est medius mot⁹ uero gr. 2. 23. Distantia mediæ oppositionis gr. 7. 12. et sequuta est media oppositio uerã hor. 14. 11.

Interuallũ dies 176. hor. 0. 55.

Inæqualit. Lunæ gr. 139. 56. 9. 34. 31. 0. 0.

Syzigiæ 6. dies faciũt 177. hor. 4. 24. 21. 12.

Medium interuallũ dies 177. hor. 4. 58.

Deficiũt syzigiæ horis 0. 33. 39.

574. Lunæ eclipsis Phamenot 27. cõpleto, sequente post mediũ noctis horis 2. 30. Alexandriæ, in cuius uera oppositione colligitur inæqualitatis Lunæ motus gr. 163. 28. 36. & medius motus maior uero gr. 1. 33. Solis in grad. 6. 16. ♉. existẽtis minor est medius motus uero gr. 1. 10. Distãtia oppositionis mediæ gr. 2. 43. præcessit igitur media oppositio ueram horis 5. 22.

Interstitiũ anni Aegyptij 25. dies 237. hor. 0. 15.

Inæqualit. Lunæ gr. 274. 30. 20. 15. 57. 49. 8.

Syzigiæ 317. faciũt annos Aegyptios 25. dies 236. horas 3. 6. 40. 4.

Medium interstitiũ anni 25. dies 236. hor. 4. 42.

Deficiũt syzigiæ horis 1. 35. 20.

607.

607. *Lunæ eclipsis Tybi 2. sequente 3. ante mediã noctem horis 1.50. Alexandriæ. Luna distabat à maxima epicycli longitudine gr. 178.46. Sol exactè obtinebat gr. 5.8.* ♒. *Ptol. lib. 6. cap. 5. Medius ergo Lunæ motus maior est uero gr. 0. 10. Solis medius minor uero gr. 2.5. Distãtia mediæ oppositiõis gr. 2.15. & præceßit media oppositio uerã horis 4.2′6.*

Interstitium anni 32. dies 279. hor. 19.40.

Syzigiæ 405. dant annos 32. dies 279. horas 21.23. 51.0.

Medium interstitium anni 32. dies 279. horæ 20.36.

Abundãt syzigiæ horis 0.47.51.

620. *Obseruatio Hipparchi circa inæqualitatem Lunæ, Epiphi die 16. ante meridiem eiusdem horis 6. 6. Sole uiso in 8.35.* ♌. *Luna in 12. 2.* ♉. *Inæqualitas Lunæ fuit gr. 257. 47. Distantia media Solis & Lunæ grad. 96. 2. Ptol. lib. 5. cap. 3. Sequuta est ergo media coniunctio obseruationem diebus 7. hor. 21. & facta est Epiphi 23. transacta & horis 14.54. Alexandriæ. Inæqual. Lunæ in coniunctione media gr. 2. 9. 43.9.52.19.0.*

Interuallũ à media oppositione ad mediam coniunctionẽ anni Aegyptij 13. dies 201. horæ 9. 10. Inæqualit. gr. 184.23.43.9.52. 19.0.

Syzigiæ $167\frac{1}{2}$. *efficiunt annos 13. dies 201. horas 8. 59.51.50.*

Deficiũt syzigiæ horis 0.0.′8.

621. Obseruatio Hipparchi circa Solis & Lunæ situm die 11. Pharmuti ante meridiem eiusdem horis 5.40.ad Alexandriæ meridianum, in qua Solis uerus locus in 7. 45. ♉. medius in 6. 41. ♉. Luna uerò in 21. 28. ♓. Inæqualitas Lunæ à media longitudine maxima epicycli gr.185.30. Veræ Lunæ à uero Sole distãtia gr. 313. 42. Media Lunæ à uero Sole distãtia gr. 314.28. Hactenus Ptol. lib.5.cap.5. Ergo medius Lunæ maior est uero gr.0.46.& medius locus Lunæ est in gr.22.14. ♓. Media igitur distantia est gr. 315. 32. uti & Ptol.testatur lib.5.cap.5. Porro hac media distantia à circulo detracta manet residuum mediæ distantiæ usq; ad coniunctionem mediam gr.44.28. qui iuxta rationem temporis uni syzigiæ competentis iuxtaq; Ptolomei tabulas perficiuntur dieb.3 hor.15.32. Facta est ergo cõiunctio media Pharmuti die 14.completo & hor.9.52.

Interuallum à media cõiunctione ad mediã cõiunctionem dies 265. hor. 18.58.

Inæqual. Lunæ grad. 232. 32. 43.31.29. 2.44.

Syzigiæ 9. efficiunt dies 265. hor.18.36. 31.48.

Deficiunt syzigiæ horis 0.22.

621. Media coniũctio post obseruationẽ Hipparchi, Pharmuti 14. cõpleto & hor. 9. 52.ut iam dictum est, in qua pro

Interuallum à media coniunctione ad ærã suppositam anni Romani 171.dies 87.

pro ratiõe interualli ab obseruatione hi motus deducũtur.

Inæqual. Lunæ gr. 233. 9.2. Solis medi⁹ 10.16.40. ♉. A media coniũctione hac ad ueram oppositionem ann. 882. sunt an. Aegyptij 260. dies 233. hor. 1.8. qui efficiũt Romanos 260. dies 168. horas 1. 8. sunt enim 65. dies intercalares hoc interstitio, si Romani anni in præcedentia continuari intelligantur. Quũ aũt uera oppositio anni 88. cõtigerit die Octobris 19. cõpleto, et horis 22. 59. ut ibi ostẽditur, quod tẽpus à principio anni dies 292. horas 22.59. cõplectitur, si ab his demamus quod post annos integros residuum est, uidelicet dies 168. hor. 1.8. relinquẽtur ab initio anni dies 124. hor. 21.51. quod tempus extenditur in diem Maij 4. completũ et horas 21.51. quo momẽto mediã coniunctionẽ post obseruationẽ Hipparchi proxime sequentẽ accidisse necesse est, si Romanos 87. hor. 9.9. qui faciũt Aegyptios 171. dies 130. horas 9. 9. adiectis uidelicet intercalaribus diebus 43. qui huic interuallo debentur, si Romani anni in anteriora cõtinuari intelligantur. Competunt autem huic tempori motus hi.

Inæqualitatis Lunæ gr. 317.3.21.

Solis medius gr. 87.8.22.

Syzigiæ 2118. annos faciunt Aegyptios 171. dies 130. horas 19.16. 43. 36.

Interuallum medium anni Aegyptij 171. dies 130. hor. 14.36.

Abundant syzigiæ horis 4. 40. 43.

annos in antecedentia conti-
nuatos intelligamus.

703. & 760. annis eclipses So
lis factæ, qa nec horã nec diẽ
aßignatã habẽt, adeoq; nihil
ad eius quam quærimus inæ-
qualitatis cõtemplationẽ cõfe
runt, missas eas hîc facimus.

792. Solis eclipsis sub Claudio
facta, anno Domini 46. cal.
Augusti. Esto autem eius me-
dium Alexandriæ factum an-
te meridiem hor. 5. fient in eo
ex præcedente coniunctione
media hi motus.

Inæqualit. Lunæ gr. 187.
29. et medius minor uero gr.
0.43.

Solis medius gr. 7.14. ♌.
et medi⁹ maior uero gr. 2.3.

Ergo

In cõiunctiõe uera adhuc
restabat diſtãtia media gr. 3.
1. & sequuta est media cõiun
ctio ueram horis 5.27.

Interstitium uerũ
anni 13. Romani,
dies 272. horæ 8.
quæ faciunt annos
Aegyptios 13. dies
276. horas 8. Sunt
enim hoc interstitio
dies intercalares 4.

Syzigiæ 170. fa
ciunt annos 13. dies
275. hor. 4.50.

Deficiũt syzigiæ
die 1. horis 5.24.
media enim diſtãtia
est dierum 276. ho
rarum 10.14. præ-
ter annos.

806. à Nabon. siue Domini 60.
Solis eclipsis facta est, teste
Pli-

Interstitium anni
Romani 33. dies
213.

Plinio lib.2.ca.70. pridie cal. Maij inter ſeptimã & octauam horas diei in Campania. Erat ergo facta Alexãdriæ hora circiter 3. à meridie, ad quod tempus hi motus colliguntur:

Inæqualitatis Lunæ gr.271.7. ex anni 872. eclipſi ſubducendo, & eſt medius motus minor vero gr.4.59.

Solis medius gr.7.2.54.♉. ſubtrahendo ex ſequenti obſeruatione, & eſt medius motus minor vero gr.1.5.

Ergo

In uera coniunctione reſtabat adhuc diſtãtia media gr.3.54. & ſequuta eſt media coniunctio ueram horis 7.41.

213.hor.3.39. qui ſunt anni Aegyptij 33. dies 221. hor. 3.39. His competunt hi motus.

Inæqual. Lunæ gr.57.1.32.

Solis medius gr. 208.57.6.

Syzigiæ 415 $\frac{1}{2}$.

Anni Aegyptij 33. dies 224. hor. 23. 6.28.6.

Interſtitium mediũ anni Aegyptij 33. dies 223. hor. 19.10.

Abundãt ſyzigiæ die 1. horis 3.56.

840. à Nabon. Domini 93. Agrippa in Bithynia obſeruauit Lunam iunctam cum auſtrali ſuccedente Vergiliarum Tybi 2. completo, ſuccedẽte 3. ante mediam noctem horis 5.20. ad Alexandriæ meridianum. Sol erat in 5. gr.♓. Luna uerò motu in 3.7. ♉. Ptol. lib. 7. cap. 3. A tempore huius obſeruationis uſque ad ueram

Interſtitium ab obſeruatione Agrippæ ad eclipſim Lunæ ſub Adriano, anni Aegyptij 32. dies 135. hor. 1.44.

Solis medius gr. 125.21.7.

ueram oppositionem anni 882. in secunda eclipsi Lunæ Ptolomei, sunt anni Aegyptij 41. dies 335. horæ 4. 20. qui sunt Romani 41. dies 325. (nam 10. sunt intercalares dies hoc annorum numero) & hor. 4. 20. quibus à tempore ueræ oppositionis anni 882. sublatis manent à principio anni dies 332. hor. 18. 39. qui incidunt in 28. diem Nouembris completum & horas 18. 39. quo tempore hæc obseruatio facta est.

Inæqualitatis Lunæ motus ab epicycli media longitudine maxima in hac obseruatione colligitur ab anno 607. in consequentia grad. 328. 19. Ab anno uero 872. in antecedentia graduũ 328. 11. Differentia est tantum 8. minutorũ.

Medius itaq; Lunæ motus minor est uero grad. 2. 28. circiter, & Solis medius par est uero. Media igitur elongatio grad. 145. 39. circiter, in qua æquationibus adhibitis fit medius lunæ motus æquatus minor uero grad. 4. 22. circiter. Fuit itaq; medius Lunæ locus æquatus tempore obseruationis in grad. 28. 45. ♈. & media luminarium distantia grad. 143. 45. quibus à 180. abstractis restat media distantia usq; ad oppositionem mediam grad. 36. 15. quæ diebus duobus, horis 23. 22. perficitur. Tanto igitur

Syzigiæ 400. faciũt annos Aegyptios 32. dies 132. horas 5. 43. 33. 20.

Interstitiũ medium anni Aegyptij 32. dies 132. hor. 8. 11.

Deficiunt syzigiæ hor. 2. 28.

igitur proxime tempore sequuta est media oppositio post obseruationē, uidelicet Tybi 5. die completo & hor. 6. 2. aut iuxta Romanum calculum Decembris 1. die completo & horis 18. 1.

872. Lunæ eclipsis sub Adriano Imp. cuius medium Pathon 17. completo & horis 8. 24. Alexandriæ, in cuius medio Luna distabat à maxima epicycli longitudine grad. 251. 53. eratq; iuxta nodum descendentem, medius motus eius minor fuit uero grad. 4. 53. Ptolom. pag. 106. Solis medius grad. 10. 21. ♈. ut ex præcedente obseruatione colligitur additione pro intermedio tempore facta. Medius eius motus minor est uero grad. 1. 56.

Ergo

In oppositione uera medius Lunæ locus adhuc distabat à media oppositione grad. 2. 57. & sequuta est media oppositio ueram horis 5. 49.

872. Media oppositio Pathon 17. cōpleto & horis 14. 13. &c.

882. siue Domini 135. eclipsis Lunæ secunda Ptolomæi, cuius medium fuit Alexandriæ Chiac die 2. sequente 3. ante mediam noctem 1. hora æquali: siue, ut in opere demonstratur, Octobris 19. completo, & horis 22.59. in quo hi fuerunt motus, teste Ptolemæo.

Inæqualitatis Lunæ à maxima epicycli longitudine grad. 64. 38. & medius maior uero grad. 4.24.

Solis uerus locus in gr. 25.6. ♎. proxime (ubi medius) maior uero gr. 1.39.

Ergo

In oppositione uera medius locus Lunæ transiit mediam oppositionem Solis gr. 2.45. & præcessit media oppositio ueram hor. 5. 26. Facta est ergo media oppositio Chiac 2. completo & horis 5. 34. siue Octobris 19. completo & horis 17.33. In qua media oppositione facta pro tempore anticipãte subductione colligitur medius latitudinis motus grad. 7.4. à nodo descendente, cùm in uera oppositione medius fuerit grad. 10.3.

Interstitium à media oppositione ad mediã anni Aegyptij. 9. dies 199. hor. 15.21.

Syzigiæ 118. efficiunt annos Aegyptios 9. dies 199. horas 14.38.56.56.

Deficiunt syzigiæ horis 0. 42.

347. Do-

347. Domini fuit Solis eclipsis magna 8. cal. Ianuarij, hoc est 25. Decembris, fuerit eius meridie.

Inæqualitatis Lunæ motus grad. 261. 45. & medius motus minor uero gr. 5. 0.

Latitudinis medius gr. 345. 28. à nodo descendente. & proinde Verus latitudinis motus gr. 350. 28. eclipsi conueniens.

Hanc eclipsim in opere iuxta Caßiodiori sententiã sub Philippo & Sallea Coß. anno 348. annotaui: uerum à Mariano rectè

Interuallũ anni Aegyptij 212. dies 65. hor. 18. 27. quo tempore sunt Intercalares 53.

Inæqual. Lunæ motus à uera oppositione ann. 135. ad ueram an. 347. sunt gr. 197. 7.

Latit. medius à media oppositione anni ad ueram anni 347. est gr. 338. 24.

Syzigiæ 2624 $\frac{1}{2}$. anni Aegyptij 212. dies 123. hor. 1. 12. 33. 14.

Abundant syzigiæ diebus 4. hor. 6. 45.

notatam anno 11. Constantij, in quo consulatum inierunt Philippus & Sallea, Domini uidelicet 347. finiente, iustis rationibus colligitur. Et fortè ad creationem horum Consulum anno 347. finiente factam respexit Caßiodorus, ita ut uterq; uerum dicat: Caßiodorus, qui sub Philippo & Sallea: & Marianus, qui 11. anno Constantij factã eclipsim notat. Errorem scriptoribus peperit mala annorum & Consulum conciliatio. Contigiße autem eclipsim hoc 347. anno, idq; 8. cal. Ianuarij, qui est in 11. anno Constantij, arguit conueniens latitudinis motus, nusquam alibi, quocunque transferri poßit eclipsis idoneus. Si enim hoc eodem

dem anno 18. cal. Ian. meridie constituatur, fiet latitudinis uerus motus in eclipsi gr. 209. 11 à nodo descendente, hoc est 29. 11. à nodo ascendente, longe uidelicet maior termino ecliptico. Si ad anni 348. octauũ cal. Ianuarij referatur, inuenietur uerus latitudinis motus à nodo descendente gr. 147: 37. nimis longe ab ascendente nodo subsistens. Si ad eiusdem 348. anni decimumoctauum cal. Ianuarij transferatur, fiet latitudinis uerus motus gr. 19. 19. à nodo descendente, maior & hic iusto, ueruntamen quia inter annos Domini 135. & 664. calculus Ptolomæi maiores colligit latitudinis motus quam ueritas patiatur, ut mox uidebimus, & 19. gradus non multum superant terminum eclipticum, existimabit aliquis hanc eclipsim iuxta Mariani exemplar anno 348. 18. cal. Ianuarij reponendam esse, sed prohibet enormior computi Ptolomaici tunc contingens exorbitatio, siquidem ubi nos inter primam Lunam anni 341. & hanc eclipsim defectum syzigiarum in diebus 5. hor. 22. colligimus, ibi tunc maior defectus nimirum dierum 7. horarum 13. 10. inuenietur, & ubi nos inter eclipsim hanc & Lunam primam ann. 349. abundantiam syzigiarum colligimus dierum 5. hor. 23. ibi tunc dies 7. hor. 14. redundant, quanta enormitas hic fieri non potuit, postquam 50. tantum dehinc annorum spacio, anno uidelicet 403. duobus tantum diebus cycli decemnoualis supputatio à ueritate aberrare deprehenditur. Iam primas lunas quæ suspectæ non apparuerunt (quandoquidem ad propositæ inæqualitatis speculationem faciunt plurimum) subiungemus, annum Domini 135. repetentes.

882. *siue Domini anno 135. media fuit oppositio Octob. 19. cõpleto, et horis 17. 33. ut dictum est.*

Interuallum medium, ab oppositione uidelicet media ad coniunctionem mediam anni Aegyptij *sunt* 194. *dies* 136. *hor.* 18. 27.

Intercalares 49.

Syzigiæ $2404\frac{1}{2}$. *fiũt anni* Aegyptij 194. *dies* 196. *hor.* 7. 39. 35. 54.

Abundant syzigiæ diebus 10. *horis* 13. 12.

330. *anno Domini fuit Luna decima quarta Martij* 19. *prima igitur Luna fuit* 6. *Martij, fuerit meridie, quo serius haberi nõ potest. Quãuis autem nouilunium hoc propius æquo uideatur ad oppositionẽ anni* 135. *accedere, et nimis magnum syzigiarum excessum facere, nõ tamen errorem esse in tam accurata temporis, quã hoc anno posui, descriptione uerisimile est, & æquis paßibus per sequentia nouilunia continuata sequela, non aliam huius nouilunij positionem admittit.*

Interuallum ann. Aegyptij 11. dies 28. hor. 0. 30. dies intercalares 3.

Syzigiæ 137. *faciunt annos* 11. dies 30. *horas* 16. 36. 4. 4.

Deficiũt syzigiæ hor. 7. 54.

341. *Luna prima pridie nonas Aprilis. Sit mediũ nouiluniũ* 3. *Aprilis, hora* 0. 30. *à meridie. Huius nouilunij & sequẽtiũ indubia tẽpora suis locis in opere obserua lector, ne quid hic in eorum positione erratum suspicêris.*

Interstitiũ anni 6. die 265. hor. 23. 30.

Inter

Intercalaris 1.
Syzigiæ 83. anni 6. dies 261. hor. 0. 56. 53. 16.
Deficiunt syzigiæ diebus 5. horis 22. 34.

347. Solis eclipsis magna 25. Decembris meridie, ut prius dictum est.

Interstitiũ ann. 1. dies 71. horæ 0. 0.
Intercalaris 1.
Syzigiæ 15. an. 1. dies 77. hor. 23. 0. 56. 0.
Abundant syzigiæ diebus 5. horis 23.

349. Luna fuit decima quarta 19. Martij, ideoq; prima Luna 6. Martij. Ponamus medium nouilunium hora 12. eiusdẽ, neq; enim potest serius.

Interstitium ann. 10. dies 363. hora 1. 0.
Intercalares 3.
Syzigiæ 136. ann. 11. dies 1. hor. 3. 52. 0. 32.
Abundant syzigiæ hor. 2. 52.

360. Luna decimaquarta fuit 18. Martij. Prima igitur Luna 5. Martij: ponamus medium nouilunium 4. Martij hora prima post meridiem.

Interstitium anni 17. dies 22. horæ 0. 0.
Intercalares 4.
Syzigiæ 211. an. 17. dies 25. hor. 22. 56. 25. 32.
Deficiunt syzigiæ hor. 1. 4.

377. Luna decimaquarta 5. Idus Aprilis, ergo prima Luna 27. Martij, sit mediũ nouiluniũ 26. Martij hor. 1. post meridiem.

377. Prima Luna 27. Martij, & medium nouilunium 26. Martij hora prima post meridiẽ, ut dictum est.

Interstitium ann. Aegyp. 9. dies 344. hor. 23. 0.
Intercalares 2.
Syzigiæ 123. ann. 9. dies 347. hor. 6. 19. 14. 36.
Abũdãt syzigiæ horis 7. 19.

387. Luna decimaquarta fuit 19. Martij, ergo prima 6. Martij, sit eius meridie.

Interstitium anni 16. dies 3. hor. 0. 0.
Intercalares 4.
Syzigiæ 198. anni 16. dies 7. hor. 1. 23. 39. 36.
Abundant syzigiæ hor. 1. 23.

403. Luna decimaquarta 22. Martij, ergo prima Luna 9. Martij, sit eius meridie. Innocentius PP. Rom. dixit Lunã eo die esse decimamsextã, quo Theophilus Alexandrinus iuxta rationẽ cycli decẽnoualis putauit esse decimãquartã. Ergo ueritas hoc anno cyclũ antecedit dieb. 2. quanquã Paulus de Middelburgo hic cũ Cyrillo ipsum Theophilum excusare nitatur, qa suspicat⁹ nõ est calculũ astronomicũ adeo à uero recedere posse.

Interstitium anni 13. dies 360. hor. 0. 30.
Intercalares 4.
Syzigiæ 173. ann. 13. dies 363. hor. 19. 2. 11. 16.
Deficiũt syzigiæ hor. 5. 28.

§ 417.

417. Luna decimaquarta fuit 18. Martij, 1. igitur Luna 5. Martij, sit medium nouiluniū 3. Martij completo & horis 12.30.	Interstitium anni 11. dies 28. hor. 0.0. Intercalares 3. Syzigiæ 137. anni 11. dies 30. hor. 16.36.4.4. Deficiunt syzigiæ horis 7.24.
428. Luna decimaquarta fuit 15. Aprilis, & proinde Luna prima 2. Aprilis ponam⁹ mediū nouiluniū 31. Martij finito & horis 12.30. quo prius nisi exiguo poni potest.	Interstitium anni 16. dies 3. hor. 2.20. Intercalares 4. Syzigiæ 198. anni 16. dies 7. hor. 1.23.39.36. Deficiunt syzigiæ hor. 0.57.
444. Luna decimanona fuit 9. Cal. Maij, ergo prima Luna 5. Aprilis, esto nouilunium mediū 3. Aprilis completo & horis 14.50.	Interstitiū anni 20. dies 343. hor. 11.26. Intercalares 5. Syzigiæ 259. an. 20. dies 348. hor. 10.11.15.8. Deficiunt syzigiæ horis 1.15.
465. Luna decimaquarta fuit 27. Martij, ergo prima Luna 14. Martij. Sit mediū nouilunium 13. Martij completo & horis 2.16.	Interstitium anni 59. dies 361. hor. 20.18. Intercalares 15. Syzigiæ 742. an. 60. dies 11. hor. 16.51.41.44. Deficiunt syzigiæ horis 3.27.

525. *Luna fuit decimaquarta 9.cal. Aprilis, igitur 11. Martij fuit prima Luna. Sit medium nouilunium completo 9. Martij & horis 22.34.*

Interuallum anni 8.dies 1. hor.13.26.

Intercalares 2.

Syzigiæ 99.anni 8.dies 3.hor.12.41.49.48.

Deficiunt syzigiæ horis 0.45.

533. *Luna decimaquarta fuit 8.cal. Aprilis, ergo prima Luna fuit 12. Martij, fuerit meridie, quo serius accipi non debet.*

Interuallũ anni 32.dies 361. hor.0.0.

Intercalares 8.

Syzigiæ 408. anni 33. dies 3.hor.11.36.22.30.

Deficiunt syzigiæ horis 12.24.

566. *Luna decimaquarta 8.cal. Aprilis, hoc est 25. Martij, ut ex cyclo Dionysij citat Beda: vt vero in Bedæ abaco est, 21. die: Vnde constat medio inter Dionysiũ & Bedam tempore, si non omni, saltem aliquo, distantiæ mediæ motum fuisse celeriorem quàm uel tempore Dionysij, uel ætate Bedæ inuentus fuerit. Porrò cùm Beda primum annum abaci sui Dionysio conformiter ponat, ut ex 46. cap. de temporum ratione patet, & in annis sui temporis ueritatem apparentem*

Interstitiũ anni 98.dies 55.hor. 22.0.

Intercalares 25.

Syzigiæ 1214. ann.98.dies 80. hor. 3.27.29.28.

Deficiunt syzigiæ horis 18.33.

haud dubie sequutus sit, propius eum adhibita emendatione hic ueritatem attigisse quam Dionysium credimus: proinde ad Bedæ abacum respiciẽtes primam hic Lunam constituimus 8. Martij, sit autem meridie eiusdem.

664. fuit Solis eclipsis 3. die Maij, 10. circiter, hora diei, quam Beda uidit, in qua hi motus colliguntur.

Inæqual. ☾. gr. 66. 22. unde medius maior uero gr. 4. 28.

Latit. Lunæ medius gr. 62. 39. à nodo descendente.

Solis medius 11. 7. ♉. medius minor uero gr. 0. 59.

Ergo

Media distãtia gr. 5. 27. et præcedit media coniunctio uerã horis 10. 45. in quib. minuitur latitudinis motus grad. 5. 30. circiter, ut fiat medius latitudinis in coniunctione media

Interuallũ autem à media oppositione anni Domini 135. usq; ad hanc eclipsim Bedæ est anni Aegyptij 528. dies 194. hor. 19. 9. et intercalares 133. Huic tẽpori hi motus respondent.

Inæqualitatis Lunæ grad. 4. 42. 4.

Latitudinis Lunæ medius gr. 55. 35. 23.

Solis medius grad. 194. 35. 31.

Syzigiæ 6537½. faciunt annos Aegyptios 528. dies 336. horas 6. 34. 59. 10.

Abundant syzigiæ diebus 8. horis 11. 26. & si mediã cõiunctionẽ anni 664. intueamur diebus 8. hor. 22. 11. tanto circiter tardior est calculus Ptolomei ueritate in annis his 528.

gr.

gr. 57.9. circiter. Tametsi autem ab anno Domini 135. hucusq; collectũ latitudinis motũ uidemus multo maiorẽ esse quã ut eclipsi cõueniat, & medij recessus Lunæ à Sole motũ ad præscriptũ in hac eclipsi tẽpus nõ excurrere, nõ tamẽ suspecta nobis esse debet aßignatio tẽporis à Beda in hac eclipsi proposita, conformiter enim duobus locis idem tempus describit, 5. nonas Maij in temporũ ratione, & 3. die mẽsis Maij in Anglicæ historiæ lib. 3. cap. 27. Vtrobiq; etiã annũ eundem ponit 664. Præterea si tempus unius syzigiæ auferamus à tẽpore mediæ cõiunctionis iam inuẽtæ, habebimus mediã cõiunctionẽ proxime præcedentẽ 2. Aprilis cõpleto & horis 10.31. ut cadat hæc in tertium diem horis 1.29. ante meridiem, & si quæ in eclipsis supputatiõe negleximus huc reuocemus, nimirũ mediũ eclipsis dimidia ut minimũ hora serius cõtigisse, (incipiẽtis enim eclipsis tempus historici ferè designãt) tum etiã meridianũ Romanũ ad quem cyclorũ paschaliũ ratio aptata est, inueniemus mediã hanc coniunctionem Romæ post meridiẽ cõtigisse, & proinde iuxta paschales canones ad sequentẽ diẽ pertinere, ac 4. Aprilis primã Lunã dicendã esse, & 17. diem Lunã decimãquartã, quod cum abaco paschali Bedæ Lunam 14. hoc 664. ann. 15. cal. Maij ponẽte cõsentit: recte igitur cum eodẽ cõsentiens positũ eclipsis tempus est, neq; de mendo aliquo suspicio esse potest. Neq; uero si annũ præscripto tẽpori addamus aut auferamus, latitudinis motus eclipsi cõueniet, & mediæ distãtiæ motus tũ lõgius quã hoc anno à tertio die Maij exorbitabit: quãobrẽ sine omni hæsitatione 3. dies Maij & annus 664. exhibitæ à Beda eclipsi (ut locis allegatis scripsit ille) cõueniũt. Necesse est er

go latitudinis medium motum ab anno Domini 135.uel 348.ad hũc 664.gradib.plus minus 50.tardiorẽ fuisse quã calculus Ptol.habet, & mediæ distãtiæ motum 9. circiter dieb.celeriorẽ. Quamobrẽ latitudinis motũ,cùm ad mediarũ coniunctionũ oppositionumq; anticipationẽ aut sequelã nihil cõferre poßit, & nostro proposito inutilis sit, omittemus, donec ad exactiores obseruationes uentũ fuerit, nisi sicubi deprauati tẽporis suspicio inciderit, quã latitudinis à propinqua & firma aliqua eclipsi motus utcunq; discutere potest: non enim ad extremã falsitatis metã ille progreditur, sed mediocribus tantũ factis exceßibus per interualla ad æqualitatem reuertitur.

664. Solis eclipsis dicta, cuius media cõiunctio inuenta est primo die Maij completo, & horis circiter 23.15. &c. Supponimus autem hanc in Anglia obseruatam à Beda, uti nec dubitamus.	Interuallum à media cõiunctione ad ueram oppositionem anni 18. dies 348. hor. 21.45. Intercalares 4. Latit. medius motus gr. 148. 33.24. huic interuallo respondet. Syzigiæ $234\frac{1}{2}$. faciunt annos Aegyptios 18. dies 354. hor. 22. 11.48.34. Abundant syzigiæ diebus 2. hor. 0.26.

683. Lunæ eclipsis 16. Aprilis, cœpit uespere post cœnã Domini, & durauit usq; ad gallicinium. Sit medium eius Romæ hora 10. à meridie, & per Angliæ meditulliũ hora 9.	Interuallũ anni 81. dies 48. horæ 9.

Lati- In-

Latitudinis medius motus in hoc tempus à præcedente coniunctione media colligitur grad. 205. 42. 24. à nodo descendente, qui excedit iustam quantitatem, sed minus quã ille in præcedente eclipsi.

Intercalares 21. Latit. medius motus gr. 3. 32. 54. Syzigiæ 1003 ½. anni 81. dies 68. horæ 22. 53. 5. 42. Deficiunt syzigiæ horis 10. 7.

764. Solis eclipsis pridie nonas Iunij hora 6. (mane) ab Annonio lib. 4. cap. 66. traditur accidisse, colligiturq; ex diligẽti eius inspectione uel hoc anno uel præcedẽte 763. facta esse. Verũ latitudinis motus medius in 763. annũ collectus, uidelicet gr. 60. 33. nimium excrescit, & syzigiæ inter eundem & eclipsim Lunæ præcedentẽ nimiũ excedũt interuallũ eorundẽ, nimirũ diebus 11. q error cùm sit excessus anni cõmunis supra 12. menses lunares, siue syzigias, nõ difficulter intelligitur uno integro anno serius hãc eclipsim factam esse, uidelicet anno 764. in quẽ colligitur latitudinis medius gr. 209. 15. 46. excedẽs quidem iustum terminũ, sed minus multo quàm ille in annum 763. collectus, magis tamen quàm ille anno 683. inuentus.

Interuallũ anni 23. dies 104. hor. 5. Intercalares 5. Latit. medius gr. 184. 59. 24. Syzigiæ 288. anni 23. dies 109. hor. 19. 28. 57. 36. Abundant syzigiæ horis 14. 28.

787. Solis eclipsis maxima 9. Septembris, die prima septimanæ, hora 5. Ce-

Interstitiũ anni 18. dies 350.

dren. Quia uero horas ab ortu numerat, erit hora circiter 11. antemeridiana, qua ipsam uult factam. At loco. 9. Septemb. legendũ esse 16. Septemb. cùm prima septimanæ feria, tum qui inter 9. diem & præcedentem Solis eclipsim pro magnitudine interualli colligitur latitudinis motus inconuenietißimus ostẽdit, fit enim ille pro eo interuallo gr. 92. 32. distãs quam potest lõgißimè ab utroq; nodo: uerũ si ad interstitiũ addas 7. dies, manebit locus eclipsis in sua feria, & fiet latitudinis medius motus gr. 185. 8. ad eclipsim cõuenientißimus. Quanquã hæc interuallo respondẽs latitudo cũ præcedẽtis eclipsis erronea latitudine iũcta facit hic motũ latitudinis mediũ gr. 34. 23. à nodo descẽdẽte, maiorẽ quidẽ iusto, sed alieno nõ suo errore.

350. hor. 18. 0.
Intercalares 5.
Latit. medius gr. 183. 10. 39. 29.
Syzigiæ 234 $\frac{1}{2}$. fiunt anni 18. dies 354. hor. 22. 11. 48. 34.
Deficiunt syzigiæ horis 19. 49.

806. Lunæ eclipsis 4. nonas Septembris, etc. Vide reliqua suo loco. Sit facta mane hora 5. Colligitur in hoc tẽpus, additione præ tione interstitij ad præcedẽtis eclipsis latitudinẽ facta, latitudinis medius gr. 217. 33. à nodo descendẽte maior quã oporteat.

Interstitium dies 162. hor. 7. 0.
Latit. motus gr. 347. 0. 47.
Syzigiæ 5. $\frac{1}{2}$. dies 162. hor. 10. 2. 19. 26.
Abundant syzigiæ horis 3. 2.

807.

807. Solis eclipsis tertio Idus Februarij (11. Februarij) meridie. Annon. lib. 4. ca. 95. Regimo. Latitudinis medius colligitur grad. 195. 11. paulo forte adhuc maior quam debeat, sed tamen iam proxime ad iustam mensuram reuersus. Hactenus latitudinis motus per aliquot eclipses prosequuti sumus propter quarundam suspecta tempora, tum etiã ut astronomiæ studiosis ansam daremus altius latiusq; de medij latitudinis motus inconstantia cogitandi & inquirendi.

Interstitium dies 14. horæ 14. 0.
Dimidia syzigia facit dies 14. horas 18. 22. 1.
Abundant syzigiæ horis 4. 22.

807. Lunæ eclipsis 26. Februarij. Annon. lib. 4. cap. 95. Sit mane horã 2. 0.

Interstitium dies 177. hora 1. 0.
Syzigiæ 6. dies 77. hor. 4. 24. 21.
Abundant syzigiæ horis 3. 24.

807. Lunæ eclipsis 22. Augusti mane hora 3. &c. Annon. lib. 4. ca. 95. Vide in chronico suo loco.

Interuallũ anni 2. dies 125. horæ 23. 0.
Intercalaris 1.
Syzigiæ 29. anni 2. dies 126. hor. 9. 17. 42. 28.
Deficiũt syzigiæ bor. 13. 42.

809. *Lunæ eclipsis 26. Decembris. Annon. Regino. Sit mane hora 2.*	*Interuallum dies 163. hor. 3.0.* *Syzigiæ* $5\frac{1}{2}$. *dies 162. hor. 10.2.19.26.* *Deficiunt ſyzigiæ boris 17. ferè.*
810. *Solis eclipsis 7. Idus Iunij. Regino. hoc eſt 7. die Iunij, ſit mane hora 5.*	*Interſtitium dies 14. hor. 18.* *Syzigia dimidia, dies 14. hor. 18.22.1.46.* *Abundant ſyzigiæ boris 0. 22.*
810. *Lunæ eclipsis 11. calendas Iulij. Regino. Sit 21. Iunij ueſpere hora 11.*	*Interſtitium dies 161. hor. 13.0.* *Syzigiæ* $5\frac{1}{2}$. *dies 162. hor. 10.2.17.26.* *Abundãt ſyzigiæ hor. 21. 0.*
810. *Solis eclipsis pridie calendas Decẽbris. Regino. Sit meridie eiuſdem.*	*Interſtitium dies 14. hor. 18.0.* *Dimidiata ſyzigia, dies 14. hor. 18.22.1.46.* *Abundat illa horis 0.22.*
810. *Lunæ eclipsis 18. calẽdas Ianuarij. Adon. Annon. lib. 4. cap. 98. hoc eſt 15. Decembris, ſit mane hora 6.*	*Interſtitium annus 1. dies 151. hor. 8.0.* *Intercalaris 1.* *Syzigiæ* $17\frac{1}{2}$. *ann. 1. dies 151. hor. 18.51.1.50.* *Deficiũt ſyzigiæ hor. 13.9.*

812. Solis eclipsis Idibus Maij post meridiem. Regino. Annon.lib. 4.ca.100. Sit hora 2. post meridiem } Interstitiũ ann. 4. dies 265. hor.12.

Intercalaris 1.

Syzigiæ $58\frac{1}{2}$. ann. 4. dies 267.hor.12.57.26.42.

Abundant syzigiæ die 1. horis 0.57.

817. Lunæ eclipsis nonis Februarij hora noctis 2. (mane.) Annon lib. 4.cap.105.

817. Lunæ eclipsis nonis Februarij hora noctis 2. mane, ut dictum est. } Interuallum ann.1.dies 121. horæ 10.0.

Syzigiæ $16\frac{1}{2}$. ann. 1. dies 122.hor.6.6.58.18.

Abundãt syzigiæ hor.20.6.

818. Solis eclipsis 8. Idus Iulij. Annon.lib.4.cap.106, Legendum est autem 8.Idus Iunij, quod est 6.die Iunij, alioqui syzigiæ inter hanc & præcedentem deficerent die 1.hor.15. rursum inter hanc & sequentem abundarẽt die 1.horis 13. quod nimium est in tantilla distantia, præcipue cũ non sequatur in proximo interuallo abundantia quæ } Interstitium anni 2. dies 170. horæ 14.0.

Intercalaris 1.

Syzigiæ $30\frac{1}{2}$. anni 2. dies 170. hor. 16.23.47.46.

De-

quæ illã æquabiliter & gradatim minuat. Si quis Iulium mensem seruare uolet, maiorem cõstituet inæqualitatem motus distãtiæ mediæ, & magis præcipitem in ea mutationem, quæ non nisi necessitate cogente admittenda est. Sit autem facta meridie.

Deficiũt syzigiæ horis 21.37.

820. Lunæ eclipsis 8. calendas Decẽbris hora noctis 2. Annon. lib. 4. ca. 107. De anno constat ex Iac. Meyero, qui eadem quæ cum hac eclipsi Annonius de Normannis & anni qualitate recitat, in annũ 820. colligit.

Interstitium anni 7. dies 219. hor. 2.0.
Intercalares 2.
Syzigiæ 94. anni 7. dies 220. hor. 21. 1. 32. 8.
Deficiũt syzigiæ horis 5.

828. Luna calendis Iulij primo diluculo in occasu suo defecit. Annon. Sit mane hora 4.

Interstitiũ anni 11. dies 308. horæ 5.
Intercalares 3.
Latit. motus grad. 355. 51. 41.
Syzigiæ 146. $\frac{1}{2}$. anni 11. dies 311. horæ 5. 34. 37. 38.
Abundãt syzigiæ horis 0. 34.

840.

840. Solis maxima eclipsis 3. nonas Maij (id est 5. die Maij) hora diei 9. Annon. Marianus.

Interuallũ anni 38. dies 163. horæ 16.

Intercalares 9.

Latit. medius motus gr. 9. 32. 48.

Syzigiæ $475\frac{1}{2}$. anni 38. dies 171. horæ 19. 10. 0. 6.

Deficiunt syzigiæ horis 20. 50.

878. Lunæ eclipsis magna 16. Octobris. Regino. Sit mane hora 1. Existimo 15. Octobris legendum, ut præcedens interstitium uno die minuatur, & fiat abundantia horarum 3. 10. & sequens interstitium 1. die augeatur, fiatq; abundantia horarum 5. 47. nam in dimidia syzigia abundantiam unius diei fieri credibile non est.

Interstitium dies 13. horæ 12. 35. ab eclipsis Lunæ ad mediam oppositionem.

Dimidiata syzigia facit dies 14. horas 18. 22. 1. 46. Abundat illa die 1. horis 5. 47.

878. Solis eclipsis maxima 29. Octobris circa horam 9. Regino. Sigeb. Marian. Sit Aractæ hora 12. In qua ex sequente eclipsi per subductionem hi motus colliguntur.

Inæqualitatis Lunæ gr. 192.

Interstitium à media coniunctione ad mediã oppositionem anni 4. dies 266. horæ 21. 42.

Intercalaris 1.

Sy-

192.21.16. & medius minor uero gr.1.12.
Solis medius 10.20.♏. & medius maior uero gr.0.58. Ergo media distãtia gr. 2.19. & sequuta est media coniũctio uerã horis 4.35.

Syzigiæ 58. $\frac{1}{2}$. ann. 4. dies 267. hor.12.57.26.42. Deficiunt syzigiæ horis 8.45.

883. Lunæ eclipsis, cuius mediũ die 23.Iulij post meridiem eiusdẽ horis 8.æqualibus Aractæ.
Medius locus Solis in grad.5.51.♌.
Medius locus Lunæ gr.8 45.♒. Albateg.
Ergo
Distantia oppositionis mediæ gr.2.54.& præcessit media oppositio ueram horis 5.43.factaq; est media oppositio 23.Iulij, post meridiem eiusdem horis 2.17.Aractæ. Inæqualitatis Lunæ motus in oppositione uera fuit gr. 93. iuxta Albategnium. Serius accidit hæc eclipsis quàm pro calculo Ptolomæi tribus horæ quadrantibus, ut annotauit Albategnius, sed supputatione à Nabonassaro deducta intelligit: si enim à propinqua aliqua radice ad ueritatem formata eam deduxisset, maiorem inæqualitatem deprehendisset. Quod porro eclipsis hæc cadat in 23.diẽ Iulij, cum Albategnius dicat 23. Temur, ex equinoctio eodem anno ab ipso obseruato sic ostendimus. Sole in principio

cipio libræ constituto maior est medius motus eius uero partibus paulo amplius 2. secundum Albategnium: fuit ergo in autumnali eo æquinoctio medius Solis locus gr. 2. ♎. unde in antecedētia usq; ad medium Solis locū in eclipsi hac sunt gr. 58. 9. qui paulo minus quàm 57. diebus medio Solis motu conficiuntur: hos si à tempore æquinoctij iuxta Romani anni rationem apertis uerbis ab Albategnio descripto auferamus, habebimus 23. Iulij ferè completū, quemadmodum & Albategnius 23. Temur prope completum aßignat. Idem ergo hic Temur qui nobis Iulius est, idemq; in utroq; dies intelligitur.

883. Lunæ eclipsis iam dicta, cuius media oppositio fuit 22. Iulij completo & horis 14. 17. Aractæ.

Interstitium medium anni 8. dies 16. horæ 4. 55.
Intercalares 2.
Syzigiæ 99 $\frac{1}{2}$. anni 8. dies 18. horæ 7. 3. 51. 34.
Abundant syzigiæ horis 2. 8. 51.

891. Solis eclipsis 7. Augusti completo & horis 13. 9. hoc est post meridiem diei octauæ hora 1. 9. Aractæ. Solis medius locus in gr. 20. 54. ♌. Lunæ medius in gr. 17. 50. ♌. Media ergo distantia grad. 3. 4. & sequuta est media coniunctio ueram horis 6. 3. ut facta sit media coniunctio 7. Augusti completo & horis 19. 12. Porro quòd in 8. diem Augusti cadat, eclipsis hæc, sic ex præcedente eclipsi deducimus. Illam ostendimus 23. Iulij horis post meri-

meridiem eiusdem 8. factam esse, à medio autem Solis loco in ea notato ad medium huius sunt in consequentia gr. 15. 3. quibus respondet motus medius Solis dierum 15. horarum paulo plus 6. quod tempus si prioris eclipsis momēto addamus, habebimus diem Augusti 7. completum, & horas paulo amplius 2. In 8. ergo diem Augusti huius eclipsis medium extenditur. Cæterum ad horam diei qua eclipsim factā scribit Albategnius, dictum medij motus tempus non pertingit, sed ab eo horis circiter 11. deficit: quare si uiciatus hoc loco non est autor, necesse est medium motum Solis circa hæc tempora, in annis 8. diebus 15. horis 17. 9. (quantum scilicet est inter præcedentem eclipsim & hanc) tardiorem esse horis 11. fere quam ab Albategnio descriptus est, capite 27. Videant ergo astronomiæ studiosi, & disquirant ne forte etiam in Solis motu talis aliqua sit anomalia, qualem in Luna deprehendi diximus: Addit Albategnius hanc eclipsim 1. hora serius accidisse quàm calculo Ptolomæi conueniebāt, at præcedentē eclipsim tribus tātum quadrantibus horæ tardius factam asseruit. Colligitur ergo Albategnij testimonio hoc æuo in annis 8. diebus 15. horis 17. 9. distantiæ motū uno quadrante horæ ultra Ptolomæi rationes retardatum fuisse. Nos autē syzigias inter hanc & præcedentem eclipsim abundātes posuimus horis 2. 8. 51. respicientes ad mediam luminariū distantiam in huius anni eclipsi ab Albategnio descriptam. At uero si ad inæqualitatis Lunæ motum graduum 332. 57. ab eodem traditum respiciamus, eiusque æquationem iuxta Ptolomæi rationes grad. 2. 6. à uero loco Lunæ, scilicet grad. 19. 14. ♌. ab Albategnio posito dema-

demamus, fiet medius Lunæ locus 17. 8. in hac eclipsi, & distantia media grad. 3. 46. media coniunctio posterior uera horis 7. 26. ac proinde media distantia inter hanc & præcedentem anni Aegyptij 8. dies 18. horæ 6. 10. sic syzigiæ abundabunt tantum horis 0. 53. quod cum excessu retardationis, testimonio Albategnij inter utramq; eclipsim deprehenso propius conuenit, nondum tamen omnino. Saltem hoc ab Albategnio manifestè discimus, Ptolomæi calculos hac ætate tardiores iusto esse, eamq; tarditatem adhuc in augmento uersari.

891. *Solis eclipsis iam tractata, cuius media coniunctio inuenta est 7. Augusti completo & horis 19. 12.* 901. *Lunæ eclipsis facta 2. Augusti completo & horis 3.' 35. Aractæ, in qua inuenit Albategnius Lunæ medium locum in 19. 54. ♒. Solis medium in 16. 10. ♌.*	*Interuallum à media coniũctione ad mediam oppositionem anni 9. dies 359. horæ 1. 1.* *Intercalares 3.* *Syzigiæ 123 ½. anni 9. dies 362. horæ 0. 41. 16. 22.* *Deficiũt syzigiæ horis 0. 20.*

Mediæ igitur oppositionis distantia gr. 3. 44. & præcessit media oppositio ueram horis 7. 22. factáq; fuit media oppositio 1. die Augusti completo & horis 20. 13. Quod uero eclipsis hæc in 3. Augusti diẽ incidat, ita deducimus ex eclipsi Lunæ anno 883. In illa fuit medius locus Solis gr. 5. 51. ♌. in hac 16.

10.

10. ♌. excessus huius supra illum est gr. 10. 19. quos Sol medio motu permeat diebus 10. horis 12. fere iuxta Albategnium. Hoc tempore igitur adiecto ad prioris eclipsis tempus, habebimus tempus huius eclipsis Augusti 2. diem completum, & horas 8. Porro hoc tempus horam eclipsis ab Albategnio signatam superat horis 4. 25. ut simpliciter intuenti uidetur, sed si obseruemus utriusque termini habitudinem ad annum bissextilem, nimirũ annum 883. proximè eum præcedere, hunc 901. autem proximè sequi, & proinde hunc præ illo dierum initia 30. circiter scrupulis primis ad Solis in ecliptica progressum, hoc est 12. circiter horis retardare, inueniemus suprascriptũ tempus nõ superare, sed deficere horis 7. cum dimidia fere ab hora eclipsis huius per Albategnium signata. In præmissa autem 11. horarum defectione, ratione intercalationis nulla huiusmodi mutatio incidit, utroq; termino similiter se ad bissextilem habente. ut enim 883. annus proximus est ante bissextilem, ita & 891. annus, quo fit ut ad eundem quam proxime Solis in ecliptica locum initia dierum redeant. Manet igitur ibi medius Solis motus ab Albategnio præscriptus horis 11. celerior, & locum suum anteuertens, nisi quantum æquatio temporis impedit, quod exiguum ualde est, hic uero duplo, paulo amplius, temporis spacio 7. 30. tantum, ut in 10. fere annis medius Albategnij motus tribus cum dimidia horis à præcedente inæqualitate propius ad æqualitatem accesserit. Omnino itaq; uidetur talem aliquam Solis motui inesse anomaliam, quæ medium quem dicimus motum æqualem siue medium esse non sinat, sed tamẽ per interualla ad æqualitatem

litatem redeuntem: quod tametsi præter institutum sit, uolui tamen hoc conuenienti loco lectorem commonefacere, ut idem per alias ætates obseruet, si forte quod hic conijcimus esse etiam ibi deprehendat, & modum aliquem eius enormitatis inueniat.

901. Lunæ eclipsis dicta, cuius media oppositio 1. die Aug. completo & horis 20. 13. Aractæ.	Interuallũ anni 59. dies 287. horæ 18. 47. Intercalares 15. Latit. medius motus gr. 179. 41. 29. Syzigiæ 739 $\frac{1}{2}$ ann. 59. dies 302. horæ 21. 34. Abundãt syzigiæ hor. 2. 47.
961. Solis eclipsis 16. calẽdas Iunij, hoc est 17. Maij. Sit meridie, & Aaractæ hora 3. à meridie, Constantinopoli uerò hor. 2. à meridie.	Interstitiũ anni 7. dies 218. horæ 21. Intercalares 2. Latit. motus medius grad. 3. 2. Syzigiæ 94. anni 7. dies 220. hor. 21. 1. 32. 12. Abundant syzigiæ horis 0. 1. 32.
968. Solis eclipsis maxima, hora 3. (ab ortu Solis) Constantinopoli, 22. Decembris. Sit	Interstitium anni 64. dies 189. hor. 3. Intercalares 16. Latit. medius motus gr. 351. 18. 35.

Sit hora 11. à media nocte Constātinopoli, & Gemblaci hora 9.

Syzigiæ 798. ann. 64. dies 205. hor. 9. 58. 59. 36.
Abundant syzigiæ horis 6. 58.

1033. Solis eclipsis 29. Iunij circa meridiem. Sigeb. apud quē male hæc eclipsis asscribitur anno 1032. sic enim syzigiæ inter hanc & præcedentem abundarent diebus 11. excessu uidelicet 12. mensium solarium supra 12. menses lunares, qui nō nisi 12. syzigijs ac 12. mensibus solaribus, hoc est anno addito cōpensatur. Et Marcus Fritschius in prodigijs eam ponit anno 1033. 3. cal. Iulij.

Interuallum anni 6. dies 54. hor. 4. 30.
Intercalaris 1.
Latit. motus medius grad. 182. 22. 24.
Syzigiæ 76. anni 6. dies 54. hor. 7. 48. 28. 32.
Deficiūt syzigiæ horis 20. 42.

1039. Solis eclipsis 11. cal. Septemb. (hoc est 22. Augusti) ab hora 3. usq; ad 6. luna uigesimaoctaua. Alberic. Medium ergo eius fuit hora 4. 30. à meridie. Male apud Albericum hæc eclipsis asscribitur anno Domini 1038. quemadmodum & sequēs apud Sigebertū anno 1039. hoc

Interuallum dies 265. hor. 0. 30.
Intercalaris 1.
Latit. motus gr. 279. 16. 59.
Syzigiæ 9. dies 265. hor. 18. 36. 31. 48.
De-

hoc enim ostendunt & syzigiæ, tunc plurimũ exorbitantes, ut facile deprehendet qui sic disponet & supputabit. Fritschius in Prodigijs eam anno 1039. ponit.

Deficiũt syzigiæ horis 5.54.

1140. Pridie Idus Maij fuit Solis eclipsis. Sigeb. Sit uespere hora 5. post meridiem, die 14. Maij. Latitudinis motus inter hãc et proximã eclipsim præcedentem cum multo sit maior quàm ut eclipsi conuenire possit, suspicionem parit male huius eclipsis tẽpus aßignatũ esse, atqui in præcedentẽ annum transponi non posse, mox diximus, & pro, Idus Maij si substituas Idus Martij, fiet quidẽ latitudinis motus pro interuallo præcedẽte gr. 192.7. satis cõueniens eclipsi faciendæ, sed syzigiæ idẽ interuallũ superabunt die 1. horis 16.38. similiter sequentis interstitij syzigiæ deficient à iusta temporis quãtitate dieb. 3. horis 2.10. quanta syzigiarum exorbitatio hic admitti non debet.

Interuallum anni 41. dies 322. hor. 8.

Intercalares 10.

Syzigiæ 518. ann. 41. dies 331. hor. 20. 22. 30. 16.

Deficiunt syzigiæ horis 11.36.

1082. Nouilunium & prima Luna fuit 2. Aprilis. Sit eius principio hora prima post mediam noctem, & calendas Aprilis. Hic Marianus diserte dicit cyclum decemnoualem duobus dieb. à ueritate aberrare, & primam lunam in 4. diem Aprilis reijcere, quæ 2. die contingebat.	Interstitium anni 11. dies 174. hor. 14. Intercalares 3. Syzigiæ 142. anni 11. dies 178. hor. 8.16.21.44. Abundant syzigiæ horis 18.16.
1093. Solis eclipsis 23. Septembris, die ueneris, à prima usque ad sextam. Sit medium eius hora 3. pomeridiana. In numeris 1. & 6. error est, nulla enim Solis eclipsis 5. horas durat.	Interuallum anni 2. dies 141. hor. 7. Syzigiæ $29\frac{1}{2}$. anni 2. dies 141. hor. 3. 39.44.14. Deficiunt syzigiæ horis 3.21.
1096. Lunæ eclipsis 3. Idus Februarij (id est 11. Febr.) Sit uespere hora 10.	Interstitium dies 176. hor. 6.0. Intercalaris 1. Syzigiæ 6. dies 177. hor. 4. 24.21.12. Deficiunt syzigiæ hor. 1.36.
1096. Lunæ eclipsis 7. Idus Augusti (hoc est 7. die Augusti.) Sit mane hora 4.	

1117. *Lunæ eclipsis 16. calendas Iulij. Sit uespere hora 10. die 16. Iunij.*	*Interstitiũ anni 20. dies 313. horæ 18.* *Intercalares 5.* *Syzigiæ 258. anni 20. dies 318. horæ 21. 27. 11. 36.* *Abundãt syzigiæ hor. 3. 27.*
1117. *Lunæ eclipsis 16. Iunij uespere hora 10. ut dictũ est.*	*Interstitium dies 177. horæ 2. 0.* *Syzigiæ 6. dies 177. hor. 4. 24. 12. 12.* *Abundãt syzigiæ hor. 2. 24.*
1117. *Lunæ eclipsis 4. Idus Decẽbris (alias 3. Idus) ad mediam noctem. Sit ergo 10. Decembris finiente.*	*Interstitiũ anni 6. dies 243. hor. 22.* *Intercalares 2.* *Syzigiæ 82 $\frac{1}{2}$. ann. 6. dies 246. hor. 7. 10. 51. 30.* *Abundãt syzigiæ hor. 9. 10.*
1124. *Solis eclipsis 3. Idus Augusti (11. Augusti.) Sit uespere hora 10.*	*Interuallũ anni 8. dies 355. hor. 20.* *Intercalares 2.* *Syzigiæ 111. ann. 8. dies 357. hor. 21. 30. 32. 12.* *Abundant syzigiæ horis 1. 30.*
1133. *Solis eclipsis 4. nonas Augusti, hora 7. diei. Marian. At Sigebertus habet hora*	*Interstitium anni 5. dies 242. hor. 23.* *Intercalaris 1.*

4 Sy-

hora 6. diei, forte diuersos meridianos respiciũt. Ponamus eam hora 6. uespere.

Syzigiæ 70. anni 5. dies 242. hor. 3. 24. 7. 20. Deficiũt syzigiæ die 1. hor. 19. 36.

1139. Solis eclipsis magna 4. nonas Aprilis aduesperãte die Alberic. Sit uespere hora 5. Male Albericus annũ 1140. recte autẽ Hirs. chron. 1139. ponit, quanquam forte pro 4. nonas legendum sit calẽd. Aprilis propter magnitudinem & æqualitatem excessuũ, defectus præcedentis & abundantiæ sequentis.

Interstitiũ anni 8. dies 206. hor. 22. 30.

Intercalares 2.

Syzigiæ 106. anni 8. dies 210. hor. 5. 5. 14. 32.

Abundãt syzigiæ die 1. horis 6. 35.

1147. Solis eclipsis 26. Octobris die dominico à 2. hora usque ad 5. Sigeb. Circa horam pene 4. diei. Hirsaug. Sit hora 3. 30. à meridie.

Interuallũ ann. 1. dies 151. hor. 5. 30.

Intercalaris 1.

Latit. medius motus gr. 2. 36. 30.

Syzigiæ 17 $\frac{1}{2}$. ann. 1. dies 151. hor. 18. 52. 1. 50. Deficiunt syzigiæ hor. 10. 38.

1149. Lunæ eclipsis 11. cal. Aprilis (7. cal. legendum, quod est 26. Martij) circa horam 9. noctis (uespere) sabbato ante Ramos palmarum. Sigeb.

Sigeb. Ita legendũ esse conuincunt latitudinis medius motus conueniens inter hanc & praecedentem eclipsim, pariterq; syzigiarum tempus eo tantum loco coincidentes. Est & alia praxis, qua dubia & suspecta eclipsium tempora limitare certo possumus, quae talis est. A praesente anno quo eclipsim factã putamus toties 19. abijciamus, donec residuus numerus annorum intra Bedae cyclos paschales inueniatur, & quo ibi die aßignatur Luna decimaquarta, eodem & hoc anno praesenti aßignãda est iuxta cõtinuati cycli decemnoualis rationẽ. Quod si quis error incidat ratione titubationis motuum, quam indagamus, is modicus est nec inquirentem fallet: non enim propius cõueniunt, aut iustiore distantia separantur eclipsis assumptae dies, & Lunae decimaequartae tempus in abaco paschali inuentum, quam in pari annorum cycli decemnoualis numero, nisi fortè multos quis annos in anteriora aut consequentia transilire uolet. Sic ab hoc praesente anno 1149. si aliquoties auferamus 19. remanebunt tandem 1054. quo anno in abaco paschali Bedae Luna decimaquarta habet diem 6. cal. Aprilis, quia igitur uterq; annus 1054. & 1149. est septimus in ordine cycli decemnoualis, utriq; etiã idem Lunae decimaequartae dies competet, uidelicet 6. cal. Aprilis, quod tempus uno tantum die posterius est tempore eclipsis aßignato. Cùm igitur plenilunium ex abaco Bedae deductum proxime cum die 7. cal. Aprilis aßignato conueniat, longè autem ab 11. cal. longiusq; à 14. cal. (qui hoc anno etiam sabbati dies fuit) disiungatur, proculdubio in 7. cal. Aprilis, quĩ sabbati dies fuit anno 1149. praedicta eclipsis quadrare reperitur.

1149. Lunæ eclipsis 7. cal. Aprilis, hora 9. uespere iã dicta.	Interuallũ anni 6. dies 83. hor. 2. Intercalaris 1.
1155. Lunæ eclipsis 15. cal. Iulij, hora 1. noctis (mane) Sole in posterioribus partibus ♊ existente. Sigeb. appen. Sunt aũt in appendice Sigeberti hoc loco & deinceps usque ad annum	Latit. medius gr. 181. 10. 15. Syzigiæ 77. anni 6. dies 83 hor. 20. 32. 32. 4. Deficiunt syzigiæ horis 5. 28.

1160. anni Domini transpositi, ut, si nõ omnia, multa tamẽ uno anno prius cõtigisse credantur, ostendentibus id tẽporis descriptionib. paßim insertis, quæ diem & feriã certos anni indices iunctos habẽt: quamobrẽ & eclipses eodẽ tẽpore signatas uno quã scribuntur anno prius factas credimus, eam autẽ Lunæ eclipsim quæ 11. cal. Iunij anno 1154. notata est, eandẽ esse cũ illa quæ 15. cal. Iulij, hora 1. noctis, anno 1156. inuenitur, nõ dubitamus. Solis enim in posteriorib. partibus ♊ locatio in priore addita, etiã posteriori conuenit: dies verò 11. cal. Iunij in priore huic Solis loco nõ cõpetit: quinimo nec 11. cal. Iulij, si quis ita castiget, at 15. cal. Iulij initio sui postrema Geminorum hac ferè ætate soli dabat. Quare si hãc eclipsim, quæ 15. cal. Iulij scribitur anno 1155. cõtigisse ostenderimus, nõ potuisse illam anno 1154. in fine ♊. fieri, obtinebimus. Vnius enim anni interuallo ad eandẽ eclipticæ partẽ redire eclipsim est impoßibile, propterea quod 12. syzigiæ siue mẽses lunares 11. dieb. ab anni integritate deficiũt, 13. vero 18. dieb. superãt. Quin nec latitudinis

dinis medius motus ad eclipsim idoneus fiet si quis eũ ex 7.cal.April.anni 1149.in 15. Iulij anni 1154. aut 11. cal.eiusdẽ colligat: si uero in 11.cal.Iunij tantũ inde deducat, fiet quidẽ latitudinis motus cõueniẽs, sed syzigiæ longius exorbitabũt. Quod porrò eclipsis quæ anno 1156. 15.cal. Iulij in appẽdice scripta est anno Domini 1155. cõtigerit, sic ostẽdimus. Syzigiarum 77. quas adscripsimus interuallo quod est ab eclipsi anni 1149. ad alterã anni 1155. tẽpus bene (ut uides) eidẽ interuallo respondet, his 12. syzigias addamus, fient anni Aegyptij 7. dies 73. hor. 5.21.14.28. quod tẽpus superat interuallũ iã uno anno auctũ dieb. 10. hor. 15.11. itaq; nõ anno 1156. sed 1155. ad quem 77. syzigiæ rectè terminabãtur, hæc eclipsis ponẽda fuit. Idẽ ex latitudinis motu cõuincitur, q cùm ad præcedẽs interuallũ cõueniens collectus fuerit, uidelicet gr. 181.10.15. additione anni fiet graduũ 329. 53. minor quã oportet, tametsi nõ multo. Præterea iuxta praxim paulo antè descriptã annus hic 1155. in ordine cycli decemnoualis respõdet anno 1060. apud Bedã, in quo ille Lunã 14. ponit 12.cal. Aprilis, à quo die ad 15. cal. Iulij 88. circiter dies numerãtur, qui 3. mẽses lunares quã proximè cõtinẽt: anno aũt 1156. respõdet apud Bedã annus 1061. ubi 5. Idus Aprilis Luna decimaquarta signatur, à quo die ad 15. cal. Iulij 69. circiter dies colliguntur, qui duas syzigias cõprehendũt, & præterea 10. ferè dies. Cùm ergo annò 1156. 10. dies ultra integras syzigias in tempore eclipsis dato supersint, in anno uero 1155. distãtia triũ exactè quã pximè syzigiarũ à 14. Luna Bedæ ad huius eclipsis tẽpus reperiatur, manifestũ est anno 1155. nõ autem 1156. eclipsim hanc factam fuisse.

1155.

1155. Lunæ eclipsis 15. cal. Iulij mane hora 1. noctis ut dictum est.

1176. Lunæ eclipsis litania maiore hora 1. noctis, post diem Marci Euangelistæ (hoc est 26. Aprilis mane.) Sigeb. suppl. Ponitur autem ibi annus 1175. sed male. cùm enim ad præcedens interuallum rectè quadret syzigiarum 258. tempus, & congruens sit latitudinis motus interuallo respondens, non conuenient hæc si anno 1. augeantur uel minuantur. Præterea huic anno respondet in cyclo paschali Bedæ ann. 1062. in quo Luna decimaquarta scribitur 4. cal. Aprilis, à quo die ad 26. Aprilis sunt 28. dies, quod interuallum unum lunarem mensem adæquat proxime: cæterum si annum addas, fit Luna decimaquarta 15. cal. Maij, unde ad 26. Aprilis 9. tantum sunt dies, quo dierum spacio oppositionẽ redire est impoßibile. Deniq; adscripta dies litaniæ maioris annum 1175. non admittit. Rectè ergo anno 1176. eclipsim hanc factam dicimus.

Interstitium anni 20. dies 313. hor. 0.
Intercalares 6.
Latit. medius gr. 354. 25. 29.
Syzigiæ 258. anni 20. dies 318. horæ 21. 27. 11. 36.
Abundant syzigiæ hor. 2. 33.

1176. Lunæ eclipsis 26. Aprilis mane hora prima noctis, ut dictum est.

Interuallũ dies 176. hor. 21. 0.
Syzigiæ 6. dies 177. hor. 4. 24. 21. 12.
Abundant syzigiæ hor. 7. 24.

1176. Lunæ eclipsis 14. cal. Nouemb. nocte sequente, feria 3. hora noctis. Sit hora 10. uespere die 19. Octob.

Interuallum anni 2. dies 302. hor. 22. 0.
Latit. motus medius gr. 344. 49.
Syzigiæ 35. anni 2. dies 303. hor. 13. 42. 3. 40.
Abundant syzigiæ hor. 15. 42.

1179. Lunæ eclipsis 15. cal. Septemb. post 8. horā noctis dominicæ. Sit hora 8. uespere die 18. Augusti.

Interuallum dies 162. hor. 16.
Lat. motus gr. 351. 58.
Syzigiæ 5. $\frac{1}{2}$. dies 162. hor. 10. 2. 19. 26.
Deficiunt syzigiæ hor. 5. 58.

1180. Solis eclipsis 5. cal. Februarij, Feria 3. (28. Ianuarij, sit meridie eiusdem.

Interuallum ann. 1. dies 165. hor. 21.
Intercalaris 1.
Syzigiæ 18. ann. 1. dies 166. hor. 13. 13. 3. 36.
Deficiunt syzigiæ horis 7. 47.

1181. Solis eclipsis 3. Idus (Iulij) hora 9. diei, durauit unam horam & 38. minuta.

Interuallum dies 162. horæ 18.
Syzigiæ 5 $\frac{1}{2}$. dies 162. hor. 10 2. 19. 26.
Deficiũt syzigiæ hor. 8.

1181. Lunæ eclipsis 11. cal. Ianuarij, feria 3. nocte sequente, hora 3. noctis. (23. Decemb. mane.

1187. Solis eclipsis pridie nonas Septembris, adeo magna, ut stellæ per diẽ uisæ sunt tanquã in nocte. Sit mane hora octaua.

1191. Solis eclipsis uniuersalis in uigilia Ioannis Baptistæ, dominica die, Sole in 7. ♋. Luna in 16. eiusdem (iuxta medios motus) circa meridiem. Quia porrò Albericus dicit caudam Draconis fuisse in 12. ♋. & Lunam in 6. eiusdẽ, colligitur medius latitudinis motus graduum 174. proximè à nodo ascendente fuisse. Vigilia Ioan. Bapt. est 23. Iunij.

1204. Lunæ eclipsis totalis 16. cal. Maij uespere, in nocte, Luna 12. Sit 16. Aprilis uespere, hora 10.

Interuallum anni 5. dies 255. hor. 5.

Intercalaris 1.

Syzigiæ $70\frac{1}{2}$. anni 5. dies 256. hor. 21. 46. 6. 9.

Abundant syzigiæ hor. 16. 46.

Interuallum anni 3. dies 292. hor. 4.

Intercalaris 1.

Syzigiæ 47. anni 3. dies 292. hor. 22. 30. 46. 4.

Deficiunt syzigiæ hor. 5. 30.

Interuallũ anni 12. dies 296. hor. 22.

Intercalares 4.

Latit. medius motus gr. 5. 29. 22.

Syzigiæ $158\frac{1}{2}$. an. 12. dies 300. hor. 14. 23. 20. 2.

Deficiunt syzigiæ hor. 7. 37.

1207. Solis eclipsis pridie cal. Martij in 16. grad. ♓. hora diei 5. (9. legendum puto.) Alberic. Hirs. chr. ponit horam 10. sed malè annum 1206. ut per praxim cycli paschalis Bedæ probari potest.

Interuallum anni 2. dies 317. hor. 11.
Latit. medius motus gr. 176. 11. 37.
Syzigiæ 35 $\frac{1}{2}$. anni 2. dies 318. hor. 8. 4. 5. 26. Abundant syzigiæ hor. 21. 4.

1216. Lunæ eclipsis totalis in Martio die Martis ante festum Gregorij, & durauit à gallicantu usque ad Solis ortum. Alberic. Sit medium eius 8. Martij, hora 4. mane. Si quis existimet hanc eclipsim uno anno serius ponendam esse propter latit. motum inter hanc & præcedentem paulo maiorem æquo, addat syzigias 12. inueniet annos 9. dies 362. horas 10. 41. quod tempus à uero interuallo tunc præcedēte deficit diebus 13. hor. 18. Si uno anno prius ponēdā putet, demat 12. syzigias, fiet anni 8. dies 18. hor. 7. 3. qđ syzigiarū

Interuallum anni 9. dies 7. hor. 19.
Intercalares 3.
Latit. medius motus gr. 41. 11.
Syzigiæ 111 $\frac{1}{2}$. anni 9. dies 7. hor. 15. 52. 33. 58.
Deficiunt syzigiæ diebus 3. hor. 3. 8.
Sin uerò interstitiū sit ann. 9. dies 8. cum intercalarib⁹, hor. 19. quod uerisimilius est, tunc deficient syzigiæ die 1. hor. 3. 8. et latit. motus fiet gr. 14. 45. qui eclipsi conueniens est.

tempus

tempus superat uerum interuallum diebus 7.hor.12. 3.Cogit ergo hæc syzigiarum enormitas eclipsim anno huic 1216.attribuere, ubi triduo tantum deficiũt. Astipulatur eidem anno abacus Bedæ, ex quo in nonas Aprilis huius anni Luna decimaquarta cadit, unde ad hanc eclipsim 28.sunt dies, quot proxime à plenilunio ad plenilunium intercedunt. Verisimile porrò est, diem Martis siue ab Alberico per errorem scriptum, siue à bibliographo mendose transscriptũ esse, et loco: Martis die: dominico die: legendum esse, quod nimius alioqui fiat syzigiarum discessus à quantitate interstitiorum præcedentis ac sequentis, qui nec paulatim ex præcedentibus creuit, nec sensim per sequentia eliquescit, sed subito in uno tantum interstitio natus, in altero etiam subito deponitur, contrarijs excessibus se mutuo compensantibus, qualis irregularitas à naturali motu planè aliena est.

1216. Lunæ eclipsis totalis, cuius mediũ 8. Martij hora 4. mane, ut dictum est. 1236. Solis eclipsis 3. nonas Augusti, hora diei quasi sexta, dominico die. Alberic. (3. Augusti hora 6. uespere.	Interstitiũ anni 20. dies 148. hor. 14. Intercalares 5. Latit. medius motus gr. 326.4.11. Syzigiæ $252\frac{1}{2}$. an. 20. dies 156. hor. 11.24.52. 10. Abundant syzigiæ diebus 2. hor. 21.24. Sin uerò interstitium sit anni

Con-

Concordat huic anno praxis illa ex Bedæ paschali cyclo petita. | anni 20. dies 155. hor. 14. cōprehensis intercalaribus, ut uerisimilius fit, eclipsi illa Lunæ 6. Martij posita, abundabūt syzigiæ tantū hor. 21. 25. & latit. motus fiet gr. 352. 31. 42. magis congruens eclipsi faciendæ.

1241. Solis eclipsis magna pridie nonas Octobris (6. Octobris) ab hora 6. usque ad 9. ferè. Meyer. Alber. Sit medium eius hora 7. 30. ante meridiē. Examen ex cyclo Bedæ petitum eodem anno hanc reponit.

Interstitium anni 5. dies 63. hor. 13. 30.
Intercalaris 1.
Latit. medius motus gr. 157. 41.
Syzigiæ 64. anni 5. dies 64. hor. 22. 59. 46. 8.
Abundant syzigiæ hor. 9. 29.

1267. Solis eclipsis 25. Maij in quarta (tertia) parte II. sub horam 3. antemeridianam. Niceph. Greg. Sit in Belgio circa ortum Solis, hora 4. 30. à media nocte. Iuxta examen per Bedæ abacum adhibitum hic annus quadrat.

Interuallum anni 25. dies 230. hor. 21.
Intercalares 6.
Latit. medius motus gr. 11. 31. 48.
Syzigiæ 317. an. 25. dies 236. hor. 4. 46. 40. 4.
Deficiunt syzigiæ horis 16. 14.

1274. Lunæ eclipsis 23. die Ianuarij uespere, cuius medium hora 1.50. ante mediam noctem. Vide reliqua suo loco. Annus hic examini per cyclũ Bedæ adhibito quadrat.

Interuallum anni 6. dies 243. hor. 17.40.
Intercalares 2.
Latit. medius motus grad. 183.12.27.
Syzigiæ 82 $\frac{1}{2}$. anni 6. dies 246. hor. 6.34.51.30.
Abundãt syzigiæ horis 12. 54.51.

1279. Solis eclipsis pridie Idus Aprilis ante Solis occasum, ut in opere suo loco annotatũ est. Sit mediũ eius uespere hora 6.10. Quadrat annus hic examini per cyclum Bedæ facto.

Interuallũ anni 5. dies 78. hor. 20.
Intercalaris 1.
Latit. medius motus grad. 359.42.30.
Syzigiæ 64 $\frac{1}{2}$. anni 5. dies 79. hor. 17.21.47.54.
Deficiunt syzigiæ horis 2. 39.

1279. Solis eclipsis 12. Aprilis uespere hora 6.10. ut dictũ est.

Interstitium anni 51. dies 139. hor. 9.20.
Intercalares 13.
Latit. medius motus grad. 170.18.
Syzigiæ 635 $\frac{1}{2}$. anni 51. dies 151. horæ 16.39.25.26.
Deficiũt syzigiæ horis 16. 41.

1330. Luna prorsus obscurata est cal. Septembris (3. cal. scribendum.) Medium eclipsis fuit circa ortum Solis Constātinopoli. Vide Niceph. Greg. pag. 174. b. Sit medium eius in Belgio hor. 3.30 à media nocte. Examē per cyclum Bedæ adhibitū eundem annum huic eclipsi competere monstrat. Quod autem 3. cal. legendum sit, ostendunt enormitates syzigiarum & latitudinis. Etenim si ipsis cal. ponatur, deficient præcedētis interualli syzigiæ diebus 2. hor. 16. 41. et colligetur eiusdem latitudinis motus grad. 196. 45.58. Et sequentis interualli syzigiæ abundabunt die 1. horis 5.54. Latit. motus quoq; eidem respōdebit gr. 281.56.

1339. Solis eclipsis magna die S. Kiliani (8. Iulij) circa meridiem, durauit horas ferme duas. Hirsaug. chron.

Interstitium anni 8. dies 312. hor. 8.36.
Intercalares 2.
Latit. medius motus gr. 308.24.
Syzigiæ 109 $\frac{1}{2}$. anni 8. dies 313. horæ 14.24.26.54.
Deficiunt syzigiæ hor. 18.6.

Interstitiū anni 37. dies 8. hor. 23.
Intercalares 10.
Latit. medius motus gr. 353.11.30.
Syzigiæ 458. anni 37. dies 20. hor. 0. 18.58.16.
Abundant syzigiæ die 1. hor. 1.19.

1376. *Solis eclipsis 17. Iulij ante meridiem. Leouit. Fuerit hora 11. Quandoquidem credimus Leouitium eclipses suas ex histo rijs sumpsisse, non ex calculo, ex eo deinceps aliquot assumemus quæ nobis necessariæ erunt.*

Interstitium anni 8. dies 31. hor. 5. 0.
Intercalares 2.
Syzigiæ 100. anni 8. dies 33. hor. 1. 25. 53. 20.
Deficiunt syzigiæ horis 3. 35.

Interstitiū anni 24. dies 240. hor. 20. 0.
Intercalares 6.
Syzigiæ 305. anni 24. dies 246. horæ 19. 57. 57. 40.
Deficiūt syzigiæ hor. 0. 2.

1384. *Solis eclipsis magna 17. Augusti. Leouit. Sit à meridie hora 4.*

1409. *Solis eclipsis 15. Aprilis. Leouit. Sit meridie.*

Interstitium anni 8. dies 355. hor. 20.
Intercalares 2.
Syzigiæ 111. anni 8. dies 357. hor. 21. 30. 32. 12.
Abundāt syzigiæ hor. 1. 30.

1418. *Solis eclipsis sexta Aprilis mane. Leouit. Esto hora octaua.*

1444. *Coniunctio media luminarium in Februario erat tertia feria post Iulianæ*

Interstitium anni 25. dies 318. horæ 11. 39.
Intercalares 6.
Syzi-

næ uirginis festum (id est die 18. Februarij) hora 7. post prandium, 39. minuto, 28. secundo, ad meridianũ Coloniensem. Hæc in fine uetusti cuiusdã codicis sic ad uerbum inueni. Supputata fuit haud dubiè coniunctio hæc ex tabulis Alfonsi, sed minus adhuc erroneis, quia origini suæ uiciniorib.

1448. Solis eclipsis anno 2. Nicolai 5. P P. 29. Augusti hora diei 6. Matt. Palm. Platina. Maff. & Leouit. In Mattheo Palmerio errore scribarum ad ann. 1449. refertur, anni enim Domini respectu annorum Nicolai suũ locũ anticipãt.

1452. Solis eclipsis 11. Decẽbris. Leouit. Sit hora 12. in Belgio, et 1. hora pomeridiana Viennæ.

Syzigiæ 320. anni 25. dies 324. horæ 18.58.50. 40.

Abundant syzigiæ horis 7.19.

Interstitium anni 4. dies 191. horæ 15.21.

Intercalares 2.

Syzigiæ 56. anni 4. dies 193. hor. 17.7.17.51.

Abundant syzigiæ hora 1.46.

Interuallum anni 4. dies 104. hora 1.

Intercalaris 1.

Syzigiæ 53. anni 4. dies 105. hor. 2.55.7.16.

Abundant syzigiæ horis 1.55.

Interuallum anni 4. dies 266. hor. 10.6.

Intercalaris 1.

Syzigiæ 58½. anni 4. dies 267. horæ 12.57.26. 42.

Abundant syzigiæ horis 2.51.

1457. Lunæ eclipsis 3. die Decembris, cuius medium fuit hor. 11. 6. à meridie Viennæ. Io. de Monteregio obseruauit, ex cuius libello de Torqueto, & alijs adiunctis anno 1544. à Ioanne Montano Norimbergæ excusis, deinceps eclipses aliquot assumemus. In hac porrò eclipsi ait Io. Regiom. ueram oppositionẽ 8. minutis prius deprehensam esse, quàm calculus Alfonsi monstraret. Colligũtur in medio huius eclipsis ex anno 1500. huc usq; subducendo hi motus:

Latit. medius grad. 355.56. 2.54. à nodo descendente.

Inæqual. ☾. gr. 159.12.31. et medius maior uero gr. 1.56.

Solis medius motus gr. 22. 16.38.12. ♍. et medius maior uero grad. 2.20. Auge Solis in gr. 0.48. ♋. data, de qua anno 1509. amplius dicemus.

Ergo

In oppositione uera medius Lunæ locus adhuc distabat ab oppositione media gr. 0.24. et sequuta est media oppositio ueram horis 0.48.

Interstitium uerum anni 2. dies 302. hor. 22.8.

Intercalaris 1.

Latit. Lunæ medius motus grad. 358.7.31.34.

Inæqual. Lunæ gr. 188.10.34. illi respondent.

Solis medius gr. 299.4.12.44.

Medium interstitium anni 2. dies 303. horæ 24. 54.

Syzigiæ 35. anni 2. dies 303. hor. 13.42.3.40.

Deficiunt syzigiæ hor. 11.12.

1460.

1460. Lunæ fuit eclipsis nocte quæ sequebatur diem tertium Iulij, medium eius fuit hor. 8. 13. post meridiem (tertio Iulij) Viennæ, & finis horis 9. 10. transactis, atq; hæc secundum computum. Obseruatio autem finem deprehendit hor. 10. 20. transactis, & eclipsari digitos 4. paulo amplius, cùm ex computo tantum 2. 56. debuissent. Ioan. Mont. Durauit ergo uerè hor. 2. 12. circiter, & mediũ eius fuit hor. 9. 14. transactis post meridiem. Colliguntur in eo ex anno 1500. hi motus:

Latit. medius gr. 354. 3. 34. 27. à nodo descendente.

Inæqual. Lunæ gr. 347. 22. 4. ubi medius motus minor est uero gr. 1. 1.

Solis medius gr. 21. 20. 50. 56. ♋. ubi medius maior est uero gr. 0. 47. Apogeo in 1. 6. ♋. concesso.

Ergo

Cum in oppositione uera medius Lunæ locus abfuerit adhuc ab oppositione media gr. 1. 48. sequuta est media oppositio ueram horis 3. 34.

Interstitiũ dies 177. horæ 4. 12.

Lat. Lunæ medius gr. 183. 55. 4. 26.

Inæqual. Lunæ grad. 154. 47. 17. 58.

Solis medius motus gr. 174. 37. 47. 43.

Mediũ interstitiũ dies 176. hor. 16. 55.

Syzigiæ 6. dies 177. hor. 4. 24. 21. 12.

Abundant syzigiæ horis 11. 29.

1460.Lunæ eclipsis uniuersalis 27.Decembris,initiũ eius fuit hor,11.42. à meridie transactis,principium moræ hor.0.47. post mediũ noctis,finis moræ hor. 1.55. transactis.Mellici in Austria.Io.Reg.Medium ergo eclipsis & uera oppositio fuit transactis 27. Decẽbris, & hor.à media nocte 1.21.Mellici. Viennæ autem hor.1. 26.à media nocte transactis,initio uidelicet diei 28.Decembris. Colligũtur ex anno 1500.hactenus subducendo hi motus.

Latitudinis Lunæ medius gr.177.58. 38.53.à nodo descendente.

Inæqual.Lunæ medius gr.142.9.22. & med.maior uero gr.3.18.

Solis medius gr.15.58.38.40.♑.ubi medius minor uero gr.0.37.

Apogeo in 1.6.♋.posito.

Ergo

Cum medius Lunæ locus oppositionem mediam transierit gr.3.55.præceßit media oppositio ueram horis 7.43.

1460. Lunæ eclipsis, cuius mediũ fuit Decẽbris 27. cõpleto et horis 1.26. Viẽnæ, ut dictũ est.

Interstitiũ uerũ dies 176.hor.23.54.
Latit.medius motus gr.181.32.24.
Inæqual.Lunæ gr.152.26.52.
Solis medius gr.174.27.11.59.
Mediũ interstitiũ dies 177.horæ 17.3.
Syzigiæ 6.dies 177.hor.4.24.21.12.
Deficiunt syzigiæ horis 12.39.

1461.

1461. Lunæ eclipsis uniuersalis, cuius mediũ & uera oppositio fuit 22. Iulij cõpleto & hor. 1. 21. Viẽnæ Austriæ. post medium noctis uidelicet horis 1. 21. Hic uera oppositio 1. tantum minuto serius obseruata est, quã calculus Alfõnsi eam exhiberet. Io. Reg. Viterbij fuit medium eius post medium noctis horis 1. 4. Colliguntur in eo ex anno 1500. subducendo hucusq; hi motus.

Latit. medius gr. 359. 31. 2. 53. à nodo descendente.

Inæqual. Lunæ gr. 294. 36. 14. Medius minor uero grad. 4. 36.

Solis medius gr. 10. 25. 50. 39. ♋. Medius maior uero grad. 0. 21. Apogeo Solis in gr. 1. 12. ♋. constituto.

Ergo

Cum medius Lunæ locus distiterit ab oppositione media gr. 4. 47. sequuta fuit media oppositio ueram horis 9. 26.

1461. Lunæ fuit eclipsis initio noctis diem 17. Decembris sequẽtis, cuius finis fuit horis 5. 23. à meridie

Interstitium uerũ dies 354. hor. 1. 44.

Latit. motus gr. 4. 8. 44. 31.

Inæqual. Lunæ gr. 338. 3. 56.

Solis medius gr. 348. 59. 9. 49.

Medium interstitium dies 354. horæ 1. 56.

Syzigiæ 12. π 5 dies

die Romæ, ut obseruauit Io. Reg. cum Alfonsi tabulæ eundem hora 1.2. serius exhibeant, octo tãtum digitos in Luna Oriente eclipsari uidit, cum Alfonsinus calculus in uera oppositione colligat 10. Excessus digitorum per Alfonsinum computum collectorum finem eclipsis ad horam 1.2. ultra obseruationem extendere non potest, ut medium eclipsis uere calculo Alfonsino respondeat: sic enim tota eclipsis 5. & amplius horis durasset, cum 8. digiti, trium tantum horarũ proxime obscurationẽ efficiant. Quare necesse est Alfonsinũ calculũ hoc tẽpore in medio motu distantiæ multũ aberrare, & cœlesti motui inæqualitatẽ non animaduersam inesse.

dies 354. horæ 8. 48. 42. 24.

Abundant syzigiæ hor. 6. 52.

1462. Lunæ fuit eclipsis, cuius medium per coniecturã sumptũ erat 11. Iunij completo & hor. 2. 48. Viterbij Io. Reg. obseruauit. Addit Alfonsinũ calculũ minutis 27. serius oppositionẽ colligere. Minus igitur hoc loco ille à ueritate aberrat, quã in præcedente eclipsi. Vidit etiam 7. digitos ferè diametri ecli-

Interstitiũ uerũ anni 16. dies 47. horæ 11. 14.

Intercalares 4.

Latit. Lunæ motus gr. 180. 18. 50. 42.

Inæ-

eclipsari, cum Alfonsi compu-
tus reddat 6. 34. Norimber-
gæ fuit eius mediũ 11. Iunij cõ
pleto & horis 2. 39. Colli-
guntur in eo ex anno 1500.
subductione bi motus:

Latit. Lunæ medius gr. 3. 39. 47. 24. à nodo descendente.

Inæqual. Lunæ grad. 272. 40. 10. Medius minor uero gr. 4. 57.

Solis medius gr. 29. 25. 0. 28. 11. Medius minor uero gr. 0. 4. Auge Solis in gr. 1. 18. ♋. concessa.

Ergo

Cũ medius Lunæ locus adhuc à media oppositione abfuerit gr. 4. 53. sequuta est media oppositio uerã hor. 9. 38.

Inæqual. Lunæ gr. 291. 55. 45.

Solis medius gr. 46. 50. 19. 29.

Mediũ interstitium ann. 16. dies 51. hor. 9. 14.

Syzigiæ 199½. anni 16. dies 51. horæ 8. 29. 44. 54.

Deficiunt syzigiæ hor. 0. 44.

1478. Solis eclipsis fuit 29. Iulij, cœpit hora 1. post meridiem proxime completa, & finijt hor. 2. 47. elapsis proxime, ut obseruauit Bern. Vualtherus Norimbergæ. Medium ergo eius hora 1. 53. post meridiem Norimbergæ, in quo bi colliguntur motus:

Latit.

Interstitium uerum anni 6. dies 230. horæ 2. 34.

Intercalares 2.

Latit. medius motus gr. 5. 54. 10. 29.

Inæqualitatis gr. 324. 47. 8.

So-

Latit. Lunæ medius grad. 183.58.38.6. à nodo descẽdente.

Inæqual. Lunæ gr. 204. 35.55. Medius minor uero gr. 2.18.

Solis medius gr. 16.15. 19.57. ♌. Medius maior uero gr. 1.34. auge Solis in 2.35. ♋. data.

Ergo

Medio Lunæ grad. 3.52. adhuc distante à medio Solis sequuta est media cõiunctio ueram horis 7.38.

Solis medius gr. 227.18.50.33.

Medium interstitiũ anni 6. dies 231. horæ 12.14.

Syzigiæ 82. anni 6. dies 231. horæ 12.12.49.44.

Deficiũt syzigiæ hor. 0.2.

1485. Solis eclipsis 16. Martij, cuius principium Norimbergæ post meridiẽ hor. 3. & minutis 26. finis hor. 5.28. & circa 11. puncta obscurabantur. Bern. Vualterus. Medium igitur illius hor. 4.27. à meridie Norimbergæ. Colliguntur in eo hi motus subducendo ex anno 1500.

Latit. Lunæ medius grad. 189.52.48.35. à nodo descendente.

Inæqual. Lunæ gr. 169.23. 3. Me-

Interstitiũ uerũ anni 8. dies 207. horæ 22.30.

Intercalares 2.

Latitudinis Lunæ gr. 7.2.30.25

Inæqualit. Lunæ gr. 212.34.47.

Solis medius gr. 204.58.36.30.

Medium interstitium anni 8. dies 210. horæ 6.12.

Sy-

3. Medius maior uero gr. 1. 1.
Solis medius gr. 3. 34. 10. 36.
♈. Medius minor uero gr. 2. 23.
Apogeo Solis in 3. 37. ♋. cõstituto.
Ergo
Cum medius Lunæ locus præterierit medium Solis gr. 3. 24. præceßit media cõiunctio ueram ram horis 6. 42.

Syzigiæ 106. anni 8. dies 210. horæ 5. 50. 14. 32.
Deficiunt syzigiæ hor. 0. 22.

1493. Solis eclipsis 10. Octobris, cuius principium inter 1. & 2. horas post meridiẽ, principio mediocriter accepto, finis hor. 4. 24. Norimbergæ. Bernardus Vualtherus. Mediũ ergo hora circiter 2. 57. post meridiẽ Norimbergæ. & Cracouiæ hor. 3. 35. Colliguntur in eo hi motus.
Latitudinis Lunæ medius gr. 196. 55. 19. à nodo descendente.
Inæqualitatis Lunæ motus gr. 21. 57. 50. & medius maior uero gr. 1. 43.
Solis medius grad. 28. 32. 47. ♎. & medius maior uero gr. 2. 13. Apogeo Solis in gr.

Interstitiũ uerum anni 7. dies 26. hor. 10. 45.
Intercalares 2.
Latit. medius gr. 337. 20. 41.
Inæqualit. Lunæ gr. 272. 42. 10.
Solis medius gr. 26. 20. 13.
Medium interstitiũ anni 7. dies 28. horæ 21. 54.
Sy-

gr. 4.28. ♋. constituto.
Ergo
Cùm in coniunctione uera medius Lunæ locus adhuc gr. 0. 30. distiterit à medio Solis, sequuta est media coniunctio ueram bora 1.

Syzigiæ 87½. anni 7. dies 28. horæ 22.15.9.10.
Abundant syzigiæ hor. 0.21.

1500. Lunæ eclipsis, cuius mediũ Romæ 6. Nouemb. mane hor. 2. post mediam noctem. Cracouiæ autem hor. 2. 20. Defecerunt à borea digiti 10. Nicol. Copern. obseruauit, & in eo demonstrauit hos motus.

Latitudinis Lunæ medium grad. 174.16. à nodo descendente.

Inæqual. Lunæ motum gr. 294. 40. ubi medius minor uero gr. 4.28.

Solis uerus locus gr. 23.11. ♏.

Hæc ille lib. 4. ca. 14. Quia igitur apogeo Solis iuxta Copernicũ in gr. 6. ♋. cõstituto, Soli in ea parte excẽtrici sub uersanti æquatio gr. 1.42. cõpetit, iuxta Ptolomæi cõputũ, qua medius motus maior est uero; erat in oppositiõe uera medius motus Solis gr. 24. 53. ♏. et restabat distãtia media luminariũ gr. 6.10. ideoq; media oppositio sequuta est uerã horis 12. 9.

1500. Lunæ eclipsis 6. Nouẽbris mane hor. 2. 20. post mediam no-

Interstitiũ uerum ann. 8. dies 208. hor. 21.16.
Intercalares 2.

Latit.

noctẽ Cracouiæ, ut dictum est.

1504. 1. Martij mane obseruauit Ber. Vualtherus Norimbergæ finem eclipsis Lunæ hor. 3. 6. 40. post mediã noctẽ, cũ Alfonsi calculus det hor. 3. 22. serius nimirũ finẽ cõstituens minutis 16.

Latit. medius gr. 19. 35. 28. 40.

Inæqual. gr. 225. 7. 0.

Solis medius gr. 205. 54. 42.

Mediũ interstitium ann. 8. dies 210. horæ 4. 28.

Syzigiæ 106. anni 8. dies 210. horæ 5. 50. 14. 32.

Abundant syzigiæ horis. 1. 22.

1509. Lunæ eclipsis 2. Iunij, cuius mediũ erat post meridiem horis æquinoctialibus 11. 36. Cracouiæ defecerunt digiti proxime 8. lunaris diametri à parte australis circa scandentem sectionem.

Latitudinis Lunæ medius gr. 182. 18. à nodo descendente.

Inæqual. ☾. motus erat gr. 159. 55. & medius maior uero gr. 1 4 4.

Solis locus uerus gr. 21. ♊. Apogeum eius in gr. 6. 40. ♋.

Hãc eclipsim obseruauit Copernicus, & hos motus exinde demõstrauit, è quib. similes motus in sequẽtes eclipses secundũ Ptolomæi tabulas colligimus, quẽadmodũ ex eius motib. ann. 1500. adscriptis in præcedẽtes eclipses medios motus colligim⁹, ut una ubiq; mensura interstitijs mensurandis adhibeatur. Maluimus aũt in his duob. annis obseruatos Copernici motus

tus ponere, quam longo interuallo è superioribus iuxta Ptolomæi tabulas deducere, quo usitata hactenus æqualium motuum mensura ueræ hypothesi innixa, quã posset minimum ab obseruatis coniunctionum mometis deuiaret, atq; ita apertius penitiusq; cœlestium motuum cum dictæ mensuræ æqualitate disparitatem & inconstantiam perspiceremus. Apogei solaris quoq; locũ, quia nunc multum à Ptolomæi aßignatione receßit, & æquationes in consequentia transtulit, hic ex Copernici sententia posuimus, ne nimis mutata æquatio motibus Ptolomæi erroris aliquid allinat, cuius sua natura participes non sunt. Et cum ab Arzachele anno Domini 1073. inuenta fuerit aux Solis in 17.50. II. nos eam pro temporis ratione & habitudine ad hunc Copernici apogei locum in singulis præcedentibus sequentibusq; eclipsibus (quæ quidem à doctis obseruatæ sunt) utcunq; inclinauimus, si nõ omnino ad rei ueritatem, quam incognitam credimus, sic tamen ut error inde nostræ speculationi nocius nullus admittatur, quum exiles admodum errores, & paucorum minutorum dispendium omnino curanda non sint. Apogeo sic ut dixi hic constituto, nascitur ex Ptolomæi præscripto æquatio graduum 0.37. qua medius motus Solis minor est uero, ut fiat medius Solis motus in huius eclipsis medio gr. 20.23. II. & media distãtia gr. 2.21. qua Luna Solem superauit. ideoq; præceßit media oppositio ueram horis 4.38.

1509. Lunæ eclipsis, cuius medium	Interstitium uerũ anni 2. dies 126. hor. 0.55.
	Latit. Lunæ medius gr. 164. 51.

diũ fuit hor. 11. 36. à meridie secundæ diei Iunij Cracouiæ, ut dictum est.

51.59.20.
Inæqual. gr. 24.9.38.15.
Interuallum medium ann. 2. dies 126. hor. 9.57.
Syzigiæ 29. anni 2. dies 126. hor. 9 17.42.28.
Deficiunt syzigiæ hor. 0.40.

1511. Lunæ eclipsis uniuersalis, cuius mediũ fuit Frueburgi ad ostia Vistulæ, (similiter Cracouiæ) 6. die Octobris transacto & hor. 0.35. Sole medio motu in 24.13. ♎. uero autem in 22.25. existente, defecit tota. Coper. lib. 4. cap. 5. Reliqui motus ex præcedente collecti sic se habent:

Latit. Lunæ med. gr. 347. 9.59.20. à nodo descendẽte.
Inæqual. ☾. gr. 184.4.38. 15. Med. minor uero gr. 0.24.
Solis medius iuxta Coper. maior uero gr. 1.48.

Ergo

Medius Lunæ locus adhuc distabat ab oppositione media gr. 2.12. & sequuta est media oppositio ueram hor. 4.20.

Interstitium uerum anni 10. dies 334. hor. 0.45.
Intercalares 3.
Latit. Lunæ medius gr. 185.50. 28.43.
Medium interstitiũ anni 10. dies 336. horæ 14.36.
Syzigiæ 135. ann. 10. dies 336. hor. 15.7.57.0.
Abundant syzigiæ hor. 0.31.

1522. Lunæ eclipsis, cuius mediũ fuit elapsis 5. diebus Septembris,

Interstitium uerum

bris, & hora 1. 20. post medium noctis Frueburgi, Sole uero motu in gr. 22. 12. ♍. medio autem 23. 49. Lunæ motus à Sole medius erat gr. 182. 50. Anomaliæ siue inæqualitatis Lunæ motus grad. 74. 27. Tota defecit. Copern. li. 4. ca. 5. & 6. Vnde medius Lunæ motus maior uero colligitur gr. 4. 27. Et Solis medius maior uero gr. 1. 37.

Latitudinis medius colligitur additiõe pro ratione interstitij ad præcedentis eclipsis latitudinem graduum 173. 28. 3. à nodo descendente.

Igitur

Cùm in oppositione uera medius Lunæ locus præterierit oppositionẽ mediam gr. 2. 50. præceßit media oppositio ueram horis 5. 35.

Interstitium uerũ anni 21. dies 140. hor. 8. 40.
Intercalares 5.
Latit. medius gr. 336. 0. 30. 48.
Inæqualitatis Lunæ gr. 162. 14. 2. 32.
Solis medius gr. 138. 10. 2. 47.
Medium interstitium anni 21. dies 145. horæ 20. 17.
Syzigiæ 164 $\frac{1}{2}$. anni 21. dies 145. hor. 20. 13. 34. 34.
Deficiũt syzigiæ hor. 0. 4.

1544 *Solis eclipsis fuit 24. Ianuarij, cuius mediũ fuit Louanij hor. 8. 53. antemeridiana. Defecerunt digiti 10. in parte inferiore, cũ cõmunes tabulæ superiorem designent. Gemma Fri-*

Interstitium uerum anni 16. dies 209. hor. 3. 4.
Intercalares 5.
Latit. Lunæ medius

Frisius in Radio astronomico. Frueburgi uerò fuit hora antemeridiana 10.0.

Latit. Lunæ med. colligitur ex præcedentibus gr. 149.0. 58.

Et inæqualitatis Lunæ gr. 236.41.2.32. Medius minor uero gr. 4.23.

Et Solis med. ex præcedente ecl. gr. 11. 59.2.47. ♒. Apogeo autem in gr. 9.30. ♋. dato fit medius locus Solis minor uero gr. 1.19.

Ergo

In cõiunctione uera restabat adhuc distantia media gr. 3.4. & sequuta est media cõiunctio ueram hor. 6.2.

dius gra. 172.10. 52.53.

Inæqualit. Lunæ grad. 257.4.32. 19.

Solis medius gr. 207.9.42.53.

Interstitium medium anni 16. dies 213. horæ 17.23.

Syzigiæ 205. anni 16. dies 213. horæ 18.32.4.20.

Abundãt syzigiæ hor. 1.9.

1560. Solis eclipsis, cuius initiũ fuit 21. Augusti, hor. 0.52. post meridiẽ, finis hor. 2.15. Viennæ Austriæ. Obseruauit Tilemannus Stella.

Mediũ ergo fuit hora 1.33. à meridie Viẽnæ. Louanij aũt hora 11.57. antemeridiana.

Latitudinis Lunæ medius motus gr. 321.11.51.44.

Inæ-

Interstitium uerũ anni 6. dies 230. hor. 22.54.

Intercalaris 1.

Latit. Lunæ gr. 0.52.54.22.

Inæqualit. Lunæ gr. 322.47.22. 48.

Inæqualitatis Lunæ motus gr. 133. 45. 34. 51. & medius maior uero gr. 3. 50.

Solis medius gr. 9. 8. 45. 40. ♍. apogeo in gr. 11. ♋. posito fit medius maior uero gr. 1. 59.

Ergo

Medius Lunæ locus trãsierat medium Solis gr. 1. 51. & præceßit media coniunctio ueram hor. 3. 39.

Solis medius gr. 227. 9. 48. 28.

Medium interstitium anni 6. dies 231. horæ 12. 12.

Syzigiæ 82. anni 6. dies 231. horæ 12. 12.

Aequãl syzigiæ interstitium mediũ.

1567. Solis fuit eclipsis 9. Aprilis, cuius initium fuit hora 10. 25. antemeridiana, & finis hora 1. 0. post meridiem. Ita nos Duysburgi in Cliuia exacte obseruauimus. Mediũ ergo fuit hora 11. 42. ante meridiana Duysburgi. Viennæ aũt post meridiem hor. 0. 27.

Latit. medius gr. 322. 4. 46. 6.

Inæqual. Lunæ gr. 96. 32. 57. 39.

Medius motus maior uero gr. 5. 1.

Solis medius gr. 26. 22. 44. 16. ♈. Apogeo autem Solis in gr. 11. 40. ♋. constituto, fit medius Solis motus minor uero gr. 2. 16.

Exceßit ergo medius Lunæ locus Solis medium locum gr. 7. 17. & præceßit media coniunctio ueram hor. 14. 21.

Postquam nunc eclipsium interualla omnia una communi mensura dimensi sumus, & quantum unumquodq; uel

uel illam superet, uel ab ea superetur, per syzigiarum defectum atq; abundantiam indicauerimus, insuper & argumenta paßim occurrentia aperuerimus, non difficile erit cuiq; eam quam docere intendimus menstrui motus inæqualitatem & inconstantiam obseruare, & quidem in illis eclipsibus quæ ab eruditis uiris obseruatæ sunt, quales sunt illæ Ptolomæi ab anno 28. usq; ad 882. Nabonassari, & illæ ab anno Domini 1457. deinceps, perspicue talis inconstantia demonstrata, & oculis obiecta patet. Cùm enim medias oppositiones in illis disquisiuerimus, quarum interualla medius distantiæ Solis & Lunæ motus unus idemq; per omnia iuxta omnium astrologorum sententiam emetiri deberet, tamen rarißime id fieri uidemus, sed uel deficere syzigias à quantitate interuallorum, & cœlestem motum tardiorem fieri, uel abundare illas atq; hunc accelerari. Aequationem temporis fortè aliquis queratur à nobis non esse adhibitam: at quid obsecro potest illa ad tot horarum quot uides inæqualitatem tollendam? 40. horæ unius minuta efficere illa non ualet, cum cœlestis motus aliquando 6. 7. 11. ac 12. quoq; horis mensuram anteuertat aut sequatur. Si apogei solaris locum acu non attigerimus ubiq;, nihil hoc erroris inferre potest, cùm uno gradu transpositum nondum trium minutorũ æquationem reddat, idq; proxime se ac perigeũ, ubi æquationes maximè crescunt ac decrescunt, & circa medias longitudines insensibilis pene fit error. Secundam Lunæ inæqualitatem etiam ipse Ptolomæus in eclipsibus contemnendam, quod ibi quam proxime euanesceret, pronuntiauit. At uero si de apogeo certa aliqua regula extaret, & adminicula o-

mnia adhiberentur, non mihi persuadeo unius horæ æquationem medijs interstitijs, quæ posuimus, uel addendam uel auferendam extorqueri posse: proinde sufficienter inconstantiam cœlestis motus, quam quærimus, in obseruatis eclipsibus à nobis demonstratam, & oculis subiectam uides. Porro cum maiorem adhuc medij motus inconstantiam quæramus, quæ mediæ oppositioni tempore paßionis Christi rectè constituendæ sufficiat, maiorem multo eiusdem motus inæqualitatem inter eclipses reliquas proferemus, eas primum obseruationes assumendo quæ exactiores sunt, & magno inter se temporis spacio distant, quo infallibilis sit collectio, & qualis quantaq; in toto annorum numero supersit inæqualitas, conspicuum fiat: deinde per hæc magna interualla maiores quasq; inæqualitates disquiremus & examinabimus, ut earum modus aliquis & incrementum decrementumq; denudetur. Tria igitur magna interualla, quæ sunt ab obseruatione anno Domini 135. ad 664. à 664. ad 883. & hinc ad 1367. primum expendemus, quorum dispositio & ad usitatam mensuram collatio sic se habet.

135. Domini anno fuit media oppositio Octob. 19. cōpleto, & hor. 17. 33. Alexandriæ.	Interuallū mediū ann. Aegyptij 528 dies 327. cōprehensis intercalaribus, & hor. 8. 24.
664. Media cōiunctio fuit Maij 1. cōpleto et hor. 13. 15 in Anglia.	Syzigiæ quot singulatim p interstitia colliguntur, sunt 6537 $\frac{1}{2}$. quæ faciunt annos 528. dies 536. horas 6. 34. 59. 10.

Abun-

glid. Alexādriæ aūt 1. Mi|ij cōpleto, & hor. 15. 57. } Abundāt syzigiæ diebus 8. horis 22. 11.

883. Media oppositio fuit 22. Iulij completo & horis 14. 17. Aractæ. Alexandriæ uero horis 13. 37. } Interuallū mediū anni 219. dies 135. cōprehensis intercalaribus, horæ 21. 40.

Syzigiæ 2711. $\frac{1}{2}$. quot nimirū singulatim colligūtur, quibus respondent anni 219. dies 137. hor. 5. 5. 40. 38. Abundant syzigiæ die 1. hor. 8. 25.

1567. Media coniūctio fuit 7. Aprilis cōpleto, & horis 21. 21. Louanij, Alexādriæ uero horis 23. 39. } Interuallum mediū anni 684. dies 65. comprehensis intercalaribus, hor. 10. 2.

Syzigiæ, quot colliguntur, 8456. $\frac{1}{2}$. annos faciūt 684. dies 65. horas 11. 43. 59. 38.

Abundant syzigiæ hora 1. 41.

Ex hac interuallorum cum synodica mensura collatione conspicuum fit, toto eo interuallo, quod est ab anno 135. ad 1567. mensuram maiorem fuisse motu cœlesti, eamq; in primo interstitio maxime interluniorum tēpus excessisse, in secundo multum à fastigio inæqualitatis discessisse, & in tertio proximæ æqualitati restitutam esse, uti etiam in fine eiusdem aliquam multis annis interstitium mensuræ usitatæ respondet. Fuit ergo medius motus distantiæ in primo interuallo alicubi celerrimus, & multum Ptolomæi mensuram anteuertens, in secundo

remisso feruore moderatior, & propius ad mensuræ æqualitatem accedens, in tertio tandem ad æqualitatem reuersus est. Obseruandum est autem, abundantiam quæ unicuiq; trium prædictorum interuallorum accidit, non æquali proportione continuè per annorum decursum distributam esse, sed mixtim intercurrentibus defectibus ex minore quantitate paulatim in maximam ascendere, & motum celerrimum exhibere: inde similiter relabi & summam tarditatem motus defectus incremento ostendere: rursumq; hinc assurgere, & periodum repetere. Cæterum quibusnam ferè locis abundantiæ fastigium & maxima motus celeritas constituenda sit in his tribus interstitijs, nunc utcunq; possumus, inquiramus.

Collegimus in primo interuallo mensuræ supra motum abundantiam dierum 8. horarum 22. quæ abundantia cum ex partium ipsi mensuræ æqualium subductione residua sit, necesse est, ut si quæ partes mensura minores existant, hæ cum alijs tantundem maioribus subtrahantur, quo iusta fiat dimensio, & æquale ipsi mẽsuræ quoties oportet replicatæ à toto abscindatur. Quamobrem cum ab anno 403. ad 664. spacio 261. annorum defectus ubiq; interstitijs asscribatur, & ille in anno 403. testimonio Innocentij Papæ biduo præterea augeatur, nec pro nostra ibi primæ Lunæ positione, salua illius sententia, possit minus: necessarium est tantum abundantiæ ultra dies illos 8. & horas 22. huic interuallo inesse, quantum collecto defectui æquetur, & cum illo subducatur. Cùm ergo collectus defectus ab anno 403. usq; ad mediam coniunctionem anni 664. euadat in dies 3. horas 17.28. oportet tantundem abundantiæ priori addere,

re,& dierum 12. horarum 15. abundantiam in toto interuallo admittere. Quod si supra annũ 403. alios præterea defectus cœlum dederit, sed deficientibus obseruationibus ignotos, maior foret habenda abundantia. uerum de non apparentibus nihil statuimus. Iam si sic aucta abundantia temporis continuitatem, donec se expleret, occupauit, necesse est summum abundantiæ incrementum & stationem celeritatis post annũ 347. constituere. ante ipsum etenim 4. dies, & horæ 6. tantum, hoc est minus dimidio abundantiæ colligitur, ut è summa restet maior pars, nempe dies 8. horæ 9. quorum abundantia sequenti tempore admittenda uenit. Sin uerò abundantiæ illæ collectis defectibus respondentes à diebus illis 8. separentur, non possunt nisi intercurrente altero defectu qualicunq; separari, ut rursus 8. dierum abundantiæ aliquid incrementi accedat, ac post annum 347. nihilominus statio celeritatis quærenda sit. nam breuius est interuallum annorum 347. 403. quàm ut tantam seorsim admittat abundantiam, quæ tridui sequentem defectum pariterq; illum quo à quatridui abundantia seiungitur elidat, cœlo nunquam alias tam magnam subitaneamq; alterationem subeunte. At uero quousq; post annum 347. procurrat accelerationis statio, in tanta huius tẽporis obseruationum penuria definiri non potest: si constaret à quonam tempore abundantia illa maxima initiũ sumeret, posset utiq; statio eius determinari: at 212. annorum spacium obseruationibus carens, hoc medium denegauit. Veruntamẽ existimamus non omnino longe à uero nos aberraturos, si pro ratione 8. dierum, horarum 9. ad 4. dies, horas 6. annis 56. aptemus 28. qui-

bus ante annũ 347. abundare syzigiæ incipiãt, aut quia tardiora sunt prima incrementa medijs, 40. annos sumamus. nec malè hoc initium cum præcedentium interuallorum alterationibus cõueniet. Cùm enim interuallo annorum 840. 872. adscriptus defectus ad annum 882. proximè euanescat, ad 42. nimirũ horæ minuta, & adhibita temporis æquatione ad 38. ex hor. 2. 28. redacta, non dubium est, quin alia sequatur abundantia maior præcedentibus, & ad maximam illam 12. dierum præparatoria, atq; ex cõsequenti nouus rursum defectus utrãq; abundantiam diuidens, uti perpetuo ex hoc in illam, ex illa uicißim in hunc alteratio facta deprehenditur. nam & longius est tempus annorum 212. quàm ut totum 4. dierum abundantia occupetur, & admissa altera abundantia succedentem sibi defectum postulat. Quadrat etiã tempus hisce duabus alterationibus concessum. subductis enim ex 212. annis 40. pro maximæ illius abundantiæ initio, residui sunt anni 172. abundãtiæ defectuiq; præcedentibus aptißimè conuenientes: multo enim minore annorũ periodo defectus abundãtiaq; circa annos 792. 840. terminati sunt, ut postea ostendemus, minore multo sanè ideo ibi quam hic, quod hic multo maior alterationum intẽsio quam ibi requiratur, quippe in gradu ad maximum illum qui in toto obseruationum ordine reperitur æstum proximo, ideoq; longiore tẽporis progressu opus habente. Constitutis ita uerisimiliter terminis maximæ huius abundantiæ, erit eius medium & summũ abundantiæ celeritatisq; culmen ac statio anno 355.

In secundo interuallo collegimus abundantiam diei 1. horarum 8. Sunt autem duo in eo loca quæ de magnitudine

dine abundantiæ certare uidentur: etsi enim inter annos 664. 683. maximus abundantiæ numerus se offerat, quia tamen abundantia diei 1. horarum 21. 3. ex anno 812. in annum 818. spacio 6. tantum annorum colligitur, apparet multo ibi celerior motus esse quam priore loco, ubi duo tantum dies in annis 18. redundant, cùm iuxta alterius loci rationem dies 5. horæ 13. deberent. Verum nos primum & præcipuè qualis quantáq; differentia inter synodicum motum cœli & Ptolomæi mensuram sit, quærimus, postea quanto tempore ea differentia conficiatur. Proinde prior nobis ille habetur locus, qui maiorem cõtinet cælestis motus à Ptolomæi calculo recessum. Porrò cùm abundantiam illam unius diei, horarum 21. utrinq; satis magni, & mediorum cõgressuum à ueris distantia non eluibiles defectus circumstent, iisq; in breue quisq; tempus incidentes, non potuit his se longius immiscere abundantia illa media, ut iustæ aliquid magnitudinis in ipsis occultatum haberet: at contra bidui illa abundantia cùm ex uno latere exiguum habeat sequentē defectum, utrinq; autem magnum defectibus annorum interstitium adscriptum, non dubium est quin in utrunq; interuallũ sese insinuet. Quo modo enim præcedens interuallum annorum 98. tantum 18. horarũ defectum proferret, nisi admixtam haberet abundantiam quam defectus coincidens magnitudine sua uixdum superarit, ut paucas tantum horas residuas fecerit? nusquam enim hactenus cælum quieuit ab ea quam diximus in abundantiam & defectum alternata periodo, sed durat adhuc uis æstus illius maximi anni 355. & quemadmodum longis uorticibus paulatim altius se extulit, ita sensim quoque

que declinat ac deficit. Similiter sequens defectus horarum 10. quomodo solus 81. annos occupet, nisi irregularißimam & sine omni lege confusam cœlorum motionem statuamus? eam enim esse necesse foret, si tam paucis annis, 18. inquam, in tantam celeritatem cœlum prorueret, & subito sedatum per tot annos 81. inquam, æqualiter ferretur. Rationi itaq; consonum est, utrique interstitio præcedenti ac sequenti, se hanc abundantiam quam tractamus immiscuisse, & in priore quidem paulo post medium eius cœpisse, propterea quod paucarum horarum defectus residuus æquales proxime defectus, & abundantias intercessisse arguit: in posteriore quoq; eadem ratione circa medium eius uel paulo prius desiisse: ut plurium dierum abundantiam exhibiturum fuisse Ptolomæi calculum credamus, si in huius continuatæ abundantiæ terminis eclipses duæ obseruatæ & scriptæ extitissent. Omne igitur tempus huius abundantiæ anni circiter 100. sunt, quorum dimidium in annũ proxime 669. incidit, in quo statio fuit celeritatis cœlestis & abundantiæ summum. Videamus nunc alterum locum inter annos 812. 817. si forte illic abundantia uerè tanta fuerit quanta scribitur, an uero differentia mediorum congressuum à ueris eam minuerit, quæremus inæqualitatem Lunæ in utroq; anno, eamq; ex Albategnij obseruatione anno 883. facta, in priorem subducendo colligemus, & in posteriorem addendo prioris inæqualitati quantum interuallum postulat, inde more solito petemus mediorum locorum Solis & Lunæ ad inuicem positiones, & ex his medium interstitium, ut uera abundantia elucescat. Est autem ea deductio talis:

883.

883.media oppositio Aractæ 22.Iulij completo & horis 14.17.Prumiæ autem horis 11.17. Inæqualitatis Lunæ motus tum erat,ut colligitur detractione ex uera oppositione,gr.89.53.18.

Interstitium anni 71. dies 68.hor.21.17.
Intercalares 17.
Inæqualitatis Lunæ gr.221.8.25.

812. Solis eclipsis 15. Maij hora 2. post meridiem Prumiæ. Inæqualitatis Lunæ motus subductione collectus est gr.228.44.53.

Medius Lunæ motus minor uero gr.4.0.

Solis in gr. 4.♊. medius uero minor est gr.0.40.

Apogeo in 21.♊. posito, quia Albategnius in 22.17.posuit.

Ergo

Media distantia restabat gr.3.20. & sequuta est media coniunctio ueram horis 6.34.

817.Lunæ eclipsis 5.Februarij mane hora 2.Inæqualitatis Lunæ motus grad.105.26. Medius maior uero gr.4.56.

Solis in 27.♒.Medius motus minor est uero gr.2.13. Ergo

Præterierat oppositio media gr.7.9.hoc est horis 14.5.

Interstitiũ anni 4.dies 265.hor.12.
Intercalaris 1.
Inæqualitatis Lunæ gr.236.41.34.
Medium interstitium anni 4. dies 265.hor.15.21.
Syzigiæ annos faciebāt 4.dies 267.hor.12.57.
Abundant ergo syzigiæ die 1.horis 21.36.

Videmus

Videmus nunc abundantiam hanc diei 1. horarum 6. 57. non minorem in ueritate fuisse, sed maiorem multo; quare necesse est medium motum distantiæ ualde hic intensum fuisse, cùm 4. annorum spacio tam longè mensuram Ptolomæi post se relinquat. Nusquã certè nec in multo maioribus abundantijs, nec in minoribus tantam motus accelerationẽ deprehẽdimus, nisi inter annos 1461. 1462. ubi æqualis ferè concitatio existit. Apparet ex intensionis inæqualitate diuersos esse incognitæ inæqualitatis motus in Luna & Sole, qui dum concurrunt celeritatem tarditatémue augeant, dum segregantur longas incrementi & decrementi periodos faciant. Mediũm iam examinatæ abundantiæ, & celeritatis fastigium in annũ 815. quàm proximè quadrat.

Tertio interuallo magno cum modica residua fuerit abundantia, nempe hor. 1. 41. non uidentur uspiam magni excessus latere, apparent quidem aliquando mediocris abundantiæ uestigia, sed quæ mediarum coniunctionum à ueris differentia fortè eliquescunt, examinabimus aliquot loca quæ præ cæteris magis abundantiæ obnoxia uidebuntur. Primum inter annos 1082. 1093. scripta est notabilis abundantia, quæ num uerè tanta sit experiamur.

883. Iulij 23. horis 8. post meridiem eiusdem, Aractæ fuit, Inæqualitatis Lunæ motus gr. 93.	Interstitium anni 210. dies 65. hor. 21. 50.
1093. Solis eclipsis fuit, cuius medium 27. Septemb. hora 3. post meridiẽ.	Intercalares 53.

Hic

Hirsaug. Sit Aractæ horis 5.50. post meridiem.

Inæqualitatis Lunæ gr. 117.29.22. Medius maior uero gr. 4.36.

Solis in 10. circiter ♎. constituti. Medius maior est uero gr. 2.20. apogeo in 25.30. ♊. posito.

Inæqualit. Lunæ gr. 24. 29.22.

Præterijt ergo medius Lunæ locus medium Solis gr. 2.16. & præcesßit media coniunctio ueram horis 4.28. Quãdo igitur huius eclipsis tempus posterior terminus est assumpti interstitij, debent ab eodem interstitio horæ istæ 4.28. eximi, ut fiat medium interstitiũ anni 11. dies 177. hor. 9.32. sic abundabunt ibi syzigiæ horis 22.44. tantũ, si modò rectè mediũ nouiluniũ in priore termino, anno uidelicet 1082. aßignauerimus. nam potest illud 13. horis ferè prius cõtigisse, ut abundantia fiat tantum horarũ 9.44. quemadmodũ & prius cõtigisse uerisimile est, propter tres defectus cõtinuos præcedentes, plus satis (ut uidetur) magnos, ac nimiũ temporis præ hac abundantia occupantes. nouilunio siquidem hoc in anteriora promoto, minuetur etiam defectus præcedens horarũ 11.36. & abundantiæ huius initium longius sursum se extendet uersus annum 1040. Vtcunq; autem nouilunium hoc cadat, manifestũ est non prætereundã relinqui abundantiã, quæ ut minimum horas 9.44. contineat. Est ergo & hic locus inter maiores motus accelerationes cõputandus, cuius summũ uerticem uerisimiliter apparet circa annum 1077. quærendum esse.

Deinde inter annos 1204. 1207. abundantia horarum 21.4. exploremus num uerè sic se res habeat.

1093. Solis eclipsis 27. Septembris, hora 3. post meridiem. Hirs. fuit tunc inæqualitas Lunæ gr. 117.29.22.

Interstitium anni 110. dies 201. hor. 7.

Intercalares 28.

Inæqualit. Lunæ gr. 154.45.12.

1204. Lunæ eclipsis 16. Aprilis uespere, hora 10. Hirs. Inæqualitatis Lunæ fiũt gr. 272.14.34. Medius minor uero grad. 4.58.

Solis in 4 grad. ♉. circiter cõstituti, medius motus minor est uero gr. 1.44. apogeo in 27.10. ♊. dato.

Restabat ergo media distantia grad. 3.14. & sequuta est media oppositio ueram horis 6.22.

1207. Solis eclipsis 28. Februarij hora 9. antemeridiana. Inæqualitatis Lunæ colliguntur gr. 277.16.4. Medius motus minor est uero gr. 4.54.

Solis in gr. 17. ♓. Medius minor est uero gr. 2.21. apogeo in 27.10. ♊. posito.

Restabat ergo media distantia gr. 2.33. et sequuta est media cõiunctio uerã horis 5.2.

Interuallum anni 2. dies 317. hor. 11.

Inæqualit. Lunæ gr. 5.1.30.

Medium interstitium anni 2. dies 317. hor. 9.40.

Abundant igitur syzigiæ reuera horis 22.24.

Videmus

Videmus iam non minui ſcriptam inter eclipſes abundantiam, ſed augeri potius ratione mediarum cõiunctionum atq; oppoſitionum: nec error fieri poteſt niſi quantum fortè in eclipſium tempore ſuppoſito errari potuit, quod adeo multum eſſe nequit, ut non notatu digna reſidua maneat abundantia. Summus celeritatis gradus in hac abundãtia anno circiter 1209. cõſtituẽdus uidetur.

Rurſum inter annos 1339. 1376. abundantia dici 1. horæ 1.19. ſcripta eſt, quam ſimiliter examinemus.

1457. 3. die Decembris, horis 11. 6. à meridie, eiuſdem Viẽnæ fuit inæqualitas Lunæ (ut ibi dictũ eſt) gr. 159. 12. 31.	Interuallum anni 118. dies 148. hor. 10. 22. Intercalares 30. Inæqualitatis gr. 200. 1. 19.
1339. Solis eclipſis 8. Iulij circa meridiem. Hirſaug. Sit horis 0. 44. poſt meridiem Viennæ. Inæqual. Lunæ gr. 319. 11. 12. Medius minor vero gr. 3. 4. Solis in grad. 23. ♋. medius motus maior eſt vero grad. 1. 0. apogeo in 29. 8. ♊. dato. Reſtabat ergo media diſtantia gr. 4. 4. et ſequuta eſt media coniunctio ueram horis 7. 57.	Interuallum anni 37. dies 8. horæ 23. Intercalares 10. Inæqualitatis gr. 290. 17. 1. Medium interuallum anni 37. dies 19. hor. 3. Abundãt igitur ſyzigiæ reuera hor. 21. 18.
1376. Solis eclipſis 17. Iulij, hora 11. Hirſaug. Sit Viẽnæ hora 11. 44.	

o Inæqual.

Inæqual. Lunæ gr. 249.28. Medius mi nor uero gr. 4.49.

Solis in 2.30.♌. Medius maior est uero gr. 1.15. apogeo in 29.40.♊. posito.

Restabat ergo distantia media gr. 6.4. & sequuta est media coniunctio ueram horis 11.57.

Inuenimus abundantiam minorem quidem quam simpliciter cōputata erat, sed tamen parem ferè proximæ præcedenti, & defectum eius à superioribus imitātem, ut lentè admodū ab æstu se recolligat cœlum. Statio huius accelerationis uidetur medium circiter locum inter annos 1339.1384. obtinere. nam defectus sequens horarū 3. 35. tollitur, interuallo nimirum eius per sequelam mediæ coniunctionis anni 1376. diminuto, & in abundantiam commutatur, ut non absurdè stationem præsentis abundantiæ circa annū 1361. collocare uideamur. Quæ paulo pòst hæc in obseruatis eclipsibus sequuntur abundantiæ, satis in ordine eclipsium rectificatæ & oculis expositæ sunt, quarū præcipuæ duæ annis 1460. 1462. stationem suam habere uidentur.

Disquisiuimus iam & examinauimus maximas syzigiarum abundantias per tria quæ primum assumpseramus interualla, & summæ celeritatis loca probabili coniectura in annis Domini 355.669.815.1077.1209. 1361.1460.1462. constituimus, quorum si differentiæ singulatim ad proximum describantur, ut stationis à statione distantia oculis subijciatur, uidebimus facilè ex magnitudine distantiæ primæ stationis à secunda, rationi cōsentaneū omnino esse, quod antea diximus: aliam abun

dantiæ

dantiæ stationem inter illas defectu obseruationum occultatam esse, cui probabili coniectura annũ 511. donamus: Rursum inter tertiam & quartam stationes cum duplo plus minus maior sit distantia, quam inter uicinas, uidelicet annorũ 262. apparet alterã abundantiæ anomaliã occultatã esse, idq; circa annũ 960. ubi cum tria consequenter interstitia abundantiã adscriptã habeant, planè ita in re esse suspicio fit. Experiamur ergo primum, num illa inter annos 901. 96· hæreat.

901. Vera oppositio 2. Augusti cõpleto et horis 3.35. Aractæ, in qua Albategnius facit medium Lunæ maiorem uero gr. 5.18. ideo nos Ptolomæi inæqualitatis motum sequentes dabimus hic Lunæ motũ ab apogeo epicycli gr. 96.

Solis medius motus gr. 16.10. ♌.

Præceßit media oppositio ueram hor. 7.22. ut antea supputatũ fuit.

961. Solis eclipsis 17. Maij. Sit Aractæ hora 3. à meridie. Inæqual: gr. 282.14. Medius minor uero gr: 4.48.

Solis medius gr. 29.57. ♉. Medius minor uero gr. 0.55. apogeo in 23.30. ♊. dato.

Restabat ergo distãtia media gr. 3.53. & sequuta est media coniunctio ueram horis 7.20.

Interstitiũ anni 59. dies 287. hor. 11.25.

Intercalares 15.

Inæqualitatis grad. 186.14.43.

Solis medius gr. 283.47.9.

Medium interstitium anni 59. dies 303. horæ 2.7. æquate autẽ hora 1.58.

Syzigiæ ergo deficiunt horis 4.24.

Cùm iam non abundare reperiantur syzigiæ, sed deficere, non est quod hoc loco abundantiæ alicuius fastigiũ latere opinemur: etsi autem annus 968. longè uideatur locum abundantiæ quærẽdæ transgressus esse, tamẽ quia inter illum & sequentem abundantia horarum 6.58. notata est, uideamus num hic illa consistere poßit.

883. Lunæ eclipsis, cuius mediũ 23. Iulij post meridiẽ horis 8. Aractæ, & Constãtinopoli hor. 7.3. Inæqual. gr. 93.

Interstitium anni 85. dies 151. hor. 15. 57. Intercalares 22.

968. Solis eclipsis 22. Decembris, hora 11. antemeridiana Constantinopoli, Gemblaci hora 9. Inæqual. gr. 183. 1.4. Medius minor uero gr. 0.18.

Inæqualitatis Lunæ gr. 90.1.4.

Solis in gr. 6.45. circiter ♑. Medius minor uero est grad. 0.34. apogeo in 23.40. ♊. dato.

Præterijt media coniunctio gr. 0. 16. hoc est horis 0.32.

Interstitium anni 64. dies 189. hor. 3. Intercalares 16. Inæqual. Lunæ gr. 27. 57.14.

1033. Solis eclipsis 29. Iunij circa meridiem Gemblaci. Inæqual. Lunæ gr. 210.58. Medius minor uero gr. 2. 48. Solis in 12.40. circiter ♋. positi, maior est medius motus uero gr. 0.44. apogeo in 24.40. ♊. dato. Restat ergo distantia media gr. 3.32. & sequuta est media coniunctio ueram horis 6.57.

Interstitium medium anni 64. dies 205 hor. 10.29. et æquatè horæ 10.28.

Deficiũt ergo syzigiæ horis 0.29.

Iam

Iam ne sic quidem persistente abundantia, sed, quemadmodum in præcedenti interuallo accidit, in defectum conuersa, bis sanè opinione falsi sumus: attamen cum cõcidere non poßint abundantiæ sine pari defectuum occasu, necesse est trium illorum interuallorum continuatam abundantiam uel à sequente defectu inter annos 1033. 1039. nato absorberi. nã qui præcedit annis 891. 901. interpositus, nullus penè est, uel in medium interstitium, quod ab anno 961. in annum 968. est colligi. Proinde unde mediæ coniunctiones augmentum sui interstitij rapiant, si consideremus, uidebimus utrunq; interstitium mox examinatum aliquid à medio illo ad se trahere, & illo diminuto abundãtiam eius maiorem reddere: à superiore siquidem eius termino, qui est anno 961. per sequelam mediæ coniunctionis hor. 7. 20. auferuntur, & ab inferiore termino horæ 0. 32. per mediæ coniunctionis anticipationem, ut fiat medium interstitium ann. 7. dies 220. hor. 13. 8. & syzigiæ quæ prius tantum horis 0. 1. 32. abundabãt, nunc superẽt interuallũ horis 7. 53. Inuentum igitur est inter tertiam & quartã stationes nouæ stationi locũ dandum esse, quem circa annum præmemoratũ 960. incidere rationi cõsonum est; enimuero cũ interstitium annorũ 891. 901. medium factum sit, ut de defectu adscripto quæstio fieri non poßit, cõstat eum defectum ibidem natum esse, tum quod ualde sit exiguus, tanquam tardus & origini proximus, tum quod præcedentem habeat abundantiam, quæ ut huic aliquousq; misceri concedatur, nõ potest tamen ultra dimidium interstitij pertingere, alioqui enim non defectus sed abundantia proueniret: quare necesse est defectum hunc uel circa

annum 891. uel ad summũ circa 895. originem primã habere: differentia hæc modica est: sit autem anno 895. eius (ut uerosimilius est) principium. Quoniam igitur defectus hic nondum adultus est, sed respectu præcedentis abundantiæ maius aliquod incrementũ in sequens interuallũ extensum postulat, præterea minus est interuallum 59. annorum sequens, quam ut huius defectus complementum, deinde nouæ abundantiæ decursum, postea iterum nouum defectũ abundantias seiungentẽ simul recipiat: manifestũ est, defectũ hunc ab anno 895. inchoatum abundantiæ illi, quæ inter annos 961. 968. inuenta est, nulla intercedente altera occurrere. Iam supponamus (ut quandoq; fit) æqualem esse defectũ abundantiæ. Cum ergo initiũ huius defectus innotuerit, finis quoq; sequentis abundantiæ in medium interualli 64. annorum proximè incidat, quemadmodũ ex defectus adscripti exiguitate, cũ interstitij magnitudine collata, facilè (ut aliàs fecimus) probare licet: partiemur totũ utriusq; excessus tempus in duo æqualia, et superioris partis mediũ ipsius defectus stationem faciemus, inferioris medium abundantiæ stationi dabitur, occupabitq; illa annum proximè 921. hæc uero 974. Atq; hæc quidem abundantiæ huius statio habenda esset, si defectus præcedens huic abundantiæ æqualis esset, & tanta inæqualitas quanta tum sequitur, in stationum distantijs admitti posset. Porrò cum terni defectus, qui hanc abundantiam sequuntur, partim quidem in aliam posteriorem abundantiam, maximè autem in hanc cuius stationem quærimus, collidãtur, debet defectus hic, cuius item stationem consideramus, nequaquam abundantiæ succedenti æqualis esse, sed minor mul

to. nam si interualla trium sequentium defectuum iuxta ratiocinationes nostras quam licet maximè minuas, à fine 13. horis, ut antea fieri posse diximus, à principio horis 6.57. ut iam in anno 1033. ostendimus, residuus tandem fiet defectus horarũ 18.15. à quo rursum horarum 9.44. inter annos 1082. 1093. incidentem abundantiam (si modo id liceat) aufer, residuus adhuc manebit defectus horarũ 8.31. quas si uicina aliqua abundantia æquare debet, ea profectò hæc est, cuius stationẽ quærimus, atqui horæ istæ 8.31. superant abundantiam inter 1061. 1068. inuentã minutis unius horæ 38. cõpensata est igitur ex tribus illis defectibus omnis ea abundantia, quã inter annos 961. 968. demõstrauimus, et ultra, relinquiturq; minus eo interstitio, quod est à 901. ad 961. abundantiæ defectusq; æqualitate librandũ, sic ut terminus defectus necessario ante annum 930. cadat, ac proinde statio eius circa annum 911. statio abundãtiæ uero circa annũ 965. quibus (omnibus expensis circumstantijs) quàm proximè cõpetere uidentur, nisi quod sursum potius & in præcedentia moueri debeãt, quam in consequentia, si quo transferendæ uideantur. Inuentis tandem omnibus insignioris abundantiæ stationibus, placuit eas hic ordine cum suis differentijs siue distantijs cõspectui exponere, quo præsentior fiat omnis inæqualitatis contemplatio, & facilius de singulis iudiciũ feratur. Patientur fortasse quædã stationes pauxillũ se statutis locis moueri, ut æquabilior fiat differentiarum ad inuicem respectus & consequentia, uerum nos hoc illis exactius perquirendum relinquimus, quibus in ueros Solis & Lunæ motus inuestigandi studium erit, quorũ in primis inter-

est hanc stationum scalam cum suis differentijs exquisitè descriptam & comprobatam habere, non modo in abundantijs, uerum etiam in defectibus: ut qui extra mediocritatem sunt motus, siue ad tarditatem siue ad celeritatem, terminos anticipationis postergationisq; & stationes cognitas habeant, ac sic periodi inæqualitatum facilius indagari possint.

Anni stationum abundantis inæqualitatis & maximæ celeritatis in medio distantiæ luminarium motu.	Distantiæ stationum.
355	
	314
511. latens	
669	
	146
815	
	150
965	
	112
1077	
	132
1209	
	152
1361	
	99
1460	
	2
1462	

Restat ut ad primum illud interuallum, quod est ab anno 28. Nabonassari ad 882. & Ptolomæi obseruationes cõuertamur, in quo tametsi summatim nulla mẽsuræ ad cœlum differẽtia inueniatur, quod medij motus mensuram illi annorum summæ iuxta extremarum obseruationũ exigentiam Ptolemæus aptauerit, per interualla tamen magna cœli ab eadẽ mensura exorbitatio deprehenditur, quemadmodum annis à Nabonassaro 246. 257. 366. in quibus defectui horarum 7.28 præ edit, ac sequitur continuo abundantia horarum 8.30. & si temporum æquatio adhibeatur, addendæ ueniunt priori interstitio medio hor. 0.28.28.

ut

ut fiat interstitium medium æquatum præter annos & dies hor.18.30.43. & deficiant syzigiæ hor.7.47. In secundo interuallo aufert æquatio minuta hor.14. ut fiat medium interstitium æquatum præter annos & dies hor.18.10.15. & abundent syzigiæ hor.8.44.53. Cùm autem defectus circa annum à Nabonassaro 225. incipere uideatur, & abundantia circa annum proximè 366. desinat, partiemur intermedium tempus in 4. partes, atq; unam minori termino, anno uidelicet 225. addemus, alteram maiori, uidelicet anno 366. adimemus, & producentur anni 260. 331. quorum ille defectus, hic abundantiæ fastigium & statio proximè erit.

Deinde in annis 367.454.547. duo rursum interstitia cōtrarij excessus sunt, prior defectus, alter abundantiæ, quorū initium est anno 366. finis 548. ac proinde stationes, anno 411. defectus, & 503. abundantiæ.

Rursum inter annos 548.574. defectus est hor.1.35. nec maior nec minor, quia tempus interualli æquale est. Incipit autem hic anno 548. ubi nimirum præcedens abundantia desinebat, & sequēs abundantia in annum 613. proximè terminatur, propterea quod æqualitas interstitio annorum 607.620. accidat, æqualibus nimirum abundantia & defectu se mutuo cōsumentibus: erit ergo defectus statio anno 564. abundantiæ uerò anno 597. Porrò si quis dubitet, ne fortè inter ann. 574.607. reuera non sit abundantia, æquationem interstitij quærat, inueniet addenda tempora 5.36. ut fiat interstitium medium æquatum anni 32. dies 279. hor. 20.57. & abundabunt syzigiæ hor.0.26.51. abundabunt igitur reuera syzigiæ, sed paulo minus quam scri-

o 5 ptum

ptum erat iuxta eclipses, nec respondet abundantia hæc defectui præcedenti, quod ille terminos huius interstitij ingrediatur. terminatur enim defectus ille proximè ad annum 580. hoc est 6. annos huius interstitij occupat, ideoq; & 6. alteros annos (incipientis uidelicet abundantiæ) elidit, ut 20. tantum anni residuam abundantiã faciant. Tum quoq; non semper æquales reddi abundantias defectibus necesse est, sed quo minor est alteruter excessus in uno æstu, hoc maior erit in altero quopiam, ut in summa totius magni interstitij æqualitas, quæ ibi inuenta fuit, reddatur. Obseruandum est autem, eam cœli æstuationem, quæ usq; ad annos 260. ferè ex paruis initijs creuerat, & anno circiter 411. adhuc æquales ferè excessus fecerat, nunc ualde diminutam esse, sed post iterum intendendam, donec tandem ad summam inæqualitatem perueniat circa ann. 872. à Nabonassaro, & Domini 347. ut non dißimilis sit cælestis motus Oceani fluxui, quem Beda scribit æstus suos summos paulatim intendendo malinas facere, donec ad maximum æstus incrementum peruenerit: deinde eosdem paulatim minuendo ledones dare, donec ad minimum æstum redeat. Admiranda hæc est cælestis motus alteratio, ac nescio an unquam humanis ingenijs peruestigabilis: ostendit sanè Deus imperscrutabiles esse uias sapientiæ & prouidentiæ suæ, hominumq; uanas operas, dum curiosè quæ supra se sunt rimantur, arguit & eludit.


Sequitur maior cœli æstuatio circa annos à Nabonassaro 792. 840. cuius examinatio nostro instituto peculiariter est necessaria. Constat autem in primis defectum horarum 2. 28. qui annorũ 840. 872 interstitio asscribitur,

bitur, non totum illud occupare, sed eam quæ longe maior præcedit abundantiam (cum defectui magno præcedenti misceri non poßit, quod is 13. ann. tantū collectus suū interuallū omni iure poßideat) eidē interstitio se immiscere, & ad medium eius ferè pertingere. maius enim est hoc interstitium, quam ut solo horarū 2. 28. defectu laboret, cum illi æquale ferè interstitiū præcedens abundantiam 28. propemodum horarū faciat: ut si aliqua regularitas in motu admittenda est, hinc illa excludi nō debeat, & residuus duarū horarum defectus minus abundantiæ quam defectus hoc interuallo accidisse monstrat. Quare si æquali celeritate uterq; excessus factus detur, paulo ante medium huius interstitij æqualitas, & ab abundantia in defectum transitio constituenda erit: sit ergo illa anno 856. Pro initio aūt huius abundantiæ inueniendo cōsideremus ipsam in 33. annis uix maiorē factā esse defectu præcedente, cùm ille plus quam duplo minore tēporis spacio colligatur. Quamobrē certum est defectiuam illam inæqualitatem in præsentis abundantiæ interstitiū se extendere, & in eo aliquot annorū abundantiam expungere, post quos illa diei unius horarū 3. 56. necessario facta est. Quod si iam æquali tempore utrāq; periodū, præcedentis defectiuæ inæqualitatis, & huius abundantis perfici ponamus, cōpetent huic abundantiæ iuxta rationem præcedentis defectus ad suum interstitium anni 13. dies 22. quibus ab ann. 839. dieb. 335. tēpore uidelicet Agrippinæ oppositionis subductis, manet ann. 826. dies 313. ex quo deinceps abundātia hæc collecta est. Quod iam inter hunc diē & Plinianā eclipsim, tēpus interest, uidelicet ann. 21. dies 193. propter suppo-

 situm

situm æqualem utriusq; inæqualitatis motũ, & mutuam in eo abundantiæ defectusq; collisionẽ, oportet diuidere per æqualia, & reddentur ann. 10. dies 279. qui additi ad tẽpus Plinianæ eclipsis dabũt ann. 816. diẽ 34. qui finẽ inæqualitatis defectiuæ & principium abundantis definiet. Colligentur ergo hinc usq; ad finem abundantis inæqualitatis anno 856. probabiliter antea constitutũ, anni totius inæqualitatis abundãtis 39. dies 331. quos si ab ann. 816. dieb. 34. auferas, habebis ann. 776. diem 68. in quo initiũ defectiuæ inæqualitatis erit, sequeturq; statio eiusdẽ inæqualitatis ann. 796. die 51. abundantis uero ann. 836. die 17. Quã collectionẽ proximam uero esse inueniet, qui diligẽtius principiũ unde deducitur inspexerit, uidelicet quod eadẽ sit habitudo & positio abũdantiæ diei 1. hor. 3. 56. ad mediũ inæqualitatis, quæ est precedẽtis defectus, & quod utraq; inæqualitas eiusdem proximè sit magnitudinis, ac proinde æqualẽ etiã proxime ad stationes suas respectum habeant. inde enim patefit eadẽ illam celeritate qua hanc ferri, ideoq; tẽpora illis pro magnitudinis comparatione designari, & econtrario. Quoniã autẽ hæc propter plenilunij illationem quam facturi sumus, recte intelligere expedit, nec per se cuiuis satis sunt obuia, rẽ per lineas ob oculos ponemus, & paulo euidentius declarabimus. Sit circulus a.b.c.d. in quo centrum e. repræsentat motum quem uocant medium, & moueatur in longitudinem b.a. lineæ. Semicirculus a.d.b. sit inæqualitatis defectiuæ, hoc est quæ medium distantiæ motum postergãdo medios luminarium cõgressus retardat, & Ptolomæi calculum deficere facit, & moueatur ab a. per d. in b. Alter semicirculus sit abũdantis

dantis inæqualitatis, hoc est quæ medium centri motum anticipando medios congressus accelerat, & calculum medij mot' Ptolomæi abundare in tempore facit, moueaturq; hic ex b. per c. in a. Manifestum est autē, nec probatione opus habet, apud eos qui uel mechanicā linearum collationem facere norunt, quod circa a. & b. sit medium contrarium inæqualitatum, hoc est quod ibi nec retardetur nec acceleretur motus medius, propterea quod partes circumferentiæ uicinæ recta ferè in latus lineæ a. b. abeant, non autem in eiusdem longitudinem, & quod circa c. d. uelocissimus fiat anticipationis & retardationis motus, propterea quod circumferentiæ arcus proximi in directum æquidistantis a. b. ferè procurrant: ideoq; c. d. uocamus uertices stationesq; inæqualitatis abundantis & defectiuæ. In reliquis semicirculorum partibus eo uelocior sit anticipationis retardationisq; motus, quo magis ad uerticem eius accedit: & ediuerso hoc tardior, quo magis ab eo discedit, & ad medium inæqualitatum accedit. Iam uterq; semicirculus in partes siue annos 39. dies 331. diuisus intelligatur, quot nimirum utramlibet



inæ-


inæqualitatem hoc loco perficiunt, sitq; b. annus 816. dies 34. in quo medium harum inæqualitatum esse collegimus, & ab eo uersus d. annis 10. diebus 279. constituatur f. tempus eclipsis Plinianæ, & inferior terminus eius motus siue temporis, à quo defectus ille diei 1. horarum 5.24. producitur, iterumq; ab eodem b. uersus c. totidem anni & dies sumantur usq; in g. annum 826. diem 313. qui est superior terminus tẽporis siue motus abundantiam illam residuam diei 1. horarum 3.56. procreantis. Deinde prioris illius temporis siue motus alter terminus sit in i. annis 13. diebus 276. ab f. distante, & in Claudianam eclipsim incidente, iuxta huius à Pliniana distantiam: posterioris uero temporis alter terminus sit in h. oppositionis Agrippinæ tempore, à quo ad g. annos 13. dies 22. collegimus, quibus hæc residua abundantia creata est. Conspicuum iam est, quia duæ inæqualitates assumptæ f. d. i. & g. c. h. uno termino, uidelicet f. & g. æqualiter distant à medio inæqualitatum b. & æquales proxime existentes altero fine simillimum situm respectu stationum suarum d. & c. habent: earum quoq; in motu celeritates magnitudinibus proportionales esse, hoc est æqualibus defectui & abundantiæ æqualia tempora respondere, & econtrario. Nam quod defectus exiguo quopiam longius intra se suam stationem recipit quam abundantia, hoc quam minimum proportionem mutat, propterea quod tantilla differentia in locis stationi proximis adeoq; simillimis, tum etiam in arcubus utroq; termino circa maximos inæqualitatum progressus uersantibus reperta, errorem æstimatione dignum inferre non potest. Satis igitur conuenienter hoc loco iuxta inæqua

litatum

litatum rationem ann. 13. dies 22. abundãtiæ tribuimus, atq; inde consequenter terminos utriusq; inæqualitatis & stationes collegimus. Si tempus eclipsis Claudianæ exacte descriptum esset, possent & inæqualitatum harum termini cum stationibus exactius demonstrari: nũc uero rudi quadam ostensione mediocritatem sufficientem nacti, ea contenti simus, donec huius temporis exactiores obseruationes, quales in Hebræorum libris uspiam latere non dubitamus, ex antiquitate eruantur, & in lucem proferantur. Postquam autem iam primi huius interualli inæqualitates expendimus, & media earum stationesq;, quatenus id in obseruationum raritate fieri potuit, proximè ad ueritatem perquisiuimus: nunc singulorum terminorum annos à prima notabili motus enormitate usq; ad maximam eius exæstuationem ordine ponemus, quo uno uelut intuitu alterationis uicißitudines, & incrementa inæqualitatum paulatim ad summum tendentia conspiciantur.

Periodi

Periodi iuncturarum inæqualitatum defectiuæ & abundantis.



Inæ

Inæqualitate motus distantiæ luminarium, quem medium & æqualem omnes hactenus crediderunt, sufficienter demonstrata, restat tandem, ut quæ de media oppositione tempore paßionis Domini hinc deducenda dicere cœpimus, nunc perficiamus. Vna est eclipsis Solis ex Plinio sumpta, quæ in annum 806. à Nabonassaro incidit, Domini uero 60. hæc nobis id agendi commodam uiam suppeditat. Cùm etenim ante illam interuallo annorum paulo minus 14. tardior sit motus distantiæ quam Ptolomæi calculus adferat die 1. hor. 5. 24. addendum erit tempori ab oppositione Agrippina usq; in oppositionem paschalem Christi antea supputato, quantum 26. anni, dies 28. qui sunt à Pliniana eclipsi ad paßionē Christi, pro ratione ad annos 13. dies 276. & situ suo in semicirculo inæqualitatis defectiuæ requirunt, dempta tamen prius abundantia quam Plinij Agrippæq; obseruationes attulerunt: quantū uero sit illud quod addendum est, inquiramus. Computemus ab f. tempore eclipsis Plinianæ ann. 26. dies 28. extensos usq; in l. tempus paßionis Domini, & ab l, i, & f. educamus sinus rectos arcuū l d, i. d, & f. d, qui sunt l. o, i. m, f. n. Iam quia hi sinus sunt paralleli lineæ. a. b, constat eorum longitudinem suorum arcuum progressui defectiuo æqualem esse, unde cum i. m, & n. f. sinus iuncti efficiant defectum diei 1. hor. 5. 24. mox per compositionem sinuum l. o, & n. f. constabit quantus defectus annis 26. dieb. 28. debeatur. Cùm ergo tota semicircumferentia b. d. a. sit dierum 14576. erit b. d. dierum 7288. & quia b. f. est dierum 3931. erit f. d. dierum 3357. & quia f. i. est dierum 5024. ablato f. d. fiet d. i. d erū 1667. et quia f. l. est dierū 9524.

erit

erit l. d. dierum 6167. Iam hi arcus si cum circulo in 360. gradus diuiso conferantur, respondebunt arcui s. d. gradus 41.27. & sinus rectus 3971797. arcui i. d. grad. 20.35. & sinus rectus 2109416. arcui deniq; l. d. gr. 76.9. & sinus rectus 5825554. Nunc sinus i. m. & n. f. iuncti, uidelicet 6081213. sunt defectus horarum 29.24. ergo coniuncti sinus l. o. & n. f. uidelicet 9797351. sunt defectus horarum 47.22. à quibus au fer horas 27.56. abundantiam inter ann. 806. 840. mediam, reliquæ sunt horæ 19.26. addendæ ad tempus syzigiarum 738.

Porro hoc tempus initio huius capitis diximus à constituto in paßione Domini mediæ oppositionis termino tertio & remotißimo deficere hor. 16.30. quinetiam si à meridie paßionis Domini usq; ad mediã oppositionem Agrippæ intercedens tẽpus æquetur, inueniemus 5. hor. minuta interuallo adimenda esse; ut syzigiarum tempus tantum 16. horis; minutis 25. à dicto termino deficiat. His ergo subtractis ex hor. 19.26. syzigiarum tempori addendis, manent horæ 3.1. quibus ante terminum constitutum media oppositio facta reperitur, terminus autem erat dies 1. Aprilis completus & horæ 11.36. manent ergo horæ 8.35. secundi Aprilis, aut 3.25. quibus ante meridiem eiusdem media oppositio facta colligitur; in quod tempus collectæ Solis & Lunæ inæqualitates ostendunt ueram oppositionem mediæ succeßisse post horas 6.2. ut eius tempus fuerit hor. 2.37. post meridiem Alexandriæ, Hierosolymæ autem hor. 3.0. cùm spiritum suum Christus Deo patri commendaret atq; expiraret, quanquam tunc contra naturalem progressum in Occi dentem

dentem reuersa Luna Solem obtegeret. Cùm itaq; tres suprascripti termini à calculo nostro rectificato concipiantur, constat primùm iuxta leges Iudæorum secundum Aprilis diem eo anno quo Christum crucifixum posuimus, fuisse Lunam decimamquintam: deinde & Lunæ plenæ tempus fuisse eodem secundo Aprilis, tunc ueneris die, ante sextam horam pomeridianam, ut iuxta omnem legis interpretationem 2. Aprilis dies, qui tum ueneris erat C. litera dominicali existente, decimaquinta Luna fuerit. Recte ergò annum & diem paßionis dominicæ posuimus. At uero si quis suspicetur Claudianam eclipsim paulo serius factam fuisse, ut sic minor fiat defectus inter illam & Plinianam, adeoq; minus fiat additamentum ad syzigiarum tempus, & consequenter plenilunium hoc Christi serius constituatur, nihil ille magni consequetur, nisi multum à tempore eclipsis quod posuimus abstulerit. stationes enim, mediũ inæqualitatum, & initia abundantiæ defectusq; translata augmentum calculi hic parum minuunt. Quinetiam si Hipparchi calculum adhibeamus, quem circa hæc tempora ueriorem existimo, et ab eius obseruatiõe ad Claudij eclipsim medium distantiæ inæqualitatisq; motum supputemus, inueniemus ueram oppositionem ante meridiem designari, ut etiamsi quis uelit, parum tamen poßit nostro tempori detrahere. Tum etiam Dion lib. 60. dum eclipsim hanc eiusq; magnitudinem prædixisse ait Claudium metuẽtem ne quis inde tumultus fieret, causas insinuasse uidetur, cur multo mane hanc eclipsim factã credamus. Quum enim calẽdæ Augusti Marti essent sacræ, & toto eo die equestria certamina habenda essent, apparet tum demũ Clau-

dio

dio timendum fuisse, si mane certamina primum ineuntes hoc infaustum prodigium tanquam malo Clodij auspicio, cuius natalis dies tum erat, exciperet, quem peractis aliquousq; fœliciter ludis non difficulter contempturi erant. De Pliniana quoq; eclipsi non est quod quis suspicetur, non satis integram esse eius descriptionem apud Plinium: in omnibus enim exemplaribus quæ uidere contigit, similiter scriptum inueni, & consentit antiquißimus codex manu scriptus, quem doctißimus uir & antiquitatis summus cultor D. Andreas Masius habet: tum etiã difficilius is locus à scriptoribus uiciari potuit propter dictionem, pridie: præterea in reliquis seculis enormitas mediæ distantiæ luminarium, medij inæqualitatum termini, & stationes eorumq; distantiæ & uicißitudines repertæ, omnino talem qualem posuimus circa Plinij eclipsim inæqualitatem requirunt: ut dubitari nõ possit talem hic defectus & abundãtiæ alterationem factam fuisse, ac proinde tẽpus eclipsis Plinianæ rectæ aßignatum esse. Absolutis quas præmittere oportuit declarationibus & demonstrationibus, nunc temporum ordinem partitionem & distantiam rerum gestarum commensuratione firmatam dabimus.

CHRONICVM, SIVE SVPPVTATIO TEMPORVM, FIRMISSIMIS Sacræ scripturæ testimoniis demonstrata.

AVTORE MAT. BEROALDO.

LIBER PRIMVS.

De Tempore. Cap. I.

TEMPORIS *apertam & vulgò notam rationem*, Philosopho*rum obscuræ disputationes & contentiones, sic incertam reddiderunt, vt multis visum sit tempus, nescio quid esse inane.* Quorum *ea fuit amentia, vt quum suæ sibi originis essent conscij, seq; in hanc vitam certo tempore ingressos esse, atq; ex ea suo curriculo confecto, aliorum more discessuros intelligerent, tempus tamen esse omnino negarent.* Horum *autem stultitiæ, eorum ingenua & honesta de sua ignorãtia professio longè est anteferenda, qui cùm esse aliquid tempus intelligerent, nec sibi in eius intellectu & cognitione satisfacerent, apertè fassi sunt se, quid illud esset, non assequi.* Vnde *illa ab autoribus minimè vanis profecta vox est,* In tempore sumus, & quid tempus sit ignoramus. *Quali testificatione nobis est in rebus ignotis, & parũ certis vtendum: præ-*

sertim cùm homines simus, nec humani quicquam à nobis alienum esse intelligamus. Quod si ab iis qui & docti vulgò & sapientes sunt habiti fuisset vsurpatũ, haudquaquam variatis sententiis tempus partim sapientißimum partim ignorantißimum fuisset appellatum. Thales enim & Simonides, tempus esse sapientißimum, quasi ab illo efficerentur omnia, pronuntiare non dubitarunt. Contrà Pythagoricus Paro, sicuti testis est quarto Physicorum Aristoteles, quia temporis successu, obliuione et situ deleri videbat multa, tempus dixit ἀμαθέστατον, *id est, inscientißimum, siue ignorãtiæ omnis magistrum: Præceptorem scilicet secutus Pythagoram, cuius de tempore sententiam, ita 15. Metamorph. exposuit Ouidius,*

Philosophorũ de Tempore opiniones.

Tempus edax rerum, túque inuidiosa vetustas,
Omnia destruitis, vitiatáque dentibus æui,
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Quasi temporis rei surdæ & inanimatæ vllum esse posit in res istas, quamuis fluxas & caducas imperium. Certæ enim quantitatis & mensuræ nomẽ est tempus: quod in singulis spectatur rebus, quemadmodum motus, locus, forma, figura, & cætera de genere hoc quæ clamosos delassant in scholis disputatores.

Sed istorum qui tempori tantùm vel sapientiæ vel insipientiæ solent attribuere, neque sequenda, neque ferenda inscitia est. Nam vt nemo nisi mentis inops, structuram ædium, artifice præterito, tempori quod in illud opus consumptum fuit, attribuerit: sic nullus nisi amens & Dei ignarus, rerum, quæ cum tempore fiunt causam non in ipsum autorem Deum, sed in tempus contulerit. Temporis enim, vt cæterorum quæ cum tempore fieri

&

& euanescere videmus quotidie, Deus opifex est. Qui pro sua aduersus humanum genus beneuolentia tempore ad res ipsas efficiendas vtitur, quò mortales ad ipsius amplitudinem & sapientiam in rebus istis contemplandam facilius accedant, spatiúmque sibi ad eas res cognoscendas sumant: quæ illis & voluptati & vsui futuræ sunt. Quarum causas cum tempore sibi patefieri diuino beneficio postea animaduertant, vt se vnius Dei gratia & bona voluntate sapere tandem homines intelligant, quemadmodum id possunt quoque animaduertere, se tenebris ignorantiæ cum tempore & sensim inuolui, dum ipsum Deum eiusq; verbum negligunt: ne quis posthac aut suæ sapientiæ aut inscitiæ causam in tempus conferat, sed in Dei suspicienda & admirabilia consilia. Tempus autem quid sit ex suo nos opificio docuit Deus, cùm faces cœlestes, quas cœli luminaria vulgò dicimus, earúmque conuersiones temporibus definiendis accommodatas esse voluit. Nocturna enim diurnáque spatia, item menstrua, atque adeò annua, solis & lunæ cursu definiri cernimus, quemadmodum iam inde à primo rerum ortu constituit Deus. Quibus omnibus, temporis nomen ex diuino instituto tribuimus. vnde tempus nihil aliud esse aduertimus, quàm certum motum siue spatium, luminarium quotidiana & continuata ac sibi succedente conuersione collectum. Quò spectat à doctis Philosophis Græcis prodita hæc definitio. Χρόνος ἐστι μέτρον κινήσεως τῆς ἐν οὐρανίᾳ σφαίρᾳ γινομένης. id est, Tempus est mensura motus, qui cœlesti orbe conficitur. Ab hac non dissentit Aristotelis multis nota & paßim iactata, sed non æquè perspicua definitio, quæ Physico-

Tempus quid sit.

rum quarto libro sic est prodita & explicata à Philosopho. Τοῦτο γάρ ἐστι χρόνος, ἀριθμὸς κινήσεως, κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον. hoc est, Id enim est tempus, numerus de priore & posteriore motu collectus. Sed verbis suis vtitur Philosophus, nonnihil à quotidiano vsu remotis, quo fit vt obscurior aliquantò videatur ea definitio: iis præcipuè quibus Philosophorum scholæ sunt ignotæ. Conuenit istis nihilominus definitionibus inter se, quòd etsi verbis differunt, re tamen quia conueniunt, pro cuiusque arbitrio promiscuè possunt vsurpari. Ex quibus intelligitur, tempus nihil esse aliud, quàm spatium quod cœli conuersione colligitur.

Temporis & mũdi par origo atq; coditio.

Ex iis autem animaduertimus, quod est minimè prætereundum, temporis & mundi siue cœli parem esse non originem modò, sed etiam conditionem. Etsi tempus, si rem propius & penitus inspicimus, antiquius cœlo esse videtur, quum cœlum prodant sacræ literæ factum post noctis & diei creata: deinde etiam definita spatia, sicuti postea quum de Cosmopœia agemus, dicetur cũ Deo. Id nihilominus quod è definitionibus prius explicatis constat, positum sit, tempus cum mundo cœpisse. quia cœli motu tempus efficitur, tempore autem cœli motus & conuersio definitur. Cœli verò & mundi vocabula eodem pertinere, atque in eadem re dici, testis est locuples Plinius, qui Histor. natur. lib. 11. ita inquit, Mundum & hoc quod alio nomine cœlum appellare libuit, cuius circunflexu teguntur omnia, numen esse credi par est, æternum, immensum, neque genitum, neq; interiturum vnquam. Quibus verbis quàm absurdè & impiè cœ-

ptam orationem concludat, more animalium hominum, id est vanorum & insipientium mortalium, iam Dei bonitate norunt pij omnes, qui intelligunt Deum Optimum Maximum sex diebus fecisse cœlum & terram, cum omnibus quæ cùm cœlo tum terra continētur. Qui eam ob rem execrantur meritò impias Philosophorum de mundi æternitate disputationes & sententias. Mundi igitur siue cœli & temporis quia coniuncta est tractatio, & quid sit tempus est paucis expositum, de mundo nos argumenti ratio & similitudo cogit dicere. De quo prius quàm agamus, Philosophorum argutæ cauillationes hac in re proferēdæ videntur, ne verbis post hac patiantur se in errorem induci qui parum sunt astuti: néve Sophistæ alios impedire se posse existiment suis tricis & laqueis, quos admirantur & tanquam suos partus mirificè diligunt. Tempus, vt mundum, Philosophorum veterum pars maior æternum esse exstimauit, eoq; insolentiæ proceßit, vt non dubitarit pronuntiare, neque tempus vnquam cœpisse, ac ne desiturum quidem esse, quòd tempora in sua vestigia voluantur & recurrant in se circuli modo: in quo nusquam finem aut principium certum poßis statuere. Adhæc si qui volent dicere, aliquando non fuisse tempus, aut non futurum, ij asystata & quæ cohærere non poßint dicere videbuntur, seq; suo gladio & verbo iugulare apparebunt. Aliquando enim, temporis inclusam habet ac coniunctam significationem. Ita qui aliquando non fuisse tempus dicit, id videtur dicere, aliquo tempore non fuisse tempus. Sic qui dicunt aliquando desiturum tempus, ita loquuntur quasi dicerent, futurum tempus, quum non sit futu-

rum vllum tempus. Adhæc, qui æternitati temporis æternitatem mundi adiungunt, quærunt si quando mundus cœpit, quî fieri potuerit illud, aut quis locus nouo consilio fuerit apud Deum, vt rem nouam, & quæ nondum extitisset moliretur. His orationibus & argumentis se tanquam muris aheneis vallatos inuictos esse existimant, præsidiis ad superiora argumenta confirmanda petitis à naturæ vi, ea quam ipsi commenti sunt. Aiunt enim naturæ vim & potestatem æternam esse & perpetuam, quæ non poßit ab actione sua, quæ quidem in his rebus cernitur, impediri aut conquiescere. Sed hæc esse inualida & minus firma argumenta, facile intelliget qui propius rem æstimare volet. Naturam enim, vt à præcipuo capite ordiar, mundano hoc opificio tanquam ergastulo aliquo conclusam, certo operi in quod incumbat, addicunt: cuius vim quum infinitam esse fateantur, in re tamen finita hærere volunt, ac omnipotenti & omniparenti atque incomprehensibili potestati, parum cordati imò cœci homines, veluti compedes & vincula iniiciunt, eámque sua libertate priuant. Quòd si esset ab ipsis animaduersum, non tam securè & insolenter de rebus tantis pronuntiare essent ausi. Nam vt de temporis æternitate agamus, quæro ex iis, num si tempus est æternum, idem quoque infinitum sit: & si est infinitum, quî fiat vt prius & posterius in eo statuatur. Præterea autem scire ex ipsis velim, qua ratione statuant infinitum tempus, quum finitas esse temporum partes non adeò longa disputatione conficiatur. Sumant enim si volent, ver, æstatem, autumnum, hyemem. Sumant etiam horas, dies, menses, annos, notas omnibus temporum partes,

quas

quas finitas esse negare nō possunt. Quæ si finitæ sunt, certè nō nisi finitū quod ex iis cōstituetur esse oportebit.

Sed excipient fortasse, hactenus quidem finita esse tempora, quâ finem in illis certum spectamus aut constituimus: successione autem quadam & adiunctione futurorum ad instantia, perpetuari motum ipsum, atque ita spectari æternitatem in tempore: non ea ratione, qua præteriit, sed qua futurum est. Verùm quisnam eos successionis istius perpetuæ & nunquam desituræ admonuit? Ex quónam istud hauserunt oraculo? quæ tandem illos in hanc cogitationem induxit ratio? an humanæ stultitiæ non vident hîc paria argumenta? Nemo enim tam senex est, qui non putet se adhuc annum victurum. sed vt sua opinione falluntur senes, & in ipso vitæ cursu tandem deficiunt: sic & ipse mundus suo confecto curriculo, quamuis speretur semper longius progressurus, desinet tamen, & ad optatam quietem, quam videtur sese in omnes partes versando requirere, perueniet. Sed illos fortasse circuli moti, in eo vbi non poßit insistere, vt istud crederent, induxit ratio. Sic enim censent globum impulsum non antè desiturum à motu, aut conquieturum, donec offenderit quidpiam à quo inhibeatur. Cœlum autem quia globosum est, & impulsu mouetur suo, nec habet quidpiam quo poßit inhiberi, propterea perpetuo & irrequieto motu, easdem semper redditurum vices affirmant. Quæ oratio quàm multa peccata habeat, & si non potest explicari paucis, dicam tamen vt potero breuißimè, quæ illam poßint coarguere. Globum certè impulsum per decliue si quis mittat, non antè quieturum certum est, quàm in quidpiam incurrerit quod i-

Cœlum suo ipsius impulsu non voluitur.

lius motum cohibeat. At cœli longè alia ratio est. & ne in hoc argumento longior sim, id istis pernegabo, quod pro confesso sumunt, Cœlum suo impulsu volui. Nam si id fieret, arbitrio suo cœlum volui oporteret: atque id tandem confiteri necesse esset, quod impiè à Plinio affirmatum audiuimus: sicut à multis aliis Philosophis proditum quoq; legimus: nempe cœlum esse Deum. Quantæ autem Deum illum sphæricum siue globosum premerent miseriæ, iudicandum aliis relinquo, si necessitate quotidiani motus & cursus impeditus, tanquam ad Sisyphi saxum & Tantali pœnam esset relegatus. Adhæc si cœlum Deus esset, eum certè spiritum esse oporteret: atqui corporeum esse omnes profitentur Philosophi. Iam quod de pari eius & simili motu aiunt, falsum esse conuincit Astrologia. Itaque quum absurdiùs ista dicantur, quàm vt pluribus sint reuincenda, nonnulli motrices intelligentias cœlis attribuerunt, quarũ ope motus istos effici conantur persuadere. Sed Dei ordinatione perseuerare diem, & motus illos cœlestes eiusdem imperio continuari nouimus. Nec nobis hoc loco de ideis philosophandum est. Mundi verò occasu & interitu declarato & demonstrato, facilè dabunt manus, qui sermonis probabilitate decepti, quæ caduca sunt existimarunt esse perpetua.

Quod autem initiò proposuimus de temporis æternitate, quam videbantur confirmare aduerbia temporis, quale sit nunc dispiciendum est, ne quid astutè præteriisse videamur. Quum aliquando non fuisse tempus dicimus, id non est ita accipiendum, quasi dicatur fuisse tempus cùm non esset tempus. Penuria autem sermonis, &

rerum

rerum quæ ſermone ſunt explicãdæ ignoratione & perverſa intelligentia fit, vt verbis interdum abutamur. Itaque quum dicimus, Aliquando non fuiſſe tempus, hunc habet intellectum, Tempus habuiſſe originem, neque id eſſe æternum. Quo modo in re tamen diſsimili, dicimus, cœlum eſſe alicubi, quum eius partes vbi ſint et quò vergant doceri & digito notari poſsit: Cœlum tamen eſſe in loco, quum cæterarum rerum ſit locus, nunquam fatebuntur phyſici. Et cœlo quidem omnia contineri ponit philoſophia: ex quo id quoque colligit, cœlum eſſe rerum omnium locum. Rerum autem omnium locus nequit eſſe in loco: ita enim aliquid eo maius, quo caperetur & contineretur, eſſe oporteret: at cœlum maximam eſſe omninò magnitudinem volunt Philoſophi. Et tamen alicubi, ſignificat in loco quopiam: ex quo quum cœlum alicubi eſſe dicimus, id videmur dicere, cœlum eſſe in loco quopiam, idq; magnitudine alia maiore contineri, quod nunquam fatebitur philoſophia. Ita ſermonis proprietate multis locis deſtituimur, quemadmodum & certa rerum notitia. Quamobrem catachreſi multis locis vtimur, ſicuti & verborum translatione, ad quam nos verborum inopia & rerum ipſarum ignoratio deducit. Non ſolùm autem in quotidiano ſermone, id vſuuenire videmus, vt verbis parũ ſignificantibus noſtram prodamus ignorantiam, ſed in ſacra ſcriptura noſtra cauſa fieri animaduertimus, vt cœleſtia terrenis explicentur nominibus: & diuina atq; æterna, mortali tractentur oratione. Nobiſcum enim balbutiunt, vt ſe ad captum etiam dimittant noſtrum diuina oracula, quæ tempora, vel ſecula, eam ob rem variè vſurpant. Iis enim

vocibus, modò certum annorum numerum, modò incertum, item finitum atq; etiam infinitum significant. Nam & quum æternitatem vult intelligi sacra scriptura, interdum dicit secula seculorum, hac phrasi notans spatium, quod veluti secula seculis perpetuò succedentia habent. Seculum autem Latini id dicunt, quod Hebræi nominant holam. qua voce certum interdum annorum spatium, vt Iubileorum, interdum verò incertum designatur. Et quia æternitatem homines non nisi suo more metiuntur, id est, longa continuatorum annorum serie, fit vt holam, longa ætas, item æternitas dicatur in sacris scriptis. In quem etiam sensum τὸ αἰῶνος vox vsurpatur, quæ superiori respondet hebraicæ voci. Itaque, quòd tempora partim æterna, partim secularia dici videmus, & audimus in sacra scriptura, id qua ratione fiat aut dicatur, explicandum atq; notandum venit, ne quis inde sinistram de temporis æternitate concipiat opinionem. Tempora enim quemadmodum orta sunt quum iußit Deus, ita quemadmodum statuit idem summus omnium architectus & arbiter dominus, desitura sunt. Quod futurum credimus, sicuti Apocalyp. 10. disertè significatur his verbis: Et Angelus quem vidi stantem super mare, & super terram, leuauit manum suam ad cœlum: Et iurauit per viuentem in secula seculorum, qui creauit cœlum & ea quæ in eo sunt: & terram & ea quæ in ea sunt; & mare & ea quæ in eo sunt, quia tempus non erit amplius. Sed in diebus vocis septimi Angeli, quum cœperit tuba canere, consummabitur mysteriũ Dei, sicut euangelizauit

Temporũ variæ significationes in scriptura sacra.

gelizauit per ſeruos ſuos, & Prophetas. Quòd *ergo tempora, partim æterna, partim ſecularia legimus in ſacris Pauli Apoſtoli ſcriptis, id eò pertinere non eſt exiſtimandum, vt temporis, in quo ſecula ſpectantur, ſtatuatur æternitas. neque in hac dicendi ratione, latinæ modò voces, ſed græcæ quoque ductæ ex hebraicis ſunt inſpiciendæ. Et Apoſtolus quidem* χρόνων αἰωνίων *cæteris locis meminit, vt ad Rom. cap. 16. verſic. 25. vbi latinus interpres dixit* χρόνους αἰωνίους, *tẽpora æterna. quemadmodum eodem loco* θεὸν αἰώνιον, *reddidit Deum æternum. Sic enim habet latina eius loci verſio,* Ei verò qui potens eſt vos confirmare iuxta Euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti, ſecundum reuelationem myſterij, temporibus æternis taciti, quod nũc patefactum eſt per ſcripturas Prophetarum, ſecundum pręceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei, in cunctis gentibus cogniti, ſoli ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum, cui honor & gloria in ſecula ſeculorum, amen. *Facile eſt autem hoc loco videre, quàm ſit huius vocis in horum vtroq; diſpar ratio. Nam* θεὸς αἰώνιος *Deus æternus dicitur, quòd & origine careat & interitu: à quo, & in quo, et per quem ſunt omnia, qui & benedictus eſt in ſecula. Tempus autem dicitur æternum, ſed eo modo quo aliis locis ſeculare exponitur ab ipſomet Interprete latino, variè eandem vocem explicante. Quandoquidem 2. Timot. 1. 9. quod græcè dicit Apoſtolus* πρὸ χρόνων αἰωνίων, *reddidit ibi latinus Interpres,* ante tempora ſecularia. *eo verſu,* Sed collabora Euangelio ſecundũ virtu

tem Dei, qui nos liberauit & vocauit vocatione sua sancta, nõ secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora secularia. *Similiter easdem voces græcas, Tit. 1. conuertit latinus Interpres, statim initiò ipsius epistolæ, vbi hæc dicuntur,* Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi, secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quę secundum pietatẽ est, in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus, ante tempora secularia. *Hæc autem verba nihil aliud significant, quàm continuatam seriem annorũ vel seculorum quæ fluxerunt iam inde ab orbe condito. Ante verò mundum conditum, Deo notum erat suum opus, & constitutum de nostra salute & electione, quæ tempora ista secularia, id est, seculis annotata & obseruata, antecessit. Quemadmodum ex eo, quod Ephes. cap. 1. versu 4. docetur, animaduerti potest, vbi ait Apostolus, Nos in Christo electos esse à Deo, ante mundi constitutionem, & ipsa mundi, vt ita dicamus, condendi, iacta fundamenta. Verbi autem Græci varia interpretatio profecta videtur ex ipsa varia vocis Græcæ ratione, quæ respondet Hebraicæ,* holam. *Nam* αἰὼν *dicitur partim ætas, partim seculum, partim æuum: & æui vocabulum Latinè, sicuti & Græcè* τὸ αἰῶνος, *interdum ad æternitatem pertinet, interdum ad longum annorum spatium. Inde ab æternitate* θεὸς αἰώνιος *dicitur, & à longo spatio* χρόνος αἰώνιος *nominatur. Vocum autem & verborum vis, ac significatio ex subiecta & proposita materia semper spectanda*

ctanda est: vt quam in partem accipi debeat, constitui possit, quum rebus notandis verba deseruiant. Quamobrem quum talia tribuũt epitheta tempori, quòd ad suam tendit catastrophen, sicut nos diuina monent oracula, longa series annorum tantummodò est intelligenda, non autem quæ fine careat æternitas, quæ nulla in tempore esse potest, quemadmodum id præclarè & perspicuè demonstrat in suo Ecclesiaste Sapiens, vanitatem rerum istarum omnium aspectabilium arguens ex ipsarum instabilitate & inconstantia. Nam *quæ sunt æterna, eadem firma quoque & certa ac fixa atque adeò constantia sunt.* Nihil *enim fluxi & caduci habet æternitas: quare quum ea quæ sunt instabilia nequeunt esse æterna, quia firmitatis nihil habeant, quis tempus aut cœlum iure dixerit esse perpetuum aut æternum? Perpetui quidem voce vtimur in motu cœli explicando, & perpetuo motu cœlum ferri ac volui dicimus: sed non eò fit, vt cœlum aut eius motum perpetuum, id est æternum dicamus aut affirmemus. Ita enim in hac dicendi ratione, perpetuum cœli motum dicimus, quomodo perpetuam orationem, hoc est, non interruptam. Sic ergo intelligimus cœli motum perpetuum, hoc est, irrequietum nec interruptum, quodq; non antè moueri desinet, nec suam intermittet conuersionem, quàm contigerit reuelatio filiorum Dei, quemadmodum hoc idem monstrat Apostolus* Roman.8.19.*inquiens*, Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorũ Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est, nõ volens, sed propter eũ qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corru

Perpetuũ quid significet.

ptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. *Hæc quidem ſunt quæ diuinitùs exponuntur ab Apoſtolo, certiſsima omninò, & his conſentientia quæ ponuntur ab Eccleſiaſtæ, quibus nos reuocat ab iſtarum rerum fluxarum, quibus nimiùm ſumus affixi & addicti, ſtudio, ad Dei ſerium timorem.*

Quòd autem aiunt Philoſophi, apud Deum qui ſit æternus nouo conſilio locum nullum eſſe relictum, vt eo permotus cœperit aliquando mundum condere: id certè tale eſt, vt idem in rebus quæ quotidie diuina prouidentia proferuntur in luminis auras, dici poſsit. non tamen ex eo ſequitur vt noua conſilia Deus capiat, dum res nouas nobis creat. Illi quidem, cui ſunt omnia præſentia, qui vocat & ſuo nomine nouit tam ea quæ ſunt quàm quæ non ſunt, nihil nouum eſſe poteſt. neque nos noſtra ratione, diuina conſilia metiri par eſt: aut putandum Deo eadem eſſe noua, quæ videantur nobis: cui mille anni ſunt inſtar vnius diei præteritæ. Adhæc, noſtri ingenij ea tenuitas eſt, vt ne minimum quidem operum Dei poſsit de ſe intelligere aut aſſequi. Et re vera furor eſt atque audacia non ferenda, extremaq́; dementia, velle in Dei conſilia inquirere. Quod qui audent, non impunè ferent, quemadmodum ne ferendi quidem ſunt, dum ſine religione & reuerentia de rebus tantis ſecurè audent ex ſuo cerebro dicere, quæ ſua illis dictauit inſania. Itaque vt furioſos iſtos gigantes omittamus, qui Deum de ſuo ſolio detrahere contendunt, dum illum ſub ſuam rationem volunt cogere, reliquorum nobis licet mirari

non

non acumen quidem, sed stupiditatem & cæcitatem, qui temporis ac ipsius cœli æternitatem stabilire volunt ex eorum motu irrequieto & instabili, quod perinde est atque illud quod à Poeta dicitur de Fortunæ temeritate,

Paßibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et tantùm constans in leuitate sua est.

Quod quum sit ὀξύμωρον, *quemadmodum aiunt Grammatici, id est, ita acutè dictum vt fatuum videatur: certè non malè colligemus Philosophos in hac temporis tractatione sic acutos fuisse, vt fatui omninò deprehendantur. Atque hæc quidem nobis in præsentia de tempore sint dicta, vt quid & quale sit tempus, intelligatur.* Nunc *autem de mundo, in quo temporum spectatur series & conuersio, non incommodè agetur.*

De mundo, & hominis in hac mundi statione constituti officij. Cap. II.

EX diuinis oraculis longè clarius & certius quid sit mundus intelligamus, quàm ex vllis Philosophorum quamuis laudatis & celebratis scriptis. Quæ quidem propter multas quas affert Philosophia commoditates, cognoscenda esse & diligenter legenda censemus, sed ita vt his nō immoriamur aut consenescamus. Quod verè monere & huiusce vitæ quotidianæ miseriæ, & doctrinæ cœlestis, id est, Euangelij clara & multis iam cognita vox, atque adeò præsens de mundo fateri coget disputatio. Mundum enim eiusq; rationem sic exponunt Philosophi, vt præter ea quæ sunt ante oculos posita & sensibus ob-

uia, doceant nihil: quum tamen ex his rebus longè maiora nobis & meliora præſentibus quærenda ſint. Ac ne longiores ſimus, agè videamus quid de mũdo ſentiat Philoſophorum coryphæus, cuius ſententiæ & diſputationibus accedunt cæteri. Elegans eſt Ariſtoteles ad Alexandrum Magnum, de hoc argumento libellus, ex quo veluti quodam fonte materiam ſibi qui de mundo tractant petere ſolent. Habet enim paucis comprehenſam propè totius mundi hiſtoriam, habet etiam de Deo quæ cognoſcantur non indigna. Agnoſcit enim ex Deo & per Deum conſtare omnia, nec quidquam eſſe quod ſine Deo ſtatum ſuum tueri poßit. Eius hæc eſt de mundo ſententia, Κόσμος μὲν οὖν ἐστι σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων. Λέγεται δὲ καὶ ἑτέρως κόσμος, ἡ τῶν ὅλων τάξις τε καὶ διακόσμησις ὑπὸ θεοῦ τε καὶ διὰ θεῶν φυλαττομένη. id eſt, Mundus igitur opificium eſt, ſiue compages, cœlo terraque conſtans: & naturis, quæ cùm cœlo tum terra continentur. Dicitur etiam aliter mundus, ordo & elegans vniuerſorum conſtitutio, quæ à Deo & per deos conſeruatur. Has definitiones apertas, & verbis concluſas idoneis, ſic qui poſtea ſequuti ſunt, cùm Phyſici, tum Aſtrologi comprobarunt, vt aliàs non requiſierint. Nec Cleomedes libro de Circulis cœleſtibus primo, aliam ab Ariſtotelica putauit ſibi definitionem vſurpandam, quamuis placitorũ Ariſtotelis ſeuerus omnino cenſor appareat. Ac prior quidem definitio, mundum eſſe quoddam totum ſuis partibus concluſum ſignificat: quo eorum error euertitur, qui mundum immenſum & infinitum eſſe dixerũt. Quod ne in animum inducamus

Mundus quid ſit.

ducamus nostrum, orbis appellatio, quæ mundo tribuitur, prohibet. Mundi enim formam rotundam & globosam, proindeq; vna superficie conclusam, explicat: qua non immensus, sed definitus esse mundus intelligitur. Suo enim nutu vndiq; in terram tanquam suum centrum vergit, & oculorum approbatione, id ita habere deprehenditur: quum quacunq; cernatur, conuexus appareat. Sic globum quendam nobis, quo plurimæ res continentur, ista proponit definitio. Qua propterea non tam rei essentia, quàm forma seu figura intelligitur. Altera autem aliquid amplius cōtinet, ac propius ad definitionis propriæ & veræ naturā accedit. Causam enim continentem proponit Deum, & causæ cognitio quaq; in re pars maxima est. Quandoquidem scire nihil aliud est, quàm rei causam tenere. Sed quia causarum permulta sunt genera, præcipuas solent Philosophi spectare, cuiusmodi sunt efficiens & finalis. Itaq; si cognitum nobis erit, quæ causa mundum effecerit, & quā ob causam sit effectus mundus, tum mundi certa nobis constabit ratio. Hæc autem à Philosopho in propositis definitionibus esse prætermissa mirari non debemus, quòd oraculorū Propheticorum & Apostolicorum ignarus Philosophus, veritatis certa notitia fuerit destitutus. Quin ad istam ignorantiam id accesit mali, quòd priorū complexus errores quos cum lacte hauserat, eos quâ potuit defendit: Collata ingenij dexteritate & acumine, quo egregio fuerat ornatus à Deo, ad veterum fouendos errores, atq; etiam nouos ex iis serendos. Itaque Dei æterni à quo est effectus, & per quem conseruatur mundus, rectè proposita in posteriore definitione mentio, statim obruitur insolenti hominum è

ſuo cerebro Deum metientium ſententia. Deo enim Optimo Maximo adiungit alios operis & conſeruationis mundi ſocios deos. Eſt verò vnus & ſolus Deus, à quo, & in quo, & per quem ſunt omnia, qui & benedictus eſt in ſecula. Neq; verò ſolus hic definitionẽ iſtam occupauit error, ſed alius, ex quo tanquam hydra aliqua, varij ſubinde extiterunt, à multis præteriti nec animaduerſi errores.

Errores ex definitione mundi Ariſtotelica manantes.

Mundum enim iſtum miſerũ & infœlicem, à quo pietas exulat, in quo probitas laudatur & alget, (à quo tamen homines Dei ignari ſeſe abduci ferunt ægerrimè, quòd in eo ſpes omnes ſuas habent repoſitas) vniuerſitatem audimus nominari, id enim eſt ἡ τ̃ ὅλων τάξις. Quod nonnulli, quia bona ratione dictum exiſtimant, nec meliora præſentibus requirũt, nec mundanis iſtis quicquã eſſe præſtantius exiſtimant. Nam quid extra vniuerſum quærerent? Ita multos tituli iſtius amplitudo fefellit, & incogitãtes plurimos adduxit in hos errores, vt mundo nihil maius, nihil præſtantius, nihil melius eſſe crediderint: & quod caput errorũ omnium eſt, mundũ credant eſſe æternum. Quod vt ſibi perſuadeant, diſſentiente à tam falſis opinionibus mente veri conſcia, nihil non moliuntur, & huc ſua contulerunt veterũ pleriq; acumina. Sed veritatis tanta vis eſt, vt nullis machinis euerti queat. Tenebras quidem accerſunt homines ſibi, maior autẽ eſt lucis, quàm tenebrarum, quamuis denſarum, potentia: deniq; veritas eſt omnium potentiſsima, quæ quid hac in re doceat, videamus.

Mundo an aliquid ſit maius.

Maius nihil eſſe mundo affirmãt Phyſici, extra quẽ nihil præterea ſit requirẽdum, conantur perſuadere. At id falſum eſſe conuincit ratio, quæ ex rerum partitione colligitur. Rerum enim alias eſſe aſpectabiles

&

& ante oculos positas, alias autē quæ oculos fugiant, nec nisi animo deprehendi queant, intelligunt etiam indocti & planè literarum rudes. Adhæc, rerum alias esse fluxas & caducas, alias verò perpetuas & æternas, nemo est qui non intelligat. Ergo vt rerum sunt quædam nostris sensibus vulgò notis obuiæ & familiares, quæ suos habēt fines & cœli huius ambitu concluduntur: sic quædam etiam sunt longè à nostris sensibus remotæ, quæ cœlo isto nequaquā contineantur. Et vt intelligentia, atq; ipsa hominis cogitatio nullis potest finibus coerceri: sic neq; illa quæ animorum propria sunt vllis terminis definiri aut concludi queunt. Ex quo grauiter hac in re peccasse Philosophos apparet, qui res sua natura infinitas mundi finibus concluserint. Nam quòd infiniti nullam dicunt esse comprehensionem, proindeq; colligunt id nusquam esse, si ad humani ingenij tenuitatē & imbecillitatem referūt ipsam infinitatem, quam illo comprehendi posse negent, verè certè dicent: non tamen ex eo fit, vt quod à nobis comprehendi nequeat, nusquam sit omnino. Ita enim Deum, eiusq; prouidentiam, ac sapientiam infinitā, nullam esse colligere necesse esset, quum nostris sensibus & animis longè maior sit, proptereaq; non poßit à nobis comprehendi. Sed valeant & exulent à Scholis nostris talia dogmata. Sic enim ista dicūtur, quasi sint et existant ea sola quæ ab humanis ingeniis comprehendi & agnosci queant. Quum autem animos suos non comprehendant, ac ne intelligant quidem homines, quales sint aut quo modo affecti, an propterea nullos esse animos dicere conueniet? Agnoscant se primùm homines & suas tenebras, atq; impotentiam, et ingeniorū suorum tarditatem

tum suæ ignorantiæ & vitiositatis remedia discant è verbo Dei *petere: Ita fiet vt verè sapiant, nec postea dicere audeant, mundum istum commune esse hominũ & deorum domicilium, quo nihil sit pulchrius, nihil melius, nihil maius.* Nam *vt de magnitudine agamus,* Geometria *mundo aliquid maius exponit & demonstrat.* A *qua si quis circuli, aut sphæræ rationem reposcat, intelliget circulum figurã esse linea vna reflexa & in se reducta constantem, quæ paribus interuallis vndique distet à centro.* Sphæram *autem siue globum, solidam esse figuram vna superficie comprehensam, quæ suis partibus æqualiter prorsus absit à centro suo.* Neq; *figuris istis & magnitudinibus terminũ vllum aut finem certum præscribit* Geometria, *vt globum poßis aut circulum, cœlo extimo si voles maiorẽ comprehendere.* Quod *vt facias neq; te* Physicorum *impedire poterunt rationes, ac ne ipsa quidem cœli extimi superficies, quæ locus omniũ dicitur.* Quod *quidem ab iis factum fuisse qui nobis syderum magnitudines & interualla descripserunt, res ipsa loquitur.* Longiùs *enim cœlo profectos eos fuisse, & magnitudines cœlo ampliores comprehendisse, negare non possumus: quum cœli molem quamuis vastam ad suam rationem reuocarint, ac singulas eius partes, vt quæq; oriatur & occidat, annotauerint & descripserint.* Ipsa *igitur virorum eruditorum ingenia, atq; adeò iam nota ex disputatione neceßitas, esse aliquid mundo amplius & maius, atque etiam præstabilius, demonstrãt.* Et *vt magnitudine prætermissa, præstantius esse aliquid mundo conuincamus, age nos ad rerum partitionem referamus, ex qua rerum, alias esse fluxas & caducas discemus: quæ quidem sunt*

aspecta-

aspectabiles & hoc mundo conclusæ: alias autem æternas & diuinas esse, procul ab humanis sensibus remotas, neq; quicquam ad mundanam istam pertinentes animaduertemus rationem, quemadmodum id etiam ex scriptis sacris, id est, recta ratione colligimus. Secundæ enim epistolæ ad Corinth. cap. 4. inquit Apostolus, Τὰ βλεπόμενα πρόσκαιρα, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια. hoc est, Quæ cernuntur temporaria sunt, at quę non cernuntur, sunt æterna. *Itaq; longè alia mūdanis istis bonis præstantiora esse & optabiliora intelligimus, ad quæ bonorum mentes aspirant, & pioru studia contendere par est. quum aspectabilia ista peritura sint, & quæ ab aspectu nostro summota sunt, perpetua futura esse animaduertamus ex Dei verbo.*

Quod autem de mundi æternitate pari stultitia & impietate traditum & creditum fuit, iam reuincendum est, vt ad veram mundi rationem liberiùs accedere nobis liceat. Si vanitati & interitui res istas visibiles obnoxias esse ex earum inconstantia, & singulorum interitu atq; occasu animaduertissent veteres Philosophi, aut si Deū ipsum rerum cunctarum autorem, & moderatorem de his loquentem docentémque perituras esse, admitterent: nobis confecta res esset, aut si Dei ipsius Apostolum Petrum ab ipso Deo profectum doctorem, audire vellent, de rebus istis mundanis ita verba facientem: Veniet dies Domini sicut fur in nocte, qua cœli procellę in morem transibunt, elementa verò æstuantia soluentur, terraque & quæ in ea sunt opera exurentur. *vt scribitur 2 Pet. cap. 3. minus repugnantibus & facilioribus quàm hactenus se*

præstiterint iis vteremur. Hominibus autem Dei ignaris, quia magis arridēt humanæ rationes, et ex vita quotidiana sumptæ nec has quidem contemnemus, vt veritatis vim, qui ab ea sunt alieni, aliquando sentiant. Et ne longè abeā, quia philosophis plurimus est de homine sermo, ex eius natura, mundum interiturum, docere paucis aggrediamur. Anaxagoras mundi se incolā existimabat, vt cœlum intueretur & suspiceret, quasi cœli et solis causa creatus fuisset, & eam ob rem in hoc mundo collocatus. Interrogatus aliquando, cur natus esset, respondit, solis & cœli videndi causa, id est, vt Græci narrant, ἐρωτηθεὶς εἰς τί γεγένηται, εἰς θεωρίαν ἔφη, ἡλίου καὶ οὐρανοῦ. A quo longè Stoicorū discrepat sententia, qui omnia hominum causa creata esse ex ipso vsu verè collegerunt, qui de hominis præstantia longè melius sensisse videntur, quàm de se & suo genere senserit Anaxagoras. Non enim homines propter cœlum & mundum geniti sunt, sed eorū causa non modò cœlum, sed & quæ cœlo continētur omnia esse effecta, vsus ipse arguit. Huic enim tellus fruges fundit, eidem sua poma proferunt arbores. Et vt præstantissima quæ censentur, seruire illi intelligamus, libet sciscitatari ex Philosophis, cuinam sol coquat fruges, cuinam lucem quotidie proferat & accēdat, cuinam spatia annua, aut temporū vices conficiat, postremò cuiusnam gratia.

Homo quare creatus sit ex sententia Philosophorū.

Tot numero, taliq; Deus simulachra, figura,
Imposuit cœlo: perq; atras sparsa tenebras,
Clara pruinosæ iussit dare lumina nocti?

Non alterius opinor, quàm hominis causa ista effecta esse sentient, qui his fruuntur & vtūtur homines. Iam cùm fateantur & agnoscant Philosophi, hominem esse animal

mal prouidum & ſagax, acutum, memor, plenũ rationis & conſilij, quorum nihil tale poßis in ſole, aut mundo deprehendere, quum neceßitate quadam & lege ſibi impoſita ſuas vices obeant, cur hominem eorum quæ ſunt in mundo longè præſtantißimum, & mundo ipſo præſtantiorem negabunt? Cuius ſi eſt caduca conditio, cur mundi debeat potior eſſe conditio, iudicandum ipſis relinquo. Et vt rem certiùs cõficiam, & ad liquidum perducam, agnoſcunt Philoſophi fœlicitatem homini eſſe propoſitam. Fœlicitas autem boni genus omne eſt complexa, quâ vt nihil eſt melius aut maius, ſic eo cuius eſt propria ipſa fœlicitas & beatitudo, præſtantius aut melius nihil eſſe intelligitur. Dei verò id eſſe proprium bonum quod homini diuina bonitate ſit communicatũ, facilè eſt intelligere. Ita ſi patientur ſe doceri Philoſophi, facilè animaduertent hominem Dei eſſe quandam imaginem, cui vt fœlicitate potiatur, ad ſuum parẽtem Deum relicto iſto mundano hoſpitio commigrandum ſit. Quia enim caduca & incerta & inconſtantia mundana ſunt omnia, certum autem & conſtans ac perpetuũ quoddam bonũ eſt fœlicitas, ea in terris omnino eſſe nequit. Quo fit vt homini excedendum ſit è mundo, vt veris & æternis atq; adeò ſolidis fruatur bonis, id eſt, vt fœlicitatis ſit compos. Quod autem homini propoſitum eſſe dicimus, id ad vniuerſum piorũ genus pertinere ſtatuendum eſt, qui vt nomine, ita re ipſa, homines cenſeri debent.

Ex his verò, malè propoſitam de mundi æternitate Philoſophorũ ſententiam & opinionẽ corruere eſt neceſſe. Nam ſine homine, mundi nullum vſum fore, quia hominis cauſa ſit conditus, nemo eſt vt exiſtimo qui non

assentiatur. At hominum generi, cui loco alio fruendum est fœlicitate mundus non semper incoletur, sed suo tempore relinquetur. Quod quum diuino imperio acciderit, mundum & quæ in mundo sunt in nihilum reditura, quemadmodum ex nihilo fuerant effecta, fatendum est, vti etiam vera nobis ex Dei verbo suggerit ratio. Neq; verò hunc mundi casum ignorarunt Poetæ, diuino spiritu veritatis illos admonente, cuius eos testes & præcones voluit esse Deus. Quemadmodum ab Ouidio scriptis proditum videmus, qui Metamorph. 1. Iouem mutantem sententiam inducit metu fatorum, quæ mundi incendium ordinarant, cuius versus ita habent:

Iamq; erat in totas sparsurus fulmina terras,
Sed timuit, ne fortè sacer tot ab ignibus æther
Conciperet flammas, totusq; ardesceret axis.
Esse quoq; in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Hoc autem etsi est de se clarum satis & perspicuum testimonium, nihilominus ad Dei verbũ reuocabo ignaros, ne nos testimoniis veris destitutos existimẽt. Ac vates quidem regius sic impias istas de mundi æternitate voces iugulat, Psalmo 102. Iampridẽ tu Domine terram fundasti & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribũt, tu autem permanebis, & omnia vestimenti instar veterascent, veluti pallium mutabis ea, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Filij verò seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum coram te stabile erit & firmũ. Quemadmodum

modum autem Ioannes Apoſtolus *epiſtolæ ſuæ 1.cap.2. nos bona ratione ab iſtis mundanis rebus ad meliores vocet, quia ſint iſta caſura omnia, operæpretium eſt audire.* Ne diligite, *inquit*, mundum, nec ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, nõ eſt charitas Patris in eo. Quoniam quicquid eſt in mundo, cupiditas carnis, & libido oculorum, & faſtus vitæ, non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. Porrò mundus præterit, & cupiditas ipſius: qui autẽ facit voluntatem Dei, manet in æternum. *Hæc ſunt quæ de mundi certo interitu docent Sacra ſcripta, quæ qui intellexerit, & quid ſit mundus, & quod hominum in iſta mundana ſtatione collocatorum ſit officium, & quò referenda ſint Philoſophiæ veræ ſtudia facilè perſpiciet. Reciſis autem & repudiatis iſtis falſis de mundo per prophanorum autorum libros ſparſis opinionibus, quid ſit mundus paucis eſt explicandum. Commodas eſſe eas definitiones diximus, quæ tum ex cauſis efficientibus, tũ finalibus quidpiam exponerent: quorum vtrunq; nobis in mundi explicatione facile erit proferre, præſertim quum iſtorum Dei voce admoneamur. Deum autem non ſolùm autorem & opificem mundi declarat eſſe Scriptura ſacra, ſed vt horum ſingula, quæ noſtris oculis propoſita in hoc mundi theatro voluit Deus ſint effecta, recenſet ordine: quò meliùs res noſcamus, & earum artificem magis admiremur, cui nihil ſit ad efficiendum difficile. Erit ergo nobis efficiendi mundi cauſa Deus. Quorſum autem ſit effectus mundus, id eſt, quæ mundi conditi ſit cauſa finalis, ſapiens Salomon declarat Prouerb. 16. quum ait,*

Mũdus cur à Deo creatus.

Deum propter ſemetipſum effeciſſe, & condidiſſe omnia, etiam impium in diem malum. *Ita Deus propter gloriam nominis ſui, vtque ſibi Eccleſiam colligeret, mundum condidit: pariter & omnia effecit, vt glorioſus vbique appareret, & à ſuis creaturis coleretur & celebraretur. Eò nos officij noſt.i, cuius tam ſæpe admonemur, vocat & manu ducit ratio. Huc enim cogitationes, & actiones noſtras conferendas eſſe monet Chriſtus Ieſus Dominus noſter Matthæi quinto, quum iſtud imperat:* Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui eſt in cœlis. *Ab hac non diſsidet poſita primæ Petri capite ſecundo, exhortatio,* Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt laudes eius annuntietis qui vos de tenebris vocauit in admirabile lumen ſuum. *Hoc idem Deuteronomij capite decimo, populum docet Moyſes, ita inquiens:* Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus requirit abs te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas Deum? *Deinde paulò pòſt adiungit,* Ipſe eſt laus tua, & Deus qui fecit tibi hæc magnifica & terribilia quæ viderunt oculi tui. *Id verò neque fuit ignotum cæteris mortalibus, quemadmodum teſtimoniis vulgarium autorum poſſum confirmare, ſed malo ſacris vti autoribus & teſtibus indubitatis. Pſalmo decimonono Vates regius ſic ait,* Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annun-

tiat

tiat firmamentum. *Firmamenti autem voce intelligendum est, vt postea docebitur, hoc longè lateq́; fusum aëris & cœli vastum spatium. Quod quidem declarat mortalibus omnibus, quæ sit Dei maiestas, & quanta eius amplitudo: quem vereri omnes & gloria debita par est afficere. Vnde negat Paulus Apostolus vllos esse homines qui suæ de Deo ignorantiæ quicquam prætexere poßint, quum ex his creatis rebus ante oculos positis, Dei virtus, bonitas & gloria, sese vbique patefaciat. Cuius verba ita latinè expressa habemus* Rom.*cap.*1.*vers.*20. Inuisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna scilicet eius virtus, & diuinitas, vt sint inexcusabiles. *Quamobrem Dei gloriæ seruire omnes homines, quum eiusce rei causa conditi sint, necesse est. Quod qui pietate in suum parentem Deum moti fecerint, post relictum huius mundi hospitium recipientur in sanctorum & beatorum cœtum: qui secus fecerint, in sempiternas mittentur tenebras & miserias.*

Licet ergo nobis in Deo constituti mundi causas, efficientem & finalem intueri, atque inde colligere, Mundum esse hospitium homini à Deo constitutum ad certum tempus, in quo tantisper dum aget, diuinæ gloriæ inseruiat. Hæc mundi vera est explicatio & certa definitio, qua & ipsius mundi opificem esse Deum Optimum Maximum intelligimus, eiusdemq́; conditi rationem vnà percipimus. Quòd hominum causa mundus sit effectus, in quo etiam homines collocatos animaduertamus, vt Deo seruiant, eumq́; vitæ modo & sanctimonia referãt.

Mundus quid sit.

Vnde gloriam diuinam nobis esse propositam intelligimus, quâ nihil debeat nobis esse antiquius. Longè *tamen aliam gloriam vulgò nobis proponunt autorũ prophanorum libri, quorum disputationibus & phaleratis verbis ne decipiamur, hac parte cauendum est diligenter: ne de recto vitæ curriculo deducti, præmio tandem excidamus proposito, & pro sempiterna quam speramus beatitudine in sempiternas extrudamur miserias.* Q*uia enim mundus est hominum temporale (vt sic dicamus) diuersorium, gloriæ diuinæ causa constitutũ: nulli iam obscurum esse debet, propositã nobis esse diuinã gloriam, ad quam solam spectare, & actiones omnes nostras & cogitationes conferre oporteat, vt postea relicto isto mundano hospitio, participes & compotes diuinæ gloriæ, cui inseruierimus, fiamus.*

De partibus temporis, & primùm de horis. Cap. III.



N *tempore spectãtur partes, in quibus præcipuæ sunt,* Annus, Mẽsis, Septimana, Dies, Hora. Q*uia verò nos à minimis ordiri par est, de horis primùm dicemus.*

Hora*rum discrimina, sicuti spectantur in historia naturæ, gemina statuunt* A*strologi, quorum ista propria est tractatio.* Motus *enim præcipuè cœlestes obseruant: quos temporibus & spatiis iisdem quibus vtimur definiunt, horis nempe, diebus, mensibus & annis.* Horas *autem partim* καιρικὰς, *partim* ἰσημερινὰς *esse docent.* Καιρικαὶ *nonnullis dicuntur temporales, quia* καιρὸς *tempus est*

est & occasio: eædem quoq; inæquales, item naturales, & planetariæ, siue planetarum horæ à nostris appellantur. Ἰσημεριναὶ autem æquinoctiales dicuntur probatis autoribus, item æquales. Aequinoctiales autem horæ, quæ etiam æquales nominantur, sunt eæ quibus vulgò vtimur, & dies ipsas partimur in horas vigintiquatuor, horis nominatis bis duodecim, ab vnius diei meridie ad insequentis diei meridiem. Vel à media nocte ad alterius noctis dimidium spatium siue mediam noctem. Horas enim nostri solent, vel à medio die vel à media nocte inchoare, quum eas aliæ nationes aliter obseruent, sicuti pòst dicetur. Temporales autem, seu potius inæquales horæ dicuntur eæ, in quas dies singulos veteres partiebantur, similiter & ipsas noctes: sic, vt ab ortu solis ad occasum, duodecim statuerentur horæ: similiter à vespera ad auroram, totidem noctis horæ ponerentur. Quæ, quòd dies & noctes semper sunt inæquales, præterquàm æquinoctiis, semper etiam inæquales erant dierum & noctium duodecimæ illæ partes, præterquam ipso æquinoctio verno & autumnali. Cùm enim vt diei & noctis paria sunt spatia, ita pares sunt istæ duodecim: cùm diei tum noctis horæ. Ac de his quidem horis, Censorinus libro de die natali, capite de diebus, ita inquit: In horas duodecim diuisum esse diem, noctemque in totidem, vulgò notum est. Sed hoc credo Romæ, post reperta solaria obseruatum. Ex quo pòst intelligetur fuisse olim veteribus Romanis ignotas ipsas horas. De quibus Ioannes de Sacro bosco, ita ait in Comp. eccles. Hora est vicesimaquarta pars diei naturalis. Horarum verò alia naturalis, alia

æquinoctialis. Naturalis est spatiū, quo medietas signi oritur. Aequinoctialis verò est quindecim graduum circuli æquinoctialis supra horizontem ascensio. *Sic de Sacrobosco: cui hora naturalis ea dicitur, quæ est temporalis siue inæqualis aliis autoribus.* E*æ autem definitiones ex circulorum cœlestium cognitione pendent, docenturq́; primis Astrologiæ rudimentis. In quibus æquinoctialis circulus, qui omnium paralellorum sphæræ circulorum maximus est, docetur diuidi in trecentas sexaginta partes, quas gradus vocant Astrologi. Hos autem gradus si per vigintiquatuor diuidamus, reperiemus vicesies quater, quindecim. Sic vt vnaquæque istarum vigintiquatuor partium, quindecim gradus obtineat, qui dum supra horizontem emergunt, horæ vnius interuallum, seu spatium conficiunt. Ita dum totus supra horizontem emergit æquator, horæ vigintiquatuor redduntur, per omnia pares, quæ ex eo dicuntur æquales, & ab ipsius circuli æquinoctialis conuersione, vocantur æquinoctiales, quæ quidem diem ciuilem definiunt. quo non dies modò, sed nox etiam intelligitur. Hoc est solis lux, comprehenditur cum tenebris, quas ipsius solis abcessus relinquit, quemadmodum postea in diei ratione dicetur. Spatium autem quo medietas signi oritur, quæ quidem definitur hora naturalis, id est, inæqualis siue temporalis, vult intelligi Iohannes de Sacrobosco id tempus seu interuallum, quod conficitur vnius dimidij signi emersu supra horizontem. Iam verò vbi signum integrum supra horizontem constiterit, duæ abierint horæ huiusce generis, quemadmodum hoc idem Manilius*

in suo astronomico declarat his versibus:

Nec me vulgatæ rationis præterit ordo,
Quæ binas tribuit signis surgentibus horas,
Et paribus spatiis, æqualia digerit astra.

Ita sex signorum exortus, duodecim horas constituit inæquales, quæ eædem dicuntur naturales, vel temporales. Istud autem est hoc loco animaduertendum, quod ex astrorum doctrina intelligitur, vnoquoque die, siue is æstiuus, siue hybernus fuerit, sex signa supra horizontem emergere. Sic noctibus singulis, quæcunque tandem eæ fuerint, siue hybernæ, siue æstiuæ, totidem signa supra horizontem proferri. Ex qua ratione singulorum dierum, item & noctium, duodecim horæ inæquales constituuntur, quæ non nisi æquinoctiis reperiuntur pares. Eius autem dißimilitudinis & imparitatis, siue inæqualitatis causa in zodiacum est referenda, & lineam eclipticam: sicut ex Astrologia potest intelligi. Inæquales igitur horæ, singulorum sunt dierum, similiter & noctium duodecimæ dißimiles & impares, præterquam æquinoctiis, portiones. Quas obseruauit antiquitas, sicut & multis locis, etiamnum hoc tempore, easdem retinent Italia & Germania. His etiam horis scriptura sacra vtitur, vt ex multis locis, tum illo Iohannis Euangelistæ capite 11. perspicuè apparet: Nónne sunt horæ duodecim diei? *Idem ex parabola patrisfamilias Matth. 20. intelligitur. In qua matutini temporis, deinde horæ tertiæ, sextæ, nonæ, & vndecimæ fit mentio. Sic autem obseruãtur horæ istæ, vt solis exortu prima numeretur, deinceps secunda, tertia, quarta, quinta, sexta ipso die medio, quo sol meridianum attigit*

circulum. Tum septima, octaua, nona, decima, vndecima, duodecima solis occasu. distributis intermediis spatiis pro rata interuallorum ipsorum portione, quam signorum arguunt ascensiones.

Horæ autem istæ inæquales, quod non est prætereundum, diuiduntur in maiores & minores: quibus & Astrologi interdum vtuntur, item scriptores ecclesiastici. Quin eiusmodi horas nonnunquam scriptura quoq; sacra vsurpat, quæ eam ob rem sunt nobis explicandæ. Minores autem horæ inæquales sunt eæ, quæ iam explicatæ sunt, quæ eo spatio definiũtur quo medietas signi oritur: aut id spatium continent, quo signi vnius pars dimidia supra horizontem emergit: qua ratione diei ciuilis, quo dies verus & nox continetur, dicuntur esse horæ vigintiquatuor. At maiores horæ inæquales, eo spatio definiuntur, quod definitur & absumitur, dum integrum aliquod signum zodiaci emergit, & scandit horizontem. Quia verò sunt duodecim zodiaci circuli signa, eius tota conuersio duodecim horis maioribus definitur. Ita duodecim horæ maiores, tantum spatij continent, quantum 24. minores. quò fit vt Epiphanius vbi de Epactis agit, diem vnum ciuilem definiat horis duodecim, & duos dies ciuiles, metiatur horarum vigintiquatuor interuallo: quemadmodum explicabitur capite octauo huius libri, quo docetur, quî fiat vt anno solari vtatur scriptura sacra, quum menses lunares obseruet. Ex hac autem maiorum horarũ inæqualium definitione, Euangelistæ Marci locus, nostris obscurus & suspectus de errore, aperietur, & erroris suspitione liberabitur, qui ita habet: Erat autem hora tertia, quando crucifixerunt

Contra hæreses lib. 3. tom. 1.

Cap. 15. ver. 25.

runt eum. Ac Dominum *fuisse crucifixum hora sexta, hoc est, ipso meridie, ex Ioannis* Euangelio *discimus*: cap.19.ver. 14.
Erat autem, *inquit*, parasceue Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Iudæis, Ecce rex vester. *deinde versu* 16. Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur. *In eadem autem historia, pendente iam in cruce* Domino, *inquit* Euangelista Lucas: Erat cap.23. ver. 44.
autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, vsque in horam nonam. *Idem habet* Matthæus: A sexta, *inquit*, au- cap.27.ver. 45.
tem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam. *Ita, quam horam tertiam dixit* Marcus, *eandem alij* Euangelistæ *dicunt horam sextam. Quin ipse quoque* Marcus, *sublato in crucem* Domino, *inquit, ijsdem quibus* cap.15. ver. 33.
alij Euangelistæ *verbis*: Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt super totam terram, vsque ad horam nonam. *Quæ dicta vt intelligantur, animaduertendum est* Marcum Euangelistam *vtrisque horis inæqualibus in eadem historia vsum. Maioribus quidem, quum ait hora tertia, actum fuisse in crucem* Dominum: *minoribus autem, quum aliorum more dixit, sexta hora factas tenebras. Est enim eadem hora tertia maior, & sexta minor. Dies enim naturalis, hoc est, quem sol sua luce conficit, duodecim horas minores habet, & sex maiores. Quare tertia hora ad meridiem spectabit, quum sex horis maioribus definiatur dies: quemadmodum id quoque clarius animaduertetur in* Epactarum *explicatione, de qua agetur capite huius libri octauo. Quod animaduersum demonstrabit* Theophy-

lacti scholium in hunc Marci locum, nihil ad præsentem locum pertinere, qui fuerat ex ista horarum ratione explicandus. Sed ista duodecim horarum ratio postea fuit duplicata, ex quo factum est, vt diei ciuilis constitutæ fuerint horæ vigintiquatuor. Non est igitur noua illa, aut nuper excogitata horarum maiorum & minorum ratio, qua & Astrologorum pleriq; vtuntur, qui partim signis communibus, partim physicis tempora ipsa definiunt. Sed ista sunt alterius loci, quæ alio tempore commodiùs dici poterunt. Cæterùm horas quascunq;, in dimidiatas partimur, deinde partes dimidias distribuimus in duas portiones, quæ sunt quartæ horarum partes. Astrologi autem singulas horas in sexaginta diuidunt portiones, seu partes, quas minuta nuncupant. Deinde minuta ipsa singula in alias sexagesimas portiones distribuunt, quas vocant secundas. Tum portionum harũ partes quasq; sexagesima distributione subdiuidunt: idq; eò vsq; persequuntur, dum ad decimas cuiusq; sectionis particulas deuenerint, quò illis cœlestium motuum certior constare poßit ratio. Sed post secundas, nominant tertias, deinde quartas, quintas, sextas, & sic deinceps vsq; ad decimas. Quomodo autem Romani sub Cæsaribus vsi sint his temporibus, & vt singulis rebus agendis suas attribuerint horas, eleganter describit Martialis,

Lib. Epigr. 4.

Prima salutantes, atq; altera continet horas,
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores.
Sexta quies lasſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octaua palæstris,
Imperat extructos frangere nona thoros.

Hora

Hora libellorũ decima est Eupheme meorum
Temperat ambrosias quum tua cura dapes,
Et bonus æthereo laxatur nectare Cæsar,
Ingentiq; tenet pocula parca manu.
Tunc admitte iocos, gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thaleia Iouem.

Ex his versibus intelligimus Romanos, eo quidem tempore quo scripsit ista Martialis, solitos curare sua negotia vsque ad sextam & septimam horam: deinceps autem reliquas horas curando corpori, & animo à laboribus reficiendo impendisse. Prandij tamen & cœnæ, & comessationum, quæ quum discederetur cubitum, fiebant, meminit Suetonius etiam in Domitiano, ad cuius structorem scribit Martialis. Extat quoque eadem de re Epigramma Græcum incerti autoris, in hæc verba, Epig. Græcor. lib.

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι, ζῆθι λέγουσι βροτοῖς. *id est,*

Sex horæ tantùm rebus tribuantur agendis,
Viuere post illas littera zetha monet.

Hoc distichum quia est argutum, scholium adiunctum habet Maximi Planudis, vt opinor, cuius hæc est sententia. Ad sextam vsq; diei horam, rem suam & opus curare oportet, postea penso absoluto, ad cibum capiendum accedendum est. Quod intelligitur notis, & horologij literis. Si enim Græcas literas, quæ septimam, octauam, nonam, & decimam horam significant, hoc est, ζ, η, θ, ι, coniungat, ζῆθι expresseris, quod est latinè, viue, quasi dicat, Ede vt viuas. hactenus Scholium. Veteres autem Latini horas ignorarunt, quod ex duodecim tabulis liquet, sicuti pòst dicetur pluribus.

De diebus, eorumq; differentijs. Cap. IIII.

DIES *horis definiuntur, sicuti horæ minutis vel momentis. Esse autem dierum genera prima duo, probati monent autores, quemadmodum & ipse vocis vsus demonstrat. Lucem enim quam per solem in nostrum horizontem iubet inferri* Deus,*diem nominamus: tenebras, quæ solis & luminis à nobis discessu, sese proferunt.* Itaque *ex* Censorino, *diem partim naturalem, partim ciuilem esse dicimus. quas voces, qui hæc postea tractauerunt, ignoratione purioris linguæ, confuderunt. nam dierum alios esse naturales, alios artificiales dixerunt. Naturalem inquientes diem esse, spatium vigintiquatuor horarum. Artificialem autem, spatium temporis ab ortu solis vsque ad eius occasum. Cæterùm diem naturalem & ciuilem sic definit* Censorinus, Naturalis dies est tempus ab exoriente sole ad solis occasum: cuius contrarium tempus nox est, ab occasu solis ad ortum. Ciuilis autem dies vocatur tempus, quod fit vno cœli circumactu, quo dies verus & nox continetur: vt quum dicimus aliquem, triginta dies tantùm vixisse. Relinquitur enim etiam noctes intelligere. *Diei verò initium, non eodem modo omnes obseruant.* Nostri *enim* Astrologi, *à meridie dies suos inchoant: alij autem aliter, quemadmodum notat* Plinius, *inquiens:* Ipsum diem alij aliter obseruauêre, Babylonij inter duos solis exortus: Athenienses verò

Lib. de die natali.

Dies naturalis & ciuilis.

Lib. 2. cap. 77.

rò inter duos occasus: Vmbri à meridie in meridiem: Vulgus omne a luce ad tenebras: Sacerdotes Romani, & qui diem definiêre ciuilem, item Aegyptij, & Hipparchus à media nocte in mediam. *Dies autem naturalis, græcis est ἡμέρα, cui ex aduerso respondet νύξ, nox. at ciuilis vocatur νυχθήμερον, quasi dicas noctem continuatā diei. Nam Athenienses, quemadmodum & Hebræi, diem à nocte inchoant, vnde ciuili diei nomen inchoatum à nocte tribuerunt. Censorinus etiam inquit,* Athenienses autem diem statuerunt ab occasu solis ad occasum. *Voce autem νυχθημέρου non modò Ptolemæus Mathematicorum facilè princeps vtitur in magna Syntaxi, sed etiam Apostolus inquit, νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα, noctem & diem in profundo egi. Id verò νυχθήμερον, vocant etiam Latini plenum diem, vt Ouidius,* — Cap. de diebus. — 2. Cor. 11. 25.

Is decies senos, ter centum & quinque diebus
Iunxit, & è pleno, tempora quarta, die. — Fast. lib. 3.

Plenum autem diem Seruius in illud Virgilij, — Plen⁹ dies. 6. Aeneid.

Iamq; vale, torquet medios nox humida cursus.

sic interpretatur, Dies est plenus, qui habet horas vigintiquatuor. Nam & nox pars diei est. Dicimus autem diem à parte meliore, vnde & vsus est, vt sine commemoratione noctis numerum dicamus esse dierum. *Idem & de diei partibus Varronis sententiam refert in eum Virgilij locum,* — 2. Aeneid.

Tempus erat quo prima quies mortalib. ægris
Incipit, & dono diuûm gratissima serpit.

Sunt autem, *inquit*, ſolidæ noctis partes ſecundum Varronem hæ, Veſpera, Conticinium, Intempeſtum, Gallicinium, Lucifer Diei, Mane, Ortus, Meridies, Occaſus. De crepuſculo verò quod eſt dubia lux, nam creperum dubium eſt, quæritur. Et licet vtrique tempori poſsit iungi, vſus tamen, vt matutino iungamus, obtinuit: licet Lucanus dixerit,

Longa repercuſſo nituere crepuſcula Phœbo.

Manum verò vnde eſt mane, bonum dixêre
Cap.19. veteres. *Quæ quidem Cenſorinus pluribus explicat. Vbi cur horarum diei in partitione non meminerit Varro, aperit. eius ſunt hæc verba,* Nam duodecim tabulis nuſquam nominatas horas inuenies, vt in aliis poſtea legibus, Sed ante meridiē, eo videlicet, quòd partes diei bifariam tum diuiſi, meridies diſcernebat. Alij diem quadripartitò, ſed & noctē ſimiliter diuidebant. Id ſimilitudo teſtatur militaris, vbi dicitur vigilia prima, item ſecunda, & tertia, & quarta. Sunt etiam plura noctis & diei tempora ſubnotata, propriisq; diſcreta nominib. quę apud veteres Poetas paſſim ſcripta inueniuntur, ea omnia ordine ſuo exponā. Incipio à media nocte, quod tempus principium & poſtremum eſt diei Romani. Tempus quod huic proximū eſt, vocatur de media nocte. Sequitur Gallicinium, cùm Galli canere incipiunt. Deinde Conticinium, cùm conticuêre.

cuére. tunc ante lucem, & ſic diluculum vocatur. Mane, cùm lux ſolis videtur, poſt hoc ad meridiem, tum meridies, quod eſt medij diei nomẽ. Inde, de meridie, hinc tempeſtas ſuprema. Quamuis plurimi, ſupremam, poſt occaſum ſolis eſſe exiſtimãt. quia eſt in duodecim tabulis ſcriptum ſic, Solis occaſus ſuprema tempeſtas eſto. Sed poſtea M. Lectorius tribunus plebis, ſcitum tulit, in quo ſcriptum eſt: Prætor Vrbanus qui nunc eſt, quíque poſthac fuerit, duos lictores apud ſe habeto, iſque ſupremum, ad ſolis occaſum, ius inter ciues dicito. Poſt ſupremum dicitur veſper, ante ortum ſcilicet eius ſtellæ, quam Plautus Veſperuginem, Ennius Veſperum, Virgilius Heſperum appellant, inde porrò crepuſculum. ſic fortaſſe appellatum, quòd res incertæ, creperæ dicuntur. idque tempus, noctis ſit, an diei, incertum eſt. Poſt id ſequitur tempus, quod dicimus luminibus accenſis, antiqui prima face dicebant. Deinde concubium, quum itum eſt cubitum. Exinde intempeſta, id eſt, multa nox, quia nihil agi tempeſtiuum, tũc quum ad mediam noctẽ dicitur, & ſic media nox. *Hæc ſunt quæ de partibus diei ſatis apertè docet Cenſorinus, poſt quem ſuperfluum eſſet de his plura commemorare. Plinij tamen locus nõ eſt prætereundus hac de re in hæc verba,* Lib. 6. cap. 60. Duodecim tabulis ortus & occaſus nominatur. poſt aliquot annos adie-

ctus est Meridies. Scipio Nasica collega Lænatis, primus aquâ diuisit horas æquè noctium ac dierum, idque horologium sub tecto dicauit, Anno vrbis DXCV. tandiu populi Romani lux indiscreta fuit. *Restat autem locus lubricus & difficilis de appellationibus dierum, quem vt poterimus, Dei præsidio explicabimus.*

Saturn. lib. 1. cap. 16. De appellationib. dierum. *Macrobius quænam dierum apud Romanos fuerit appellatio & ratio, perspicue & copiosè explicat, cuius primis eiusdem capitis versibus erimus contenti in præsentia. Inquit autem,* Omnes dies esse aut festos, aut profestos, aut intercisos. Festi, diis dicati sunt: Profesti, hominibus ad administrandam rem priuatam publicamque concessi. Intercisi deorum hominumque communes sunt. Festis insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ. Profestis, fasti, comitiales, comperendini, stati, præliares. Intercisi, in se, non in alia diuiduntur. Illorum enim dierum quibusdam horis fas est, quibusdam fas non est dicere ius. Nam quum hostia cæditur, fari nefas est: Inter cæsa & porrecta fari licet. Rursus quum adoletur, fari non licet. *Ex quo quid* Fast. lib. 1. *sibi voluerit in dierum partitione Ouid. potest intelligi.*

Ne tamen ignores variorum iura dierum,
Non habet officium Lucifer omnis idem.
Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,
Fastus erit per quem lege licebit agi.
Nec toto perstare die sua iura putaris,
Qui iam fastus erit, manè nefastus erat.
Nam simul exta Deo data sunt, licet omnia fari

Verbaq;

Verbáq; honoratus libera Prætor habet.
Est quóq; quo populũ ius est includere septis,
Est quoq; qui nono semper ab orbe redit.
Vendicat Ausonias Iunonis cura calendas,
Idibus alba Ioui grandior agna redit.
Nonarum tutela Deo caret omnibus istis.
Ne fallare caue, proximus ater erit.

Hæc Ouidiana est dierum explicatio, in qua comitialium dierum ratio est paulò obscurior, quòd circumlocutione, multis fortasse ignota, explicetur. Quæ, vt apertior sit, animaduertendum est, Septa fuisse propriè loca in campo Martio inclusa tabulatis, in quibus stans populus Romanus suffragia ferre consueuerat, vt annotat Seruius, in illud Virgilij, Eglog.1.

Quamuis multa meis exiret victima septis.

Itaq; diem quo populum ius est includere septis, comitialem innuit. quemadmodum diem nundinarum eum dicit qui semper redit in orbem die nono. De Nundinis *autem, item de Calendis,* Nonis *atque* Idibus *agemus in sequentibus, quum hebdomadas & menses tractabimus. Cæteri autem ex Macrobij descriptione dies noti sunt, vt intercisi, quos periphrasi expreßit ipse Ouidius, quẽ ait esse quandoque festum, qui manè esse nefastus.* In his *autem dierum appellationibus, nulla earum quas hodie vsurpamus extat mentio, neq; vsquam in veteribus scriptoribus, aut epistolis ipsis græcis aut latinis, quibus dies quo datæ sunt, ferè adscribi solet, dierum nobis vsitata nomina reperias. Calendarum enim aut nonarum, aut iduum, in his nomina sola offendes apud* Latinos, *& apud* Græços *respondentia iis vocabula solùm reperies.* Diei *autem* Solis, *Lunæ,* Martis, *Mercurij,* Iouis, *Vene-*

ris, aut Saturni, nusquã in antiquis autoribus apparent vestigia. Nam Sabbati & Dominici diei nomina, *à vera religione quia sunt profecta, fuisse idololatris ignota, quoad piorũ sunt vsi consuetudine, mirũ videri non debet.*

Symp. lib. 4

Plutarchus autẽ de horum dierum nominibus disseruit, sed eius libri pars maior, & ea in qua de hac re agebatur, deest. Nostrorum *tamen pleriq;, rem volunt esse antiquißimã, eamq; iam inde à temporibus* Moysis *repetere non verentur.* Aiunt *enim* Hermẽ, *siue* Mercurium Trismegistum, *autorem horũ nominum fuisse, qui à planetis dies ita nominarit & ordinarit. quibus quam parũ fidei sit habendum, ex* Dione Nicæo *pòst intelligetur.*

Philastrii iudicium de Mercurio Trismegisto.

Philastriũ nihilominus, cuius extat liber de hæresibus, non satis politus, meo quidem iudicio, habent suæ sententiæ suffragatorem, qui parũ honorificam de isto Mercurio, qui Græcis est ἑρμῆς, *mentionem facit. Nam catalogo quem de hæresibus scripsit primùm eius meminit capite de heliognostis, qui solem adorabãt, his verbis:* Quem Hermes ille vanus & paganus Trismegistus docuit, post Dominum omnipotentẽ, non aliũ nisi solẽ debere ipsum & homines adorare. Qui quũ ad Celtarum prouinciã perrexisset, ipse eos dignoscitur docuisse, atque huic errori vt succumberẽt persuasisse. *Deinde alio capite hæc inquit,* Alia est hæresis quæ pecudum, paganorũ vanitate, siderum diuersa nomina profitetur, vt Hermes ille Trismegistus, qui vanus potius quã magnus iudicandus est. *Alio postea loco de eodẽ ista scit, quæ sunt præsentis instituti:* Habẽda est hæresis quæ dicit nomina

mina dierũ Solis, Lunę, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, Saturni, à Deo ita posita ab origine mundi, nõ hominũ vana præsumptione nuncupata. Quũ à prima origine, vsq; ad Græcos reges, & Hermem fallacissimũ illũ, qui hæc nomina vana & friuola mentiendo ausus est nuncupare, si quærere volueris, inuenies multũ fluxisse temporis. Et sic paganos, i. Græcos, hæc nomina posuisse. Quum etiã secundum septẽ stellas, dixerint hominum generationẽ consistere, vt ille ipse delirans hoc definiuit. *Ex his apparet, illius tempore extitisse huiusce Mercurij scripta quædã, quæ hodie non extant. Quod verò aiunt Mercurium istum fuisse antiquiorem Pharaone, sicuti prodidit Suidas, falsum esse arguit ipsum Pæmandri, quod ad illum refertur, scriptũ. Nam Sibyllarũ meminit quæ multis post Pharaonẽ seculis extiterũt. Itẽ Aesculapius is, ad quẽ scribit iste Mercurius, Phidiæ meminit, qui Periclis ætate vixit. Ita librũ illũ Mercurij Trismegisti subdititiũ esse apparet, in quo multa dicũtur, quæ nec ratione, nec autoritate fulciãtur idonea. Aetate autẽ Augustini alia fuisse nota Hermetis huius Trismegisti scripta apparet ex lib. de Ciuit. Dei, è quib. impietas huius Trismegisti facilè deprehẽdi potest.* Lib. 8. cap. 23. & aliis.

Iam verò Dionem Nicæum autorem minimè vanum, aut certè Xiphilinum Dionis interpolatorẽ, audire est operæprecium, qui hæc de dierum appellatione prodidit, In Põpeio. Quòd verò ex stellis septem, quæ Græcis planetę, Latinis errantes dicũtur, dies dispositi sunt, primùm est ab Ægyptiis constitutũ.

Deinde ad reliquas gentes emanauit, nec olim id quidem, vt ego arbitror, quum id nullo modo fuerit, quod sciam à veteribus intellectum. Sed quoniam his temporibus & cæterarum gentium, & ciuium Romanorum ita proprium est, vt in cuiusque patria quodam modo natum esse videatur, placet de hac re quemadmodum acciderit paucis disserere. *Et cætera, quæ qui nosse cupiet, locum adeat, quo de harmonia & reciprocatione dierum istorum agit. Nobis nunc satis est intelligere, rem istam à quocunque sit profecta, fuisse illo tempore non admodum vetustam, quam non ab Aegyptijs, sed à vera profectam religione licet existimare. Nam quum eo tempore res Christiana vigeret, & Christianorum instituto, quemadmodum & Iudæorum, menses distincti essent hebdomadibus, & septenis dierum interuallis, sicuti tempora iam inde ab orbe condito distinxerat Deus, cœpit paulatim res esse notior. Quin etiam Senecæ tempore, fuisse illam dierum obseruationem receptam vulgò, licet colligere ex Augustino, cuius hæc sunt verba,* Hic (Seneca) inter alias ciuilis theologiæ superstitiones, reprehendit etiam sacramenta Iudæorum, & maximè sabbata inutiliter eos facere affirmans, quòd per illos singulos septem interpositos dies, septimam ferè partem ætatis suæ perdant vacando, & multa in tempore vergentia non agendo, lædantur. Christianos tamen iam tunc Iudæis inimicissimos in neutram partē commemorare ausus est, ne

De Ciuitate Dei lib. 6. cap. 11.

ne vel laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem. De illis sanè Iudæis quum loqueretur, ait. Quum interim eò vsque sceleratissimæ gentis consuetudo conualuit, vt per omnes iam terras recepta sit, victi victoribus leges dederunt.

Sed Satanas qua est impietate & astutia, veritus ne recepta ista dierum noua & inusitata gentibus prophanis partitione, vnà reciperentur quæ iam fuerant istis diebus posita nomina: maturè sibi occurrendum esse huic periculo existimauit. Si enim Sabbati aut Dominici diei nomina, Ecclesiæ vsitata, vulgò apud gentes fuissent cognita & recepta, futurum videbat, vt exquirerēt gentes, quid ea valerent, aut quorsum essent imposita. Ex eaq; notitia sentiebat impietatem & falsam religionem imminuendam: quod postea accidit. Itaq; rationem commentus est, qua nihil ex ista noua dierum partitione, decederet idololatriæ: obiectis earum stellarum nominibus, quarum vi & potestate singula regi & administrari iam credulis nimium persuaserat. Sic primum hebdomadæ diem, qui Domini præfert titulum & notam, per Mathematicos iudiciarios, Solis nomine insigniuit, ne quis ignarus audito nomine Domini quæreret, quisnam ille esset Dominus, à quo dies is appellationem esset sortitus. Ac quò in errore retineret sibi addictos, nominis probabilem addidit coniecturam. Solem planetarum cæterorum esse ducem, cuius quum tanta sit amplitudo, vt suo lumine cætera compleat, iure fuisse istius septenarij chori principem constitutum. Huic fuco

adiuncta est & alia impurior doctrina, planetæ præcipuum esse eo die imperium in res istas inferiores, cuius de nomine diceretur quisque dies: sic tamen vt vicißitudinaria quadam succeßione singuli planetæ suas obirēt singulis horis partes, nec ab istarum rerum gubernatione discederent. Quod prima diei hora esset eius sideris cuius præferret nomen dies. Cæteræ deinceps horæ, suo ordine cederent aliis planetis, ita recurrentibus horis, vt cuiusque diei hora prima temporaria siue inæqualis, quæ ab ortu solis numeratur, sit eius planetæ qui diem signet suo nomine. Id vt intelligatur faciliùs, planetarum nomina suo ordine sunt exponenda.

Luna terris citima primum in planetis tenet locum, *supra* Lunam.
Mercurius statuitur, post hunc
Venus *collocatur,* Venerem
Sol *excipit, planetarum medius.* Post Solem
Mars ponitur, post Martem
Iuppiter, *post* Iouem *postremo loco est*
Saturnus, *proximus cœlo stellarum inerrantium & fixarum.*

Etsi autem tot numero sunt planetæ, quot sunt cuiusq; hebdomadis dies, tamen quò res admirationem ex ordine maiorem haberet, eáque sisteret credulos, ne plura de diebus inquirerent, planetarum ordinem nequaquam dies retulerunt. Nam quum diei ciuilis horæ sint vigintiquatuor, in quas vicißitudinarium volunt esse planetarum imperium, commutari siderum istorum ordinem pro dierum appellatione oportuit. Ter enim repetito planetarum ordine, horæ tantùm redduntur vna & viginti:

ginti: ſic tribus prætereà planetis ordine connumeratis opus eſt, ad explendum vigintiquatuor horarum numerum & imperium. Quo fit vt quartis ſemper planetis dies cedere debeant. Sic diem Lunæ excipit dies Martis. nam quartus eſt Mars à Luna. à qua ad Saturnum reditur, à Saturno ad Iouem deſcenditur, à Ioue autem ad Martem peruenitur. Similiter poſt diem Martis ſequitur dies Mercurij: eſt autem Mercurius quartus à Marte. Siquidem Martem ſequitur Sol, deinde Venus, tum ab eo Mercurius quartus numeratur, qui diem ſignat ſuo nomine, conſequentem diem Martis. atque ſinguli ſeptimanæ dies hac ratione nominibus iſtorum Planetarum ſolent inſigniri. Id verò vt facilius acciperetur, verſus in hanc rem ediderunt, quomodo olim ſolebant in Scholis ſingula docere & proponere ediſcenda:

Prima dies Phœbi ſacrato nomine fulget.
Vendicat & lucẽs feriam ſibi Luna ſecundam.
Inde dies rutilat iam tertia Martis honore.
Mercurius quartã ſplendẽtem poſsidet altam.
Concordat Veneri magno cum nomine ſexta.
Emicat alma dies Saturno ſeptima ſummo.

Quia verò Planetarum imperio cuncta regi, hominibus Deo carentibus & veritatis ignaris perſuaſerat Satanas, & horæ dierum ipſorum inæquales, Planetis ea ratione qua dictum fuit attribuebantur, inde accidit, vt ab Aſtrologis horæ ipſæ temporales ſiue inæquales, Planetariarum etiam nomen habuerint. Eſſe autem recentem dierum iſtam appellationem, ſicuti Dion exiſtimat, neque tamen eſſe profectam à veteribus Aegyptijs,

ex eo potest intelligi, quòd quum Herodotus Aegyptiorum res persequatur, & anni etiam ipsius rationem explicet quæ est Aegyptiis in vsu, nihil tale commemorat: quum tamen Aegyptiorum sacerdotes de singulis à se diligenter interrogatos ostendat. Diodorus etiam Siculus, qui longo post tempore res Aegypti memorabiles prodidit, et ab Herodoto & aliis prætermissas retulit, nihil tale memorat, etsi Thebæos à Mercurio, qui est Hermes Græcis, vt diximus, anni & temporum rationem accepisse refert. Strabo quoq; quum Thebæorum anni rationem à Mercurio iis traditam ait de istis diebus nullam facit mentionem. Mercurij quidem & Aegyptiorum, maximè Thebæorum, hac in re scriptores propè omnes prophani meminerunt, præterito interim inuento isto: quod neque Aegyptij si tum nouissent, silentio præteriissent, nec Græci ipsi, aut alij autores, si à suis profectum, aut ab alijs inuentum audissent, vnquam dissimulassent. Ex quo deprehenditur eorum supinitas, qui ista dierum nomina ad Mercurium seu Hermem illum multorum errorum parentem, Ogyge vetustiorem, referunt: cui nequit septena dierum partitio, sine diuina iniuria tribui: quum Dei sit illa ordinatio, sicut & anni & mensium, non autem hominis cuiusquam, quemadmodum ex Genesi, id est, rerum istarum & temporum constitutione sacris oraculis testata, intelligimus.

Lib.16.

Sed familiare est & vsitatum Satanæ, rerum inuentionem quas Deus nostra causa creauit & instituit, ad idôla & Gentium deos referre, aut ad eos homines qui in propaganda idololatria egregiam operam nauarũt, vtiturq; ad eam rem scriptoribus Græcis maximè, atque

etiam Latinis qui eruditionis famam aut fidei opinionem quandam apud homines sibi pepererunt. Id enim præcipuè cauit, sibi & suo tenebrarum regno metuens, ne quid de Scripturis diuinis resciscerent homines. Et ne quid esse melius Aegyptiorum aut Chaldæorum, aut Græcorum scriptis putaretur, obtinuit apud stultos, sparsa de illarum Gentium religione & sapientia, falsa opinione: etsi nihil in eorum commentarijs ferè, præter impias de heroibus, hoc est, impuris & sceleratis tyrannis, & dijs ab hominibus factis, historias & fabulas recensetur. Ita Dei veri & populi ipsius electi mira fuit inter Gentes ignoratio: quum in Dei populo bonæ omnes artes & philosophiæ purioris notitia viguerit, multis antè seculis quàm Græcorum monumētis quicquam sit proditum. Nam Græcos pueros esse, & nuper versatos in historia intelligimus ex Solonis dictis & factis. Quin Varro antiquitatis inquisitor diligentißimus, ait artes omnes intra mille annorum spacium repertas, ad suam ætatem illa tempora referens. Anni ergo & mensium & dierum, imò temporis omnis ratio certa, non aliunde quàm ex Sacris scripturis repetenda est: à qua antiquitatis omnis peti debet notitia & veritas. Ex qua scimus Deum tempora partitum esse in annos, mēses & hebdomadas. Hebdomadarum autem, vt postea dicetur, ignota est prophanis autoribus ratio. Quarum dies in Scriptura dicuntur, primus, secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus. Cui postremo, certa addita est appellatio, nempe Sabbati, ex ea quæ docetur in mundi creatione causa, nempe quòd omnibus rebus istis aspectabilibus creatis hexamero, id est, sex die-

Lib. 5. de re rustica c. 1.

rum spatio, conquieuerit Deus, & cessarit à rerum visibilium creatione, inde septimo diei data est appellatio Sabbati, id est, quietis seu cessationis. Solis autem, Lunæ Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, aut Saturni, quo die Sabbatum intelligitur esse, nusquã in Sacris scriptis extant appellationes aut nomina, quæ ne in antiquis quidẽ autoribus prophanis reperias. nã primus est è Latinis,
Ann.lib.21. quod quidem sciam, Cornelius Tacitus, apud quem diei Saturno dicati fit mentio, in historia Iudaica. In qua vt cætera impiè ab eo finguntur, sic & illud quoq; nimium impudenter dixit, septimum diem Saturno dicatum esse apud Iudæos. Strabo autem illo prior, vbi de Iudæa agit
Lib.16. scribit Pompeium cepisse Ierosolyma, obseruato ieiunij die, quo ab omni opere Iudæi cessarent & abstinerent. Trogus verò Pompeius, qui sub Augusto vixit, vt ex eius breuiario, quod Iustini titulo prænotatur, licet intelligere, eũ diem suo nomine appellauit, nempe Sabbatũ. De
Lib.36. Iudæis enim ita scribit, vera falsis admiscens: Itaq; Moses, Damascena antiqua patria repetita, mõtem Sinæ occupat, quo septem dierũ itinere per deserta Arabiæ cũ suo populo fatigatus, quũ tandem peruenisset, septimũ diem more gentis, Sabbatum appellatũ, in omne æuũ ieiunio sacrauit, quoniam ille dies famem illis erroremque finierat. Ex quo intelligitur quis sit ieiunij dies Straboni, & alijs prophanis scriptoribus qui de rebus Iudaicis egerunt. Dion autem Nicæus, qui sub Alexandro Mammeæ vixit, & sub Heliogabalo, diem qui Saturni nomen habet ait Deo consecratum esse à Iudæis, eadem ignoratione, qua Tacitus.

Nam

Nam is dies Sabbati nomen apud Iudæos habuit, non Saturni, quod & apud nos retinet ratione diei, qui hoc eum nomine insigniuit, quemadmodum & dies Solis, dicitur nobis Dominicus. Non quidem vt censent plerique scriptores Ecclesiastici, audaces nimium in ijs quæ nesciunt affirmandis, ex instituto papæ Syluestri aut alterius Pij primi, sed Apostolorum autoritate & vsu. Nam in Apocalypsi, ita loquitur Iohannes Apostolus. Cap.1. uer. 10. ἐγενόμην ἐν πνεύματι, ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ, καὶ ἤκουσα ὀπίσω μου φωνὴν μεγάλην, ὡς σάλπιγγος. *id est,* Fui in spiritu, Dominica die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ. *Sabbati autem appellatio satis est nota, ex sua antiquitate, & ex Scriptura sacra. In qua reliquorũ dierum septimanæ appellationes à Sabbato petuntur quandoq;, quòd Sabbati vox non solùm septimũ diem hebdomadæ, quo à suis negotijs feriãdum est & cessandũ cuiq;, vt is impẽdatur dies, Sacrarũ rerũ cognitioni, sed hebdomadem quoq; significet, quã quietis dies concludit. Inde ait ille Pharisæus,* νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου, ieiuno bis in Sabbato, *id est, in hebdomade, sicuti vox ista tam in plurali, quàm singulari vsurpatur in Hebraismo, Leui. cap. 23, vers. 15. & 16. & alijs locis inde in Euangelistis,* μία σαββάτων, *prima Sabbati, id est, hebdomadæ prima dies dicitur, siue ea dies, quæ prima Sabbatum consequitur. Quod autem* Σαββάτων *Græcè dicitur, accipiẽdum est in singulari numero ex proprietate sermonis Hebraici, quo singulariter dicitur hic dies Sabbath, & altera forma Sabbathon. Itaq; Latinè* μία σαββάτων, *verti debet, non, prima Sabbatorum, sed prima Sabbati, seu hebdomadæ.*

Sabbatum quid significet.

Luc. 18.

Prima Sabbati,

Ea verò die, cœtus Ecclesiasticos, celebrare solitos
Cap. 20. 7. *fuisse primos Christianos apparet ex actis Apostolorũ, vbi ita dicitur:* Vna autem sabbati quum conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitq; sermonem vsq; in mediã noctẽ.
1.Cor.16. 2. *Id verò clarius intelligitur ex Paulo, vbi collectas iubet fieri* κατὰ μίαν σαββάτων, *id est, primo quoque hebdomadæ die. Sicuti Homilia in illum locum docet Chrysostomus, qui primum illum diem hebdomadæ Dominicũ diem interpretatur. Huius rei fidem faciunt etiam Iustinus, & Tertullianus in Apologetico: qui die Solis con-*
Aduer. Vigilantium. *uenire solitos Christianos ad preces & mysteria sacra percipienda prædicant. Hieronymus quoq; inquit,* Per vnã sabbati, hoc est in die Dominico omnes conferre, quæ Hierosolymam in sanctorum solatia dirigãtur, Apostolus Paulus pręcipit. *Sabbati autem, & Dominicæ diei sola vera nomina retinuimus, reliquis prophanis, vt Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, & Veneris, in vsum receptis ex mala vulgi cõsuetudine: quam damnat aliquot locis Augustinus, item & alij pij quique doctores. Feriam autem primam, secundam, tertiam, & ita deinceps dici voluerat à clericis*
cap. 8. *ipsas dies, Syluester Papa, vt ait Beda: Cæterùm longo vsu confirmata ista dierum nomina retenta sunt, quæ & hodie quoq; nobis nota sunt & vsitata: nempe Dominici, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, Sabbati, quo concluditur septimana, de qua iam aliquid etiam dicendum est.*

De

De septimana seu hebdomada. Cap. V.

SEptenarij numeri laudes persecutum esse Varronem libris ijs quos inscripserat Hebdomades, Auli Gellij testimonio discimus, Lib.3.c.10. qui in earum laudem compendio, septenarium numerum ἑβδομάδα Græcis solitũ dici tradit. Verba Gellij sunt hæc: Marcus Varro in primo librorũ, qui inscribuntur Hebdomades, vel de imaginibus, septenarij numeri, quem Græci ἑβδομάδα appellãt, virtutes potestatesq; multas variasq; dicit. At nos ea voce, non septenarium tantum numerũ, sed dierum septenorũ circuitum, eadem obseruatione semper in se redeuntem comprehendimus. Quem nostri qui cõputos Ecclesiasticos ediderũt, vocarunt septimanam, nouo nomine. Noua enim rerũ nouarum nomina sunt facienda, aut aliunde transferenda, & Latinus interpres vbi hebdomadũ fit in Scriptura mẽtio, vocem Græcam hebdomadis retinuit. Hebdomas autem, seu, vt nostri loquuntur, Septimana, Sawa dicitur Scripturæ sacræ, à septeno dierum numero, qui post noctis & lucis, id est diei spatia, proximam habet in tẽporum constitutione rationem. Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram & quæ his continentur, septimo verò die requieuit. Ideoq; septimum quemq; diem sanctũ & celebrẽ esse voluit Deus, quemadmodũ Geneseos secundo, & præcepto primæ tabulæ quarto declaratur. Et vt dierum septimus quisq; sacer est, sic & annorũ septimũ quemq; in Republica Israelitica sacrosanctum iussit esse

Deus. quo, & agris quies cõcedebatur, & nomina creditorib. exigere nequaquã licebat, ab ijs qui soluendo nõ essent. Sicuti præcipitur Leuit. 25. *in hanc sententiã:* Loquere filijs Israel, & dices ad eos, Quãdo ingressi fueritis terrã, quã ego dabo vobis, sabbatizet sabbatũ Domino. Sex annis seres agrũ tuũ, & sex annis putabis vineã tuã, colligesq; fructus eius. Septimo anno sabbatũ erit terrę, requietionis domini: agrũ nõ seres, & vineã non putabis, Quæ spõte gignit humus nõ metes, & vuas primiciarũ tuarũ non colliges quasi vindemiam, annus.n. requietionis terrę est. Sed erũt vobis in cibũ, tibi & seruo tuo, ancillæ tuæ, & mercenario tuo, & aduenæ qui peregrinãtur apud te. Iumentis tuis, & pecorib. omnia quæ nascũtur prębebũt cibũ. *Prætereà etiã id apertius præcipitur* Deut. 15. *in hæc verba:* Septimo anno facies remissionẽ, quæ hoc ordine celebrabitur, Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, vel fratre suo repetere nõ poterit: quia annus est remissiõis Domini: à peregrino & aduena exiges, ciuẽ & propinquum repetendi nõ habebis potestatẽ. *Cæterùm quisq; septimus annus, qui remissionis dicitur, nõ eò tãtum fuit à Deo institutus, vt tenuiores et afflicti respirarent abolitione debitorũ, sed vt quã debẽt singuli operã impendere in verbi Dei notitiã intelligerent. Anno enim septimo feriabantur rustici, itaq; suis operib. auocari nõ poterãt à lectiõne & cognitione verbi Dei. quãobrẽ Deu. 31. 9. hoc ita præcipitur:* Scri

psit

psit itaq; Moses legẽ hãc, & tradidit eã sacerdotib. filijs Leui, qui portabant arcã fœderis Domini, & cũctis seniorib. Israel, pręcepitq́; eis, dicẽs, Septimo quoq; anno remissionis, in solẽnitate Tabernaculorũ, conuenientib. cunctis ex Israel, vt appareant in conspectu domini Dei tui, in loco quẽ elegerit Dominus, leges verba legis huius, corã omni Israel, audientib. ijs, & in vnũ omni populo congregato, tã viris, quàm mulieribus, paruulis, & aduenis, qui sunt intra portas tuas, vt audientes discant, & timeant dominũ Deũ vestrum & custodiant, impleantq́; omnes sermones huius legis. *Præterea autẽ septies septimus annus, id est, quadragesimus quisq; nonus annus, in eadẽ republica, multis fuit insignitus miraculis et priuilegijs, cui nomẽ datũ fuit à tuba arietina, quæ* Hebraicè Iouel *dicitur. Is enim est Iubilæus inde nominatus quòd Leuitarũ præconio, per tubas arietinas, quæ dicũtur* Iobelim *Hebræis, cõuocato populo indiceretur. Seruis verò tũ sua libertas, item ære alieno pressis immunitas & debitorũ remissio, cõcedebatur. Item alienatorum prædiorum possessio, redibat ad veteres dominos. vt* Leuitic. 25. *scriptum extat his verbis*: Numerabis quoq; tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem. Et clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore, in vniuersa terra vestra. Sanctificabisq́; annũ quinquagesimũ, & vocabis (indices) re

missionem, cunctis habitatorib. terræ tuæ: ipse est enim Iubilæus: reuertetur homo ad possessionē suam & vnusquisq; redibit ad familiā pristinā: quia Iubilæus est, & quinquagesimus annus. Nō seretis neq; metetis, spōte in agro nascētia, & primitias vindemię nō colligetis, ob sanctificationē Iubilæi, sed statim oblata comedetis. Anno Iubilęi redibūt omnes ad possessiones suas. *Hæc sunt quæ anno Iubilæo, ad miseros et tenuiores atq; ære alieno oppressos, quorū magna est vbiq; copia, redibāt bona,* Dei *institutione & voluntate, vnde à publica gētis Israeliticæ*

Iubilum. *eiusce temporis lætitia, Iubili etiam vox ad* Latinos *ma-*

Σεισαχθεία *nauit. Qui nouas tabulas, quēadmodū Græci* σεισάχθειαν *concesserunt in sua republica: quas quandoq; promulgare, ex hac* Dei *constitutione, coacti fuerunt. Celebrē aūt septimorum dierum & annorum, voluit esse in suo populo memoriam* Deus, *ne quem beneficiorum ipsius aut operū caperet obliuio. Annorum aūt & dierū septenæ istæ feriæ ad Christum, atq; eam quietem & libertatem, hoc est fœlicitatem quam suis acquisiuit proprio sanguine* Dominus, *spectabāt. Quarum propterea celebritas, non vno terræ angulo aut limite contineri debuit, quum ad omnes quos ad se vocat dominus* Deus *noster pertineret.* Lucæ *aūt* 4. *cap. id declarauit* Christus *dominus, vbi hæc scribuntur:* Et traditus est illi liber Esaię Prophetæ, & vt reuoluit librū, inuenit locū vbi scriptū erat: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare cōtritos corde, prædicare

care captiuis remiſsionẽ, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſsionem, prædicare annum Domini acceptũ & diem retributionis. Et quum plicuiſſet librũ, reddidit ministro, & ſedit. Et omnium oculi in ſynagoga erant intendentes in eum. Cœpit aũt dicere ad illos, Quia hodie eſt impleta hęc ſcriptura in auribus veſtris. *Quæ verba apud Matth. declarãtur quoq; hiſtoria, quæ ibi docetur in hæc verba:* Iohannes autem quũ audiſſet in vinculis opera Christi, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens Ieſus ait illis, Euntes renunciate Iohanni, quæ audiſtis & vidiſtis, cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. *Sed rerum iſtarum notitiam, quantum potuit obſcurauit Satanas, & hominum vſus vanitate; fecit vt antiqua illa Italica à Pythagora philoſophia, numeris tractandis occupata, pro veritate tenebras hominibus obtulerit. Numerorum enim vim et potentiam, quæ nulla eſſe poteſt, fecit vt maximam eſſe crederẽt mortales: ſicuti eã prædicant Pythagorici, quibus non numeri, ſed res numeris expoſitæ & cõprehenſæ ſpectandæ erant. quas qui obſeruarunt tum Phyſici, tum Medici, miras eſſe reprehenderunt. nam præcipuas effici ſeptenarij curriculo rerum mutationes animaduerterunt, Deo veluti manu ducente homines, ſi quid modò veræ rationis obtinerent, ad illam meditandam & com-*

Cap. II.

prehendendam, rerum suo tempore futuram conuersionem & instaurationem: quam & dierum & annorum hebdomadibus, vndiq; sese offerentib. consignauit. Prophanis autem Philosophis & Medicis, notæ sunt ex obseruatione & quotidiana experientia, cùm dierum tum annorum hebdomades, sed non hæ quas nosse illos par fuerat. Sciunt enim dies septimos, quos maximè suspectos habent in morbis acutis, esse crisimos vel criticos. Norunt prætereà septimum quemque annum per omnē vitam periculosum esse, & mutationis aliquid afferre semper solitum, quem ob id crisimum & climactericum appellant. sicuti Censorinus annotauit. Qua de re Aulus etiam Gell. hæc habet: Pericula quoque vitæ fortunarumque hominum, quæ climacteras Chaldæi appellant, grauissimos quoq; fieri affirmat septenarijs. *Et alibi*: Obseruatum in multa hominum memoria expertumq; est, in senioribus plerisq; omnibus, sexagesimũ tertium vitæ annum cum periculo & clade aliqua venire, aut corporis, morbiq; grauioris, aut vitæ interitus, aut animi ęgritudinis, propterea qui rerum verborumq; eiusmodi studio tenentur, eum ætatis annũ appellant κλιμακτηρικόν. *Chaldæi autem, quorum prædictionibus multi fidem adhibẽt stultè nimium, pericula vitæ & fortunarum hominum, Climacteras vocant, quasi dicas scalarum gradus, in quibus sit insistendum, & quos sine periculo superare aut transcendere non possis, vnde ab istis climacteribus dixerunt annos climactericos. Neq; verò hoc est ipsis Genethliacis ignotum, esse vnum omnium*

De die natali cap 5. Lib. 3. ca. 10. Lib. 15. ca. 7.

nium difficilimum climactera, quem compleant septies septeni anni, qui anno accidunt vno de quinquagesimo. In quibus spatijs eadem illis ante oculos proposita videmus cum ijs, quæ Deus suis, atque adeò omnibus oblata & nota esse voluit. Nam septimi diei crises illustres, item anni septimi mirabiles conuersiones, præterea autem Iubilei, id est, Climacterici, quem septies septeni conficiunt anni, periculosæ & metuendæ vices, quid aliud volunt, quàm vt homines istarum conuersionum & mutationum memores, quærant quò tandem res sint euasuræ: & quónam sint in istis certis & statis mutationibus, oculi referendi, quáque ratione periculis istis mederi aut obuiam ire liceat. Ac ne inter spes incertas & metus varios, vitam hanc miserrimam transigamus miserè, Deus voluit pro suo in genus humanum amore, stata diei septimi obseruatione, nos erigere in spem quietis & fœlicitatis futuræ. Ignaros autem suorum oraculorum, statis istis & ordinarijs hebdomadum conuersionibus, voluit admoneri suarum miseriarum, vt quum remedium ijs sine Deo se reperire non posse animaduerterent, ad illum respiciendum esse intelligerent.

Sed illos conditi mundi à Deo ignoratio, & septimi diei quies, ab hac consideratione quodam modo retraxit. Nam Sabbatum ignotum fuisse gentibus, ex ipsarum institutis apparet, quæ quo die otia agerent & sacra tractarent, vix constitutum habuerunt. Sua enim non modò singulis vrbibus, sed & familijs fuit religio. vt quemadmodum ait Plinius maior cœlitum populus, quàm hominum intelligi potuerit. Lib.II.c.7.

fuerit. quum ſinguli ex ſemetipſis totidem deos faciant, Iunones Genioſq; adoptando ſibi. *Vt autem ſeptimi diei apud* Romanos *ſepulta fuerit memoria, ex vetere Nundinarum inſtituto apparet. Octo enim diebus in agris ruſtici opus faciebant, nono autem die, intermiſſo rure, ad mercatum legeſq; accipiendas in vrbem commeabant, vt ſcita atq; conſulta, frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die propoſita, à ſingulis atq; vniuerſis facilè noſcebantur. Vnde etiam mos tractus, vt leges trinundino die promulgarẽtur, ſicuti dictum eſt ex* Macrobio.

Lib. 1. c. 16.

Cæterùm apud Græcos *ſeptimi diei ſacram memoriam ſuſtulit, ſicuti & apud* Latinos, Satanas, *ſed alia ratione quæ magis arriſit* Græcis. *Iis enim ſacra impia obiecit quæ octauo quoque die* Neptuno *celebrarent, vt docet in* Theſeo *& alijs locis* Plutarchus. *Quòd ſi varia gentium hac parte inſtituta perſequi vellem, infinitus & ſuperuacuus ſuſcipiendus mihi labor eſſet. Vt enim malum dicitur* Pythagoricis *infinitum, ſic nullum finem aut modum habet impietas & ipſa ſuperſtitio.* Hebdomadarum *autem &* Sabbatorum *ſuppreſſa apud gentes memoria, quid illis boni attulerit, conſtare poteſt ex impijs de mundi æternitate opinionibus & diſputationibus. quæ nullæ vnquam fuiſſent, ſi veteribus notæ & obſeruatæ fuiſſent hebdomades, ſeu ſeptimanæ populi* Dei. *quarum concluſio & requies huc ſpectabat, vt* Deum Optimum Maximum, *primùm vniuerſi autorem agnoſceremus, deinde autem ipſius* Dei *exemplo, ab operibus noſtris conquieſcentes, ipſa* Dei *opera contemplantes recognoſceremus, atque intelligeremus*

mus quanta ſint ea, quæ Deus diligentibus ſe poſt huius mundi occaſum præparauerit. Sed de hebdomadibus pro noſtro inſtituto ſatis erunt iſta: nunc ad menſes, qui lunæ curſu definiuntur, quæ ſeptenario quoq; mouetur numero, dicendum eſt.

De menſibus, Latinis, Hebraicis, Græcis & Aegyptijs. Cap. VI.

TEmporum duo eſſe genera ait Varro, vnū annale, quod ſol circuitu ſuo finiat, alterum menſtruum, quod luna circumiens comprehendat. Cui ex Platonis ſententia accedit Cicero. qui menſem fieri, quando luna luſtrato ſuo curſu ſolem ſit conſecuta, dicit. Annum autem vbi ſol totum ſuum confecit & peragrauit orbē. quibus reſpondent ea quæ lib. 2. de nat. deorum, hac eadem in re docet. Itaque videre licet veteribus ignotas fuiſſe noſtras ſeptimanas ſiue dierum ſeptenorum in orbem redeuntium vices perpetuas: præterea etiam nullos illis alios menſes cognitos fuiſſe ab ijs, quos luna ſuo curſu ſignaret & conficeret, præſertim quum tales vbique Sacra ſcriptura proponat: atq; etiam eoſdem obſeruarint cum Iſraelitis Perſæ, Chaldæi, Græci, & Latini veteres, vſq; ad Iulij Cæſaris pontificatum. Et Latinos quidem vſos fuiſſe menſibus lunaribus ex multis hiſtoriæ Romanæ locis poteſt intelligi. Maxime autem ex Dionyſio Halicarnaſſeo, qui hoc multis locis ſignificat. Aperte autem libro decimo, vbi agit de Decem viris, inquiens.

De re ruſt. lib. 1. c. 27.

Lib. de Vniuerſ.

quiens. Anno sequenti Appius Claudius ea cum Collegis Decemviratum consulari potestate inijt, idibus Maij, quæ inciderunt in plenilunium, vt tum menses obseruabantur, pro ratione lunari. *Qui verò postrà consecuti sunt Astrologi, quia veteris anni latini mutata fuit ab Imperatoribus Romanis ratio, temporum aliam diuisionem ab illa priore instituerunt, ac menses alios solares, alios lunares, alios ciuiles nominarunt, quum anni à Iulio Cæsare ordinati vbique valeret ratio, & recepta esset constitutio, quæ iam inde ab illius Pontificatu, & anno vrbis 708. ad nostra perseuerauit tempora. Non quidem primæ illi Iulianæ omninò similis institutioni, sed propter admissos errores nonnihil differens, quemadmodum ex anni quæ pòst dicitur ordinatione, poterit intelligi. Quod autem de mensibus docuerunt Astrologi, breuiter & latinè complexus est* De die nat. cap.18. *Censorinus, inquiens:* Mensium duo genera. Nam alij sunt naturales, alij ciuiles. Naturalium species duæ, quòd partim solis, partim lunæ esse dicuntur. Secundum solem fit mensis, dum sol vnumquodque in zodiaco orbe signum percurrit. Lunaris autem, est temporis quoddam spatium à noua luna. Ciuiles menses, sunt numeri quidam dierum, quos vnaquæque ciuitas suo instituto obseruat, vt nunc Roma, à Calendis ad Calendas. Naturales, & antiquiores & omnium gentium cõmunes sunt. Ciuiles & posteriùs instituti ad vnamquamq; pertinent ciuitatem. *Stoeffle*

rus

rius ita definit: Mensis solaris, est quē peragrando signum, sol conficit. Et constat diebus triginta, horis decem, minutis ferè vigintinouem. *Signa autem, zodiaci circuli duodecimæ partes certorum animalium effigie ab Astrologis efformatæ, versibus istis duobus comprehenduntur.* In Cal. Ro. prop. 14.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libráque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Arcitenentem autem, vulgò Sagittarium, Caprum verò Capricornum, & Amphoram nominant Aquarium, qui ita effingitur, vt aquam ex amphora videatur profundere. Horum duodecim signorum causa, quæ sol annuo spatio peragrat, menses duodecim solares dicuntur esse. Iam mensis lunaris dicitur tempus, quo luna dum à sole discedit, toto zodiaco peragrato, iterum soli coniūgitur, constans diebus 29. horis 12. minutis 44. Id spatium menstruum, nostri Computistæ vocant lunationē. Et vt quod de discessu lunæ à sole, & reditu ad solem, post peragratum zodiacum, intelligatur: animaduertēdum est, quod de lunæ motu doceant Astrologi. Lunam scilicet totum zodiacum lustrare, & obire diebus vigintiseptem & horis octo, quod noti illi & scholis vsitati versus monstrant.

Percurrit cyclum viginti luna diebus.
Septenisq; suum, bis quatuor insuper horis.

Interim autem dum ad eum locum à quo relicto sole abscesserat redit, sol interea totum propè vnum signum permeauit, ita fit vt nequaquam solem eo loco reperiat quo reliquerat, quare solem lōgius progressum postea con-

consequitur. In quo cursu duos dies & quatuor horas, 44. minuta, cum aliquot secundis & tertijs minutorum partibus insumit, vnde mensis lunaris, quem computistæ vocant consecutionis, conficitur diebus 29. & dimidio, cum aliquot minutorum portionibus. Ita duo menstrua spatia diebus constant 59. & minutis aliquot: quò fit vt alternis, triginta dies vni mensi lunari tribuantur, & consequenti viginti nouem aut contrà. Ex quo istud ab Astrologis colligitur, annum lunarem cõstare diebus 354: Solarem autem diebus 365, his horis adiunctis quæ Iulianam intercalationem constituunt, quas sex esse dicunt. Vnde hi anni, diebus differunt vndecim. Quamobrem vt anno lunari conueniat cum solari, hi dies vndecim adijciendi sunt diebus anni lunaris 354. Dies autem isti vndecim, dicuntur Græcis ἐπάκται, quam vocem nostri quoque retinent, Epactas, id est, addititios istos vndecim vocantes dies, de quibus dicetur amplius in anni ratione.

Epactæ dies.

Ciuilem autem mensem nostri vocant vsualem, id est, eum qui vulgò est in vsu, qui nequaquam solari aut lunari conuenit, sed ita hodie nobis est constitutus, vt Iulio Cæsari pontifici maximo Romano, atque Sosigeni Alexandrino Mathematico, quo adiutore est vsus Iulius Cæsar in anno suo constituendo visum fuit. Quomodo autem menses cùm lunares, tum solares, ad anni ordinationem retulerint veteres, in anno erit explicandum. Nunc quæ mensibus fuerint nomina, & quomodo mensium partes fuerint constitutæ dicendum est.

Latinorum autem mensium ordinem & nomina

na discemus ex Fastis Ouidianis, plura qui volet ex Macrobio, Censorino & Varrone, repetere poterit. Lib. 1.

Tēpora digereret quū conditor Vrbis, in anno Menses Latini.
Instituit menses quinque bis esse suo.
Martis erat primus mensis, Venerisq; secūdus,
Hæc generis princeps, ipsius ille parens.
Tertius à senibus, Iuuenū de nomine quartus,
Quæ sequitur numero turba notata fuit.
At Numa nec Ianū, nec auitas prçterit vmbras,
Mensibus antiquis, præposuitq; duos.

Romulus, inquit Ouidius, mensibus decem annum suum constituit, quorum primum dixit Martium à Marte, quem voluit credi suum parentem. Secundum vocauit Aprilem, à Venere principe sui generis, quæ est Græcè ἀφροδίτη, *vt sit Aprilis quasi Aphrodilis. Tertium mensem à senibus, id est maioribus, dixit Maium. Quartum à iuuenibus dixit Iunium. Reliquos deinceps à numero & ordine nuncupauit. Nam quintum mensem dixit Quintilem. Sextum, Sextilem. Septimum, Septembrem. Octauum, Octobrem. Nonum, Nouembrem. Decimum, Decembrem. Numa autem Pompilius, quum videret iusto numero deesse duos menses, his addidit Ianuarium, in honorem Iani, veteris Latij rectoris, & Februarium, sic dictum à Februis, id est inferiis & cœnis ac cæreis, quæ anni extremo mense, inferebantur sepulchris mortuorum & bustis, vt vmbræ quiescerent, & ne cuiquam molestæ essent, vt docet ipse Ouidius Fastorum libris, Festus quoque & Varro, atque alij talium sacrorum veterum interpretes. Fuisse autem veteribus Ianuarium & Februarium postremos anni menses docet etiam Ouidius Fastor. lib. 2.* Fast. lib. 2.

Qui sequitur Ianum veteris fuit vltimus anni,
Tu quoque sacrorum Termine finis eras.
Postmodò creduntur spatio distantia longo
Tempora, bis quini continuasse viri.

Quod Varro confirmat: Terminalia, *inquit*, quòd is dies anni extremus constitutus. Duodecimus enim mensis fuit Februarius, & quũ intercalabatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur mensi. *Idem* Varro, Ad hos, *inquit*, qui additi, prior à principe Iano, Ianuarius appellatus, posterior, vt iidem dicũt scriptores, ab diis inferis Februarius appellatus, quod tũ his parentetur. *At suam iam dictam sententiam sic confirmat Ouidius Fast. lib. 3,*

De Lingua Lat. lib. 5.

Ne dubites primæ fuerint quin antè Calendæ
Martis, ad hæc animum signa referre potes.
Laurea flaminibus quæ toto perstitit anno
Tollitur, & frondes sunt in honore nouæ.
Ianua tum regis posita viret arbore Phœbi.
Ante tuas itidem Curia prisca fores.
Vesta quoque vt folio niteat velata recenti,
Cedit ab Iliacis Laurea cana focis.
Adde quod arcana fieri nouus ignis & æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.
Nec mihi parua fides annos hinc esse priores,
Anna quod hæc cœpta est mẽse Perẽna coli.
Hinc etiam veteres initi memorantur honores
Ad spatium belli, perfide Pœne, tui.
Denique quintus ab hoc fuerat Quintilis, & inde
Incipit à numero nomina quisquis habet.

Latinis autem seu Romanis *mensibus manserunt sua nomina, præterquam* Quintili, *qui propter Iulium Cæsa-*

rem vocatus est Iulius: postquam is relatus fuit in nume rum deorum Romanorum. *Sextili etiam suum mutatum est nomen, propter* Octauianū *Augustū, qui ex eo dictus est Augustus, vt docet* Macrobius *&* Censorinus.

Mensium autem Hebraicorum nomina quæ Sacræ scripturæ propria sunt & peculiaria, dicuntur ab ordine quem in anno obtinet hoc modo: Primus, Secundus, Tertius, Quartus, & ita deinceps vsq; ad duodecimum. Quis autem sit primus in his mensibus, & vnde Hebræis siue Israelitis annus incipiat, in Exodo *docetur his verbis:* Mensis iste erit vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. *Mensis autem qui eo loco primus instituitur, is est quo ex Aegypto sunt educti, & quo celebrabatur festum Paschæ sicuti eodem capite docetur. Qui postea cap. 13. dicitur mensis nouarum frugum, in Latina conuersione, his verbis:* Hodie egredimini, mense nouarum frugum. *quod quidem pluribus verbis sic dicitur in* Deuter. Obserua mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phase Domino Deo tuo. quoniam isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto nocte. *à Septuaginta verò interpretibus vocatur* μὴν τῶν νέων, *id est, mensis nouorum, scilicet fructuum:* Hebraicè *autem nominatur* hodes haaib, *id est, mensis spicæ siue spicarum, hoc est, is mensis, quo è culmis & vaginis prodierūt spicæ. quod quidem tempus incidit in Aequinoctiū vernū, quo in Aegypto & Syria maturæ iam incipiūt esse segetes, vt intelligi potest ex* Leuitico, *vbi de festis agitur, & iubetur vt postero à Pascha die, q est*

Menses Hebræorum.

Cap. 12.

Cap. 16. ver. 1.

Cap. 23.

decimus sextus Martij mensis, offeratur manipulus nouarum frugum. ex quo die, quo falx mitti in segetem incipiebat, quia tum manipulus nouarum frugum demetebatur, numerandæ erant septem hebdomades, ad festum Pentecostes, quod appellatur in Scriptura sacra festum hebdomadum. Quemadmodum id apertè potest
Cap.16.9. *colligi ex Deuteron. vbi hæc dicuntur:* Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris, & celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo. *Primitiuorum quoq;, id est primitiarum, vocatur idem*
Cap.28.26. *festum in Numer. vbi istud dicitur:* Dies etiam primitiuorum, quando offeretis nouas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis & sancta erit. *Ita autem dicitur Pentecostes festum, quòd eo die panes è nouis frugibus offerebantur Deo, pro gratiarum actione, quum esset confecta mes-*
Lib.18. cap. 18. *sis. Testis est etiam Plinius peragi messem in Aegypto, cui vicina est Syria, mense Maio, cuius mensis sexto die celebratur Pentecostes festiuitas.*

Hebræorum autem primo mensi respondet Latinorum veterũ primus mensis Martius, vt ex Ouidio priùs docuimus. Et vt primus Hebræorum mensis in æquinoctium vernum incidit, ita & Latinorum Martius: nam hac quoq; tempestate, vernum æquinoctium incidit in Martij diem decimum. Itaq; non tantùm ordinis & numeri causa, sed & temporis, primum Hebraicum mensem cum Martio, Latino mense componimus, etsi, vt res quidem nunc sunt, per omnia quadrare non potest Martius mensi Hebraico primo, quòd Hebræorum menses

lunares ſunt: at menſes Latinorum, quibus poſt publicatos à Iulio Cæſare faſtos vſi ſunt, naturalibus nequaquã conueniunt. Sed vt ſunt naturales menſes Hebræorum & lunares, quales fuerunt veterum Latinorũ menſes, pares cum paribus conferre et iungere conuenit, qui ciuilibus per menſem intercalarem erunt adaptandi. Cæterùm vt menſis primus dicitur in Scriptura Abib cognomine, ſic menſis ſecundus appellatur Hodes zif. pro quo Latinus dixit menſem zio. quòd putarit eo loco, vaf eſſe quieſcens in holem, non autem conſonum. Vocem autem illam initio capitis prætermiſerunt Septuaginta, nec reddiderunt. Sub finem autem capitis, vbi vox eadẽ repetitur, dixerunt ἐν μηνὶ ζιὼ, in menſe zio. Quam Chaldæus paraphraſtes, habita verbi ratione, dixit zif niſjanaia, id eſt, menſem apertionis, ſiue ſplendoris florum, id eſt, menſem quo floribus conſtat, & maxima eſt ſua venuſtas. Eſt & epithetum additum ſeptimo menſi, Ethanim, id eſt, fortium. Quam vocem reliquit Latinus interpres. Ita enim inquit; Conuenitque ad regem Salomonem vniuerſus Iſrael in menſe Ethanim, in ſolenni die, ipſe eſt menſis ſeptimus. Septuaginta verò dixerunt μηνὶ ἀθανὶμ menſem Athanim. At Chaldæus paraphraſtes menſem fortium reddidit. Menſi etiam octauo ſua eſt addita 3. Reg. appellatio: dicitur enim Bul, à quo, vt nonnulli ſentiunt, dicitur mabbul, id eſt, diluuium, quòd eo menſe fuerit diluuij ſub Noë initium. & quòd ſub hyemem incipiãt tum aquarum inundationes, id eſt, incrementa. Is autem menſis eſt quem mar, hes, van, vocant, alio nomine. Latini autem pleriq; codices eo loco pro Bul, habent Elul,

3. Reg. 6.

3. Reg. 8. 2.

quod nomen ad Augustum mensem pertinet. Eum verò errorem Lyranus commentario in eum locum tertij Regum agnoscit, & emendat. Septuaginta autẽ, idem cum Hebæo nomẽ habent, ἐν μηνὶ Βὼλ, in mense Bul. At Chaldæus pro suo more loca difficiliora explicãs dixit Bejerali mesaph ibebaia, in mense collectionis frugum, id est mense quo frugibus in horrea conuectis, omnia ad suum veluti senium deduxit hyems. His mensibus adduntur epitheta, in Sacra scriptura: reliquis sua tantùm tribuuntur nomina ordinalia. Reperiuntur tamen in Daniele, Esdra & Ester, certorum mensium nomina, quæ aiunt esse vel Persica, vel Chaldæa, quòd horum tantùm in iis scriptis extet mensio, quæ post captiuitatem Babylonicam sunt edita. Quo tempore, quia populus Dei vocibus assueuerat Persicis, & Chaldæis, hæc vsu iam trita recepta sunt vocabula. quibus quia vulgò vtimur in mensibus appellandis, & designandis suis proprijs nominibus, eaq; partim in Sacris oraculis extãt, partim in versione Chaldaica, suus ordo reddendus est. His autem propter argumẽti similitudinẽ menses Atticos adiungemus, ea ratione quam Gaza prodidit. Qui ἑκατομβαιῶνα docet esse Iunium, à quo Athenienses annum inchoant, ipso æstiuo solstitio. Et μουνυχιῶνα docet esse Martium, quo vernũ designatur æquinoctium. vnde eum mensem Hebræorum mensi Nisan respondere liquet. Adiungemus his etiam menses Macedonicos, quos vulgò Græcos nominant, quòd eos nostrorum nonnulli, atq; etiam Iosephus commemoret, apud quem Nisan dici ξανθικὸν, & Octobrem δῖον cõstat multis locis: vt horum certa ratio & interpretatio constet. Aegyptios quoq; vnà adiungemus,

Lib. de mẽsibus.
Mẽses Græcorum.

mus, non propter Epiphanium tantùm, sed propter nostros Astrologos, qui mensium Alexandrinorum, id est, Aegyptiorum, multis locis meminerunt: Aegyptiis autem & Atheniensibus annus incipit à Solstitio æstiuo, quia tum Nilus augeri incipit. quorum primum anni mensem Censorinus ait esse Toth. sic Cicero, qui Toth ait esse Mercurium Aegyptiis, qui propterea Iunio erat apponendus. quod cur à nobis non fuerit factum, intelligetur ex sequentibus. Sic enim mensem Toth ad Septembrē certis de caussis quæ postea dicentur, referimus.

De die nat. cap. 15. & 17
Libro 3. de Nat. deor.

Menses.

	Hebræi.		Latini.	Attici.	Macedonici.	Aegyptii.
1	נִסָן	*Nisan.*	Martius.	μουνυχιών.	ξανθικός.	φαμενώθ.
2	אִיָּר	*Iiar.*	Aprilis.	θαργηλιών.	ἀρτεμίσιος.	φαρμουθί.
3	סיון	*Sivan.*	Maius.	σκιῤῥοφοριών	δεύτιος.	παχών.
4	תמוז	*Tamuz.*	Iunius.	ἑκατομβαιών.	πάνημος.	παϋνί.
5	אב	*Ab.*	Iulius. vel Quintilis.	μεταγειτνιών.	λῷος.	ἐπιφί.
6	אלול	*Elul.*	Augustus. vel Sextilis.	βοηδρομιών.	γορπιαῖος	μεσορί.
7	תשרי	*Tisri.*	September.	μαιμακτηριών.	ὑπερβερεταῖος.	θώθ.
8	מרחשון	*Marhesvā.*	October.	πυανεψιών.	δῖος.	φαωφί.
9	כסלו	*Kisleb. vel Casleu.*	Nouēber.	ἀνθεστηριών.	ἀπελλαῖος.	ἀθύρ.
10	טבת	*Tebeth.*	December.	ποσιδεών.	αὐδυναῖος.	χοιάκ.
11	שבט	*Sebath.*	Ianuarius.	γαμηλιών.	περίτιος.	τυβί.
12	אדר	*Adar.*	Februarius.	ἐλαφηβολιών.	δύστρος.	μεχείρ.

Hæc est mensium Hebraicorum series & appellatio, quæ ex certis Scripturæ locis, & Chaldaica interpreta-
Cap.3. *tione libri Ester, Ierosolymitana nuncupata intelligitur, vbi disertè primus anni mensis dicitur appellari Nisan, eum verò mensem Iosephus vocat* ξανθικὸν. *mensis duodecimus dicitur esse Adar. Adhæc Sivan tertius mensis anni nominatur, quemadmodum & Tebeth mensis nominatur decimus. Iam in Zacharia Casleu mensem intelligimus esse nonum, sicuti Sebath mensem esse vndecimũ nouimus. Quare ex his Scripturæ locis & tertio capite Targum Ester, ordinis huiusce certi, eodem ordine cæteros exposuimus menses, quem Hebræis mensibus conuenire animaduertimus.*

Alij autem mensem Nisan dicẽdum esse Aprilem cen-
Lib. 9. cap. 14. *sent, fortasse quòd, vt ait Columella, vernum æquinoctium, quod ad mensem Nisan pertinet, olim statueretur 8. Calend. April. id est 25. Martij. Sed hîc & temporis præsentis & ordinis veteris fuit habẽda ratio, quæ commodior visa est. Romani enim Imperatores, nempe Iulius Cæsar, & Octauianus Augustus, dum nobis annum volunt constituere, eum planè turbauerunt: quemadmodum & omnes Respublicas, & omnia regna mundi, atque imperia, quantum potuerunt labefactarunt & euerterunt. Olim enim Latinis & Romanis lunares erant, quemadmodum & Hebræis menses, sic etiam Atticis, veluti libro de mensibus scitè Theodorus Gaza exposuit. Itaque sic menses isti sunt ordine collocandi, qui quidem motui solis adæquantur, per intercalarem mensem, quo veteres Latini & Attici vtebantur, sicuti in anni ratione dicetur fusius.*

Aegyptiorum verò fuit alia ratio, quàm Hebraeorum, aut Atticorum, & Latinorum veterum, eaq; perturbatior, quòd iis inuenta sua magis placebant, quàm instituta populi Dei qui illis vicinus erat. Id verò ita habere planum fecerunt consecuta tempora. Annum enim Caniculae exortu incboant Aegyptij, vt ait Censorinus, Cap.17.
Sed horum (annorum) initia, semper à die primo mensis eius sumuntur, cui apud Aegyptios nomen est Toth, quique hoc anno fuit ante diem septimum Calend. Iulii, qui abhinc annos centum Vlpio & Brutio praesente, Romae Coss. iidem dies fuerunt ante diem 12. Cal. August. quo tempore solet Canicula in Aegypto facere exortum. Et *id quidem tempus est solstitij aestiui, sicuti docet* Plinius, Procyon, inquit, id est, Canicula oritur Aegypto quarto nonas Iunii. Lib.20.cap.18. *ac, vt idem monet Plinius, tum Nilus augeri incipit à solstitio, aut noua luna quae solstitio est proxima.* Lib.18.cap.18. *Malè autem & incompositè suis vtuntur mensibus Aegyptij, quos neq; lunares, neq; solares habent: siquidem menses omnes constituunt dierum triginta, inde ex duodecim tabulis mensibus fiũt dies 360, quibus adiiciunt quotannis quinque dies, quos adiiciunt vltimo mensi, qui eam ob rem fit trigintaquinque dierum: vt ea ratione totius anni reddantur dies 365, quos annua conuersione sol efficit. Sed dum negligunt quarti cuiusque anni diem intercalarem, quem modo bissextilem dicimus, fit vt singulis Olympiadibus, quae quatuor explent annos, dies primi mensis qui Toth iis dicitur, mutet suas sedes. Nam quia vnus anno intercalari*

accedit dies, à quo annus inchoandus est, is dies futurus est primus primi mensis qui est Toth: & qui antea primus erat dies, fiet secundus eius mensis, & sic deinceps tertius erit, is qui erat secundus, atque ita consequenter cæteri dies suo decedent loco. vt tandem tricesimus dies fiat is, qui erat vicesimus nonus: & qui erat tricesimus & vltimus eius mensis dies, fiet primus insequentis mensis, qui est Phaophi, atque ita deinceps cæterorum mensium dies mutare ordinem oportebit: vnde fit vt Aegyptiorum mensium dies, nullas statas sedes obtineant: quum post triginta Olympiadas totus mensis Toth transeat in sequentem mensem: reliquis mensibus eodem modo suo loco deductis. sic post longa tempora, idem mensis per omnes aliorum mensium sedes vagabitur. Qua ratione factum fuit vt Aegyptij magnum annum κυνικὸν instituerint, autore Censorino: qui annus Aegyptiis ciuilibus annis conficitur 1461. quibus exactis primus dies mensis Toth tandem ad exortum syderis Caniculæ redit. Sed Aegyptij tandem, quò tales tollerentur anni ambages, anni sui obseruationem ad Latinam retulerunt. Nam vt testis est Beda, venerabilis cognomine, libro de Natura rerum, vltimo anni mensi, præter eos quinque dies qui iam sunt dicti, vnum etiam adijciunt diem, anno quóque intercalari, vt eius anni sint dies 366, quemadmodum & anni Latini bissextilis. Quod quidem ab Aegyptiis fieri, libro de Mensibus monet Gaza. Obseruatio verò illa cœpisse videtur, quum Aegyptus in potestatem populi Romani venit, & in prouinciæ formam fuit redacta: quo tempore moribus & temporibus Romanis sese accommodans, anno vsa

Cap. 15. de Die natali.

Cap. 11.

est

est Romano. Quod vt credamus, facit Diodorus Siculus, qui libro secundo de anni Thebæi ratione agēs, eum definit diebus 365, & sex horis. Tum autem verisimile est primum Aegyptiorum mensem, scilicet Toth, incidisse in Septembrem Latinorum mensem: quam ob causam, certus illi & fixus aßignatus est ex eo tempore locus hic, atque ab eo cœptus est notari annus, præsertim quum posteriori tempore Christiana Ecclesia & Alexandrina, annum à Septembri inciperet, & Toth primus esset mensis anni Aegyptij apud Ecclesiasticos: qui Septembrem quoque, primum anni Christianorum mensem agnosceret, quòd illo natus esset Dominus, quemadmodum suo dicetur loco. Itaque in ea sede manet, æternumq; manebit mensis Toth: quum anno Aegyptio additus sit tandem intercalaris dies, de more Latinorum. quæ ratio nos mouit, vt Toth Septembri adiungeremus: sicuti eum etiam interpretatur Plutarchus, dicens, Tarrutium nobilem Mathematicum, autore & impulsore Varrone, quum Romuli genesim inspexisset, prodidisse Romulum, primo anno secundæ Olympiadis à matre fuisse conceptum, mense Chæach ab Aegyptiis nuncupato, quem nos Decembrem dicimus, tertio & vigesimo die, hora tertia, qua Sol defecit omnino: in lucē verò editū mense Toth, qui Septēber apud nos est, ad 12. Cal. sequentis mensis circa ortū Solis: vrbis verò Romanę fundamenta ab illo iacta esse quinto Idus Pharmuthi mensis, qui Aprilis vocatur à nostris, inter secundā & tertiam eius diei horā: In vita Romuli.

Partes autem menſium ac primùm dierum quibus quiſque conſtat numerum verſus hi vulgares docent:

Triginta Aprilis,Iuni,Septemq́; Nouemq́;:
Vno plus alii: viginti Februus octo.
At ſi biſſextus fuerit, ſuperadditur vnus.

Quibus verſibus id ſignificatur, Aprilem, Iuniū, Se*ptembrem & Nouembrem dies habere triginta: reliquos autem menſes diebus conſtitui triginta & vno, excepto* Februario, *qui dies habet viginti octo.* Anno *autem intercalari,quem dicunt* Biſſextilem,*dies habet 29.* Februarius. *Tum enim vnus additur eo loco, quo dicitur ſexto* Calendas Martias.*Et quia dicitur eo anno bis, ſexto* Calendas, *annus intercalaris, quem* Græci *vocant* ἐμβολιμαῖον *dictus eſt noſtris* Computiſtis, Biſſextilis. *quem ſtulti propter illud nomen* Biſſexti, *ominoſum & triſtem putant.*

Cur autem aliis menſibus partim triginta, partim triginta & vnus attribuantur dies, dicetur lib.4. cap.3. Menſium *autem iſtorum* Romanorum *ſiue* Latinorum *partes,ſunt* Calendæ,Nonæ,Idus.

Calendæ *vocantur primi ſingulorum menſium dies, addito menſis nomine, vt* Calendæ Martiæ, *dicitur primus dies* Martij, *atque ita in cæteris.* Poſt Calendas *ſequuntur* Nonæ, *& poſt* Nonas *ſequuntur* Idus. Poſt Idus *qui ſequuntur dies, nomen accipiunt à* Calendis *ſequentis menſis.Quot verò dies* Nonarum *&* Iduum *appellatione cenſentur, ſiue, quot* Nonas *&* Idus *quiſque menſis habeat, vulgares iſti demonſtrant verſus,*

Sex Maius Nonas, October, Iulius & Mars,
Quatuor & reliqui. dabit Idus quilibet octo.

Qua

Qua ratione numerentur isti dies, sic docet Macrobius, Latij veteres incolæ, *inquit*, quia iam tum nihil discere ab Aegypto licebat, ad quam nullus illis commeatus patebat, more Græciæ in numerandis mensium diebus sequuti sunt. vt retrouersum cedere numero, ab augmento in diminutionem computatio resoluta desineret. Ita enim nos decimum diem, deinde nonum, & postea octauum dicimus: vt Athenienses δεκάτην καὶ ἐννάτην φθίνοντος μηνὸς soliti sunt dicere. *Græcorum ergo rationem quia sequuti sunt Latini, diebus à maiore numero in minorem desinentibus, facilè nunc vtrorumq; componentur rationes, si mensium Græcorum partes explicatæ fuerint. Eas verò Iulius Pollux sic exponit:* Μέρη δὲ μηνὸς, ἱσταμένου, μεσοῦντος, καὶ λήγοντος, ὡς καὶ τὰς τρεῖς δεκάδας ἔστιν οὕτως διαιρεῖν, καὶ τὰ λοιπά. Partes verò mensis sunt, Inchoatus vel instans, medius, & præceps, vel desinens. qua ratione licet tres decadas diuidere, & cætera. *Tres autem decades cuiusque mensis constituunt Græci, quarum primam additis numeris dicunt* ἱσταμένου μηνός. *Secundam* μεσοῦντος μηνός. *Tertiam* φθίνοντος καὶ λήγοντος μηνός. *Primum autem cuiusq; mensis diem* νουμηνίαν, *vltimum autem* τριακάδα *vel* ἕνην καὶ νέαν *vocabant. Qua de re sic Varro:* Dies quoq; lunares obseruandi, qui quodammodo bipartiti. Quod à noua luna crescit ad plenam, & inde rursus ad nouam lunam decrescit, quoad veniat ad intermestrũ, è quo die dicitur luna esse extrema & prima, à quo

Lib. 1. ca. 16.

Lib. 1. cap. 9

Lib. 1. De re rustica, capite 37.

eum diem Athenis appellant ἕνην καὶ νέαν, τριακάδα alii. Pollux autem dies enumerat ordine naturali *vbique, quemadmodum & Græcorum autorum nonnulli. Accedunt enim quidam Macrobio. qua de re Plutarchus quoque in Solone agit: quæ Theodorus Gaza libro de Mensibus perspicuè interpretatur: docétque commodam esse eam rationem, qua sunt vsi Athenienses. qui mense trifariam diuiso, partem vnam* ἱστάμενον, *id est, instantem, siue ineuntem vocarunt: alteram autem* ἐπὶ δέκα, *id est, supra decem: vltimam* φθῖνον, *id est, præcipitem, vel desinentem.* Hoc modo, *vt neomenia, quæ nouilunium significat, mensis primus sit dies, deinde secundus instantis, tertius instantis, & ita deinceps, vsque ad decimum diem. post quem sequitur is qui dicitur primus supra, vel post decem, deinde secundus supra decem. & sic per ordinem vsque ad vicesimum, qui &* εἰκὰς *dicitur, quasi vicenionem dicamus. post quem decimus præcipitis, nonus, deinde octauus. pro mensis cuiusque dierum numero, seriem ipsam denarij numeri minuendo pro ratione Lunæ decrescentis, & suo lumine deficientis. quo modo Comicus Aristophanes numerat,*

Quintus, deinde quartus, hincq́ tertius.
Post quem secundus, & quem maximè
Metuo, sequens est continuò vetus & nouus.

Ex hac autem Græca ratione, qua tres cuiusque mensis decades constituũtur, videntur Latini mensium suorum dies distribuisse tripartitò, vt mensis vnusquisque Nonas, Idus & Calendas obtineret. sed alio instituto, diuerso & dißimili ab ipsis.

Iam

Iam quod ad Hebræos menses attinet, nulla est eorum partibus explicandis difficultas, quum in diebus recensendis, ordine procedant naturali. Dies autem à Luna nuncupant, vt eam Deus mensibus describendis & definiendis ordinauit: primam lunam, secundam, tertiam, & ita deinceps, vsque ad vigesimam nonam lunam, vel trigesimam, pro ratione, singulos dies nominantes, ad eum vsque numerum quem obtinent menses Caui & Pleni, vt vulgò eos nominant. Vocant autem Plenum mensem, eũ qui dies habet triginta: Cauum autem dicunt eum, qui diminutus est, & dies habet tantùm vigintinouem. Luna enim alternis explet suo cursu triginta dies, qui vni tribuuntur mensi, & viginti nouem, qui deinceps, consequenti aßignantur. Menses autem pleni & caui intelliguntur ex Censorino. Plenius mẽsis. Canus mẽsis. Cap. 17. Romani, *inquit*, in decem menses, dies 304. in hoc modo habebant: Martius 31. Aprilis 30. Maius 31. Iunius 30. Quintilis 31. Sextilis & September tricenos. October 31. Nouember & December 30. quorum quatuor maiores pleni, cæteri sex caui vocãtur. *Quomodò verò dies mensium Latinorum, Græcorum & Hebraicorum sibi respondeant, & sint disponendi, videamus in Septembri, qui nobis facilitatis Hebraicæ, sed Latinæ atq; Græcæ perplexitatis ambagibus inuolutæ testimonium suppeditabit amplißimum.*

Tisri.	September.	Μαιμακτηριών.
I. vel noua luna.	*Calendæ Septembris.*	Νουμηνία.

II. *luna.*	4. Non. Septemb.	δευτέρα ἱσταμένου.
III. *luna.*	3. Nonas.	τρίτη ἱσταμένου.
IIII. *luna.*	Prid. Nonas.	τετάρτη ἱσταμένου.
V. *luna.*	Nonæ Septemb.	πέμπτη ἱσταμένου.
VI. *luna.*	8. Idib. Septemb.	ἕκτη ἱσταμένου.
VII. *luna.*	7. Id.	ἑβδόμη ἱσταμένου.
VIII. *luna.*	6. Id.	ὀγδόη ἱσταμένου.
IX. *luna.*	5. Id.	ἐνάτη ἱσταμένου.
X. *luna.*	4. Id.	δεκάτη ἱσταμένου.
XI. *luna.*	3. Id.	πρώτη ἐπὶ δέκα.
XII. *luna.*	Pridie Id.	δευτέρα ἐπὶ δέκα.
XIII. *luna.*	Idus Septemb.	τρίτη ἐπὶ δέκα.
XIIII. *luna.*	18. Calend. Octob.	τετάρτη καὶ δέκα.
XV. *luna.*	17. Cal. Octob.	πέμπτη ἐπὶ δέκα.
XVI. *luna.*	16.	ἕκτη ἐπὶ δέκα.
XVII. *luna.*	15.	ἑβδόμη ἐπὶ δέκα.
XVIII. *luna.*	14.	ὀγδόη ἐπὶ δέκα.
XIX. *luna.*	13.	ἐνάτη καὶ δέκα.
XX. *luna.*	12.	εἰκὰς. ἢ ἑνδεκάτη φθίνοντος.
XXI. *luna.*	11.	δεκάτη φθίνοντος.
XXII. *luna.*	10.	ἐνάτη φθίνοντος.
XXIII. *luna.*	9.	ὀγδόη φθίνοντος.
XXIIII. *luna.*	8.	ἑβδόμη φθίνοντος.
XXV. *luna.*	7.	ἕκτη φθίνοντος.
XXVI. *luna.*	6.	πέμπτη φθίνοντος.
XXVII. *luna.*	5.	τετάρτη φθίνοντος.
XXVIII. *luna.*	4.	τρίτη φθίνοντος.
XXIX. *luna.*	3.	δευτέρα φθίνοντος.
XXX. *luna.*	Pridie Cal. Octob.	ἕνη καὶ νέα, ἢ τριακάς.

De

De anno & eius obseruata ratione prophanis gentibus, & populo Dei. Cap. VII.



Nnum, Hipparchus & Ptolomæus definierunt Solis reditu ad primum æquinoctij, aut solstitij punctum, à quo prius Sol ipse absceßerat. Eum annum dixerunt Latini vertentem, id est, expletum & conuersione solari confectum, sicuti explicat Macrobius inquiens: Solis annus eo dierum numero colligendus est, quem peragit, dum ad id signum se denuo vertit, ex quo digressus est: vnde annus vertens vocatur; & habetur magnus, quum Lunæ annus breuis putetur. Horum Virgilius vtrunq; complexus est. Annusquid sit.

Interea magnum Sol circunvoluitur annum. 1.Aen.3.

Ciceroni autem & alijs claris autoribus, magnus intelligitur annus, quum ad idem vnde semel profecta sunt astra cuncta redierint, eandemq; totius cœli descriptionem longis interuallis retulerint. In quo quàm multa secula teneantur, nesciunt nec poßunt vlli Astrologi verè explicare: quum ab orbe condito nullum talem qualem somniant, magnum annum compererint. Itaque Lunaribus, Solstitialibus & Magnis annis in præsentia omißis, hoc primum teneamus: Annorum sicut & mensium alios esse Ciuiles, alios Naturales. Ciuilem annum intelligimus, quem vnaquæque ciuitas vel respublica obseruat. Naturalem autem accipimus, quem Natura ipsa, Annus ciuilis. Annus naturalis.

hoc est, Deus qui creat & facit nasci omnia, iam inde à primo rerum ortu instituit.

Ciuiles omnibus gentibus fere sunt anni, quales sunt Græcis, *Aegyptijs &* Latinis. *Hebræis enim sunt* Dei *ordinatione anni constituti. Annos quum* Græcorum *tũ* Aegyptiorum *dißimiles fuisse docet* Herodotus. *Ait aũt* Aegyptios *annum diuisum in duodecim menses habere, eò melius quàm* Græci *habeant, qui tertio quoque anno intercalarem mensem adijciunt suis mensibus, quem ipsi* Aegyptij *ignorant. Tricenis enim diebus quibus duodecim suos menses taxant, adijciunt quotannis vltimo anni sui mensi, dies quinque: vnde illis ratio annui temporis eodem semper redeuntis modo constet. Quo loco videtur* Herodotus, *Græcorũ tricteridas intellexisse, quas obseruauit* Græcia, *quemadmodũ* Penteridas *&* Octoeteridas, *Astrologorum doctorum & excellentium ingenijs constitutas, ducente ad eorum temporum cõstitutionem illos* Dei Spiritu, *proposita, & ijs quodammodo patefacta, quam ordinauerat, astrorũ conuersione. Qua verò ratione sint ista tempora constituta, docet* Censorinus, *Nunc inquiens* de annis maioribus dicam, quorum magnitudo adeò diuersa, etiam gẽtibus obseruata, quàm autoribus tradita est: vt alij vnum magnum annum esse in annis vertentibus duobus, alij in multis millibus annorum arbitrati sint.

Lib. 2.

Cap. 15.

Quod quale sit conabor iam hinc absoluere. Veteres in Græcia ciuitates, quũ animaduerterent, dũ sol in annuo cursu orbem suũ circuit, lunam nouàm interdũ terdecies exoriri,

briri, idq; sæpe alternis fieri, arbitrati sunt lunares duodecim menses & dimidium, ad annũ naturalem conuenire. Itaq; annos ciuiles sic statuerunt, vt intercalando facerãt alternos duodecim mensium, alternos tredecim. Vtrumque annum separatum, vertentem, iunctos ambos annum magnum vocantes. Idque tempus trieterida appellabant, quod tertio quoque anno redibat. Penterida verò nominabant, quòd quinto quoque anno, qui annus magnus, ex quadriennio commodior visus est: quia solis annum constare diebus 365, & diei parte circiter quarta videbant, quæ primum quadriennium conficeret. Quare agon & in Elide Ioui Olympio, & Romæ Capitolino, quinto quoque anno redeunte celebrabatur: Hoc tempus quod ad solis modò cursum, nec ad lunæ congruére videbatur, duplicatum est, & Octoeteris facta quæ nunc Enneateris vocitatur, quoniam primus eius annus, nouo quoq; anno redibat: hunc circuitum verè magnum annũ esse, pleraque Græcia existimauit: quòd ex annis vertentib. solidis constaret, vt propriè in anno magno fieri par est. Nã dies sunt solidi vno minus centum, anniq; vertẽtes solidi octo. Octoeterida vulgò creditũ est ab Eudoxo Gnidio institutam: sed hãc Leostratũ Tenediũ primùm ferũt cõposuisse, & posteà alij aliter. *deinde post multa alia subijcit idẽ Cẽsorinus:*

Sed horum omnium penteridas maximè notandis temporibus Græci obſeruant, id eſt, quaternorum annorum circuitus, quos vocant Olympiadas. Et nunc apud eos ducenteſima quinquageſimaquarta Olympias numeratur, eiusque annus hic ſecundus. Idem tempus anni magni Romanis fuit, quod Luſtrum appellabant. Ita quidem à Seruio Tullio inſtitutum, vt quinto quoque anno, cenſu ciuium habito, luſtrum conderetur. Sed non ita à poſteris ſeruatum: nam quum inter primum à Seruio rege cōditum luſtrum, & id quod à Veſpaſiano Imperatore quinto, & Cæſare tertio, Coſſ. factum eſt, anni interfuerint paulò minus DCL. luſtra tamen per ea tempora, non plura quàm ſeptuagintaquinque ſunt facta, & poſteà planè fieri deſierunt.

Romani anno ciuili ſuo, vt cæteræ gentes ſunt vſi: ijs enim Romulus dicitur primùm, annum conſtituiſſe decem menſium, quo modo apud Albanos à quibus erat ortus obſeruabatur, nempe ex decem menſibus. Numa autem, vel, vt alij ſunt autores, Tarquinius annum in duodecim menſes poſtà diſtribuit, diebus aliter diſtributis quàm fuiſſent initiò. Lunaris enim curſus habita fuit ratio, & eorum dierum, quos ſol circuitu ſuo conficit. vnde menſis intercalaris additus fuit anno Romano, ex Græca ratione, vt hoc modo ciuilis annus adæquaretur naturali. Intercalandi autem negotium Pontificibus demandatum fuit, quòd feſtorum & profeſtorum, item faſtorum

storum & nefastorum dierum penes eos esset denunciatio & procuratio. Sed ij ex sua libidine, quum tempora vitiosè partirentur, vt publicanis interdum, interdum etiam alijs gratificarentur, fastos quos penes se habebãt publicare sunt coacti. Quos tandem Iulius Cæsar rerum potitus, & Pontifex maximus institutus, emendare studuit, adhibito, vt ait Plinius, Sosigene Mathematico: qui menses ea ratione constituit, quam Censorinus & Macrobius exposuerunt. Iulius ergo Cæsar, ad eam proximè rationem, quæ etiamnum in vsu est nobis hodie, annum Romanum digeßit, quarto suo Consulatu, anno Vrbis 708, ante Christum 45. Ex quo anni Ciuiles Romani dicti sunt anni Iuliani: in quibus quum admissum esset vitium, propter intercalandi negligentiam à Pontificibus admissam, idq; sub Octauiano Augusto Iulij successore esset animaduersum, Octauianus Augustus nonnihil innouauit, iußis aliquot annis sine intercalatione decurrere. Ex quo anni illi Augustani etiam sunt appellati. Eò tamen res tandem redijt, vt mensibus veteribus duodecim constitueretur annus, in quo dies essent, ea ratione quæ nunc seruatur, 365 cum quadrante diei. Is verò diei quadrans, quia circuitu quadriennij diem vnum reddit, iussus est post Terminalia mensi Februario, quarto quoq; anno addi: atque eo modo factum est, vt mensis intercalarius qui optimo instituto post Februarium addi solebat, fuerit sublatus. Anno vt tum quidem existimabatur, optimè in perpetuum constituto. Quod sic declarat Ouidius: Lib. 18. c. 15.

Sed tamen errabant etiam tunc tempora, donec Fast. 3.
Cæsaris in multis hæc quoq; cura fuit.

Ille moras Solis quibus in ſua ſigna rediret,
Traditur exactis diſpoſuiſſe notis.
Is decies ſenos, tercentum & quinq; diebus
Iunxit, & è pleno tempore quarta die.
Hic anni modus eſt, in luſtrum accedere debet,
Quæ conſumatur partibus vna dies.

Quàm bene autem id fuerit in omne æuum ordinatum, docent animaduerſi hoc tempore errores, quorum cauſa infiniti iam ſunt editi de Calendarij emendatione libri. Ex quibus id colligimus, perturbatam nobis eſſe anni rationem: quum neq; menſes habeamus ſolares, neq; lunares, nec Latinis temporibus conueniat cum Græcis & Hebræis, quæ paria & ſimilia olim habuerunt veteres Latini & Græci, congruentia cum Solis & Lunæ motu: quibus oportere tempora definiri fatentur omnes, præſertim quum id diuino conſtitutum ſit imperio. Iam verò quòd nos annis Iulianis vti dicimus, id quàm ſit falſum, ex eo poteſt intelligi, quòd Iulius Cæſar vltimum eum anni diem conſtituit, quo Sol tranſit in Capricornum: is verò dies, his temporibus, incidit in vndecimum Decembris diem, feſtinantem ad decimum. Ita non idem nobis eſſe anni principium, quod Iulio Cæſari faſtis publicatis conſtitutum fuit, apparet. Neque verò ſolſtitia aut æquinoctia ijs locis, quibus à Cæſare fuerant annotata, poſſumus hodie ſtatuere, quum longè differentes ſedes ſint ſortita à Iuliana ratione. Quod non aliam ob rem accidit, quàm quòd malè conſtituta fuit, vt credebatur, in perpetuum à Iulio Cæſare anni quantitas.

Atque id quidem Mahumedes Aratenſis Arabs, Mathe-

thematicus perquam doctus, quem vulgò nominarit Albategnium, anno Domini 884 exposuit apertè, eo libro quem De stellarum motu edidit. In quo declarat annum solarem constare diebus 365, & horis sex, non tamen plenis, sed quibus vna centesima & sexta pars desit. Ex quo accidit, vt centesimo quoq; & sexto anno, dies vnus supersit annis Iulianis, quibus hactenus vsi sumus in Europa. Inde quia motuum cœlestium non est ea conuersio quæ fuit olim credita, factum fuit vt æquinoctia & solstitia, alias obtineant hoc tempore sedes, quàm sub Iulio Cæsare habuerint. Annis enim quadragintaquinque ante Christi Domini natalem, fastos à se emendatos publicauit Iulius Cæsar: quibus fastis, siue, vt verbis vulgò notis vtar, quo suo Calendario, æquinoctium vernum ad vigesimumquintum Martij diem apposuit. Ab eo tempore ad annum Domini qui dictus fuit 1545, anni effluxerunt 1590. Anno autem Domini 1545, æquinoctium vernum fuit die Martij decima, quod annotatum fuerat in Calēdario Cæsaris vigesimaquinta Martij. Ita diebus quindecim ab illa prima Iulij Cæsaris fastorum ordinatione ad hæc tempora, anticipauit æquinoctium vernum, vt Astrologorum vtar vocabulo. A decimo autem Martij die fertur iam in nonum, ipsum æquinoctium vernum. Quæ quum ita habeant, singulis centum & sex annis Iulianis, detrahendus aut eximendus fuisset vnus dies, vt in vetere & primùm fastis illis constituta sede æquinoctijs liceret cōsistere. Et annis 1590, qui publicatis à Cæsare fastis effluxerūt, ad annum Domini 1545 eximendi essent dies quindecim, si æquinoctiū vernum in veteri sede collocare vellemus. Quemadmodum

id explicat Iohannes *Lucidus in Epitome emendationis*
Cap.1. *Calendarij* Romani, Egregius aũt *inquiens* Astronomus nomine Mahumetus Arabs, qui & cognominatur Albategni, in libro De numero stellarũ & de locis motuũ earum, ex multorum annorum experientia certissima, capite 27. 52. & 53. post Ptolomæum annis 743. vt ibidem ipse testatur, dixit annum solarem continere dies 365. horas 5. minuta 46. & duas quintas vnius minuti, id est, secunda vigesimaquarta. Et est differentia minus à sex horis, in centesima sexta parte diei, videlicet in tredecim minutis, & trib. quintis vnius minuti, id est, secundis 36. ita vt vnus dies constituatur in centum sex annis. Quapropter ex hoc, æquinoctium anticipat per vnum diem omni anno centesimo sexto. Hæc autem anni quantitas, cœlesti quãtitati solaris motus, maximè conuenit. Nam sic æquinoctium diebus quindecim anticipat in annis 1590. Quod videmus impleri ad vnguem, hoc anno Domini 1545. Si enim prædictis annis Domini, addantur anni quadragintaquinque ante Christum, quando Iulius Cæsar Calendarium suum instituit, consurgent anni 1590. in quibus includuntur prædicti quindecim dies anticipationis, cuilibet diei attribuendo annos 106. Nam quindecies centum anni, fiunt anni 150. & sexies quindecim anni, fiunt anni 90. In annis ergo 1590.

tem-

tempore nostro, anno isto, videmus æquino ctium anticipatum esse ad vnguem diebus 15. Hac ergo experientia longi temporis patet computationem Albategni de quantitate anni solaris, ex diligentissima eius obseruatione, solam rei veritatem continere, & ideò ipsam ab omnibus tenendam esse cense mus, reiectis aliorum computationibus, tan quam à veritate deficientibus. Albategni ergo Arabiæ decus, qui & lingua scripsit Arabica, in hac re solus palmam & victoriã obtinet, sicut apertissimè demonstratum est. Hoc igitur anno Domini 1545. maximè conuenit vt emendetur Calendarium Romanũ in hoc generali Concilio, postquam reformata fuerit Ecclesia, in eis quæ pertinent ad fidem, atque ad bonos mores, quæ magis ne cessaria sunt. Hæc enim oportet facere, & illa non omittere, sicut Dominus nos in Euãgelio admonet. *Non tamẽ est multum immorandũ ad corrigendum Calendarium antequam æquinoctium vernum ascendat ad diem nonum Martij, cui iam appropinquat.*

Hebræis autem annus geminus est: Ciuilis, quem Ecclesiasticum commodius dicemus: & Naturalis. Ciuili quidem siue Ecclesiastico vtuntur in procurandis sacris, & ministerio tabernaculi obeundo. Naturali autem in locando, conducendo, vendendo, emendo, & cæteris politicis & quotidianis negotijs, itemq; in subducenda & notanda temporum ratione. Vtriusque autem Annus Hebræorum.

anni Deus ipsis Hebræis autor fuit, qui naturales annos iam inde à mundo condito instituit. Ciuiles autem siue Ecclesiasticos in Israelitica Repub. obseruari voluit, asserto è seruitute Aegyptiaca in libertatem suo populo. Tum enim suis legibus Israeliticum populum vti voluit, quibus à cæterarum gentium ritibus & communione arceretur, atque id ab omnibus gentibus in eorum instituta dirigentibus oculos intelligeretur, quæ colendi Dei vera esset ratio. Item definiendorum temporum & constituendarum rerum publicarum quæ vera esset formula. Præterea autem, quod fuit præcipuum, ex qua gente expectandus esset Seruator. Ita verò rem habere ex Sacris scripturis, si modò animum aduerterimus, intelligemus.

Principio enim Deus Optimus Maximus, creatis cœlis, deinde affixis ijs sideribus, quorsum illa condidisset ex suo verbo demonstrauit, quum Solem interdiu lucem præbere mortalibus, Lunam autem cum reliquis stellis, noctu idē præstare iussit. Adhæc, ista voluit esse in signa & tēpora, dies & annos, vt Genesis primo perspicuè docetur. Et signa quidē quæ Scriptura dicit Othoth, intelliguntur prognostica tempestatum, quæ nautis, agricolis et medicis obseruātur. Nam Vergiliarum, item Arcturi, & Orionis, Caniculæ, ac similium ortus & occasus insignes temporum conuersiones notant. Ex quo nō frustra talia animaduerterunt certæ artes. Quæ tempestatum significationibus, sua maturant vel differūt negotia, aut ea curant in tempore. Et ea quidem nota & obseruata fuisse populo Dei, testatur locus ille qui est apud Iobū.
p.38.v.31 Nūnquid cohibebis delicias Vergiliarum, aut

aut constrictiones Orionis aperies? Nūquid educes signa cœlestia tempore suo, & Arcturum cū filijs suis deduces? Sic Amos. Qui facit Pleiadas, Arcturū, & Orionem, & couertit in lucem matutinam, vmbras dēsas & diem in noctem tenebrescere facit, qui euocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus est nomen illi. *Tempora autem ea vult intelligi Scriptura quæ vulgò nota sunt, quib. in suas partes annus distribuitur, quæ sunt Ver, Aestas, Autumnus, Hyems. Item & festa solennia, Dei ipsius imperio cōstituta, quæ idem nomen cū quatuor illis temporib. obtinēt. Dicūtur enim Moadim, stata tēpora et sacra festa solēnnia, quæ temporū etiam vices notant. Veluti festum Paschæ, maturescētium frugum, aut potius meßis ipsius initium demonstrat. Pentecoste autem meßis confectæ ferias habet, & Tabernaculorum festum, vindemiam peractam, & fructus in granaria atque horrea conuectos, atq; etiam agricolarum pia & sancta otia designat. Iam dies & annos proponit nobis verbum Dei, quos Solis & Lunæ motu confici intelligimus, quòd Solis supra horizontem accessu, & eiusdem ab horizonte discessu definiatur dies ciuilis, item eiusdem reditu ad eum locum vnde moueri cœperat, annum constitui scimus. Cui rei Lunam inseruire constat, cùm eius motu menstrua præcipuè spatia constituantur, à qua & dies nomen habent in sacris Dei oraculis. Nam prima luna, secunda luna, & sic deinceps singulorum mensium dies in Scriptura sacra nominantur, vt eius motu constituēdos dies & definiendos esse menses intelligamus. quorū primos*

Cap. 5. v. 8.

mos dies sacros & festos esse voluit Deus, in ea quam Israelitis constituit Republica, ne quid in ea ratione quisquam innouare auderet. Itaque *sic præcipitur de ea re* Nume.28,11.In Calendis autem, id est, Mensium exordijs, offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos septem immaculatos. *Sic Luna, dies & menstrua spatia definit ordinatione diuina, &* Sol *anni spatij metas ostendit; quod etiam intelligimus fieri comparato & adæquato vtriusque sideris motu, per menses intercalares, hominum doctorum ingenijs ad hæc excitatis* Dei Spiritu, *per quem nobis, & rerum quas voluit patefacta & communicata est intelligentia.*

Mũdusquo anni tẽpore sit creatus.

Solis ergo & Lunæ, *reliquorumq; siderum tale munus esse voluit* Deus, *iam inde ab orbis conditi primordio. Quando autem id munus sit ijs impositum si cognouerimus, vnde anni naturalis petendum sit initium, & vbi notandum annorum omnium & temporum sit principium, perspicuum fiet.* Id *verò in* Autumnale *conferendum esse æquinoctium, sacra* Dei *nos docent oracula. Quæ, vt par fuit, sequuti* Iudæi, *mensem* Tisri *quem* Latinè Septembrem *veterem dicimus, vocãt* Ros hassana, *id est,* Caput *seu initium anni, quemadmodum* Propheta Ezechiel *vsurpauit.* In vicesimoquinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis. *Quod quidem prima* Dei *constitutio in ordinandis temporibus, & alia certa Scripturæ testimonia confirmant.* Fuisse *enim mundum* Autumno *conditum, ex ipsa rerum hexamero conditarum*

Ca.40.v.1.

crea-

creatione constat, quæ etsi diluuio videtur fuisse sublata, confusis tum propter hominum impietatem & elementis & temporibus, suæ tamen priori reddita est ordinationi, per Dei verbum, vt est Genes, cap. 8. vers. 22. Cũctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, ęstas & hyems, nox & dies non desinet. *Mundi autem conditi initio, id est, tertio die, arbores pomis grauidas & onustas, creatas fuisse, atq; eas cum cæteris frugibus, hominum victui fuisse attributas, docetur in Genesi. Poma autem dare Autumnum, & Aestatem proferre messes nostra docent tempora, neq; alio anni tempore poma suppeditari, & pendere ex arboribus certum est, quibus illecta & inescata Eua à serpente maledicto, virum in sceleris societatem & inobedientiæ sollicitauit: ita Autumno Adamus à Deo defecit, sub initium mundi conditi & effecti, quo tempore arbores pomis grauidæ & onustæ sese carpendas illi offerebant. Iam verò mensem septimum cadere in anni Hebraici tempus extremum, quo nouus annus incipit, licet intelligere ex cap. 34. Exodi, quo de festis solennibus celebrandis præcipitur,* Solennitatem hebdomadarum facies tibi, in primitijs frugũ messis tuæ triticeæ, & solennitatem quando redeunte anni tempore cuncta conduntur: *vbi verba Hebræa partim verbis singulis reddidit, partim explicauit paraphrasi Latinus interpres: quasi dicat,* Et *festum Hebdomadarum siue Pentecostes celebrabis tibi, quum demeßis frugibus panes è primitiis meßis triticeæ offerẽtur Domino: itẽ celebrabis festum collectionis frugũ, reuolutionem anni. hoc est, Celebrabis quoq; festum*

Cap. 1. v. 11. & 19.

Ta-

Tabernaculorum, quod conuectis frugibus & collecta vindemia celebrandum est, anni ipsius exitu & principio, Septembri scilicet mense, quo annus prior desinit, & sequens incipit. Quod idem Exodi cap. 23. vers. 16. ita præcipitur, Et custodies solennitatem messis primitiuorum operis tui, quęcunq; seminaueris in agro, solénitatem quoq; in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro, *quasi dicat. Celebrabis quoq; festum Pentecostes messe cōfecta, oblatis primitijs frugum, quas diuino beneficio, terra culta abs te profundet tibi. Festum quoq; obseruabis Tabernaculorū, post collectas fruges, sub anni finē, collectis laborib. tuis, ex agris. Quæ* Cap. 23. v. 39 *quidē loca ita esse accipiēda ex Leuitico apparet:* Quin etiam decimoquinto die mensis septimi vbi collegeritis fructus terræ, celebrabitis festū Domino septē dieb. *Quæ sequūtur deinde, docent qua ratione cætera sint ipso Tabernaculorū festo obeūda & celebranda. Neq; verò prætereundus est Deuteronomij locus, qui ad hāc rē facit,* Cap. 16. v. 13 Solennitatē quoq; Tabernaculorū celebrabis, per septem dies, quādo collegeris de arca & torculari fruges tuas, id est, frumentū tuū & vinū tuum. *Vnde apparet Tabernaculorum festū celebrari solitū peracta messe & vindemia. quo tēpore annus cōcludebatur, præsertim quum in exitu anni & eius reuolutione celebrari iubeatur in Exodo: in Leuitico aūt & Deuteronomio imperetur, collectis fructib. & peracta vindemia, idem festū seruari. Iā verò Iubilæos annos, qui fuerūt maximè insignes nouarū tabularū institutione, & prædiorū suis dominis, & libertatis restitutione seruis ipsis, à septimo*

mẽse numerari, & initiũ ſumere cõſtat. In Leuitico enim Cap.25.v.9.
iubetur indici Iubilæus annus tubæ clãgore, menſe ſepti
mo, decima die menſis, ipſo propitiationis feſto die. Ex
quo apparet anni principiũ repetendũ eſſe ab eo menſe
qui eſt ſeptimus à Niſan, hoc eſt, menſe ſpicarũ ad ma-
turitatẽ feſtinantiũ, vt loquitur Scriptura. Quẽ quidem
ſeptimũ menſem, fuiſſe olim primũ anni menſem, ante ſci
licet conſtitutã populo Iſraelitico Rempublicã, nõ igno
rauit Chaldæus paraphraſtes qui 3. Regũ 8. verſum hũc
ſecundũ, Cõuenitq; ad regẽ Salomonẽ vniuer
ſus Iſrael, in menſe Ethanim, in ſolenni die,
ipſe eſt mẽſis ſeptimus, *in hũc ſenſum reddidit:* Et
collecti ſunt ad regẽ Salomonẽ omnes viri
Iſrael in menſe fortiũ, feſto die, quẽ vocabãt
olim primũ menſem, at nũc eſt mẽſis ſepti-
mus: *hæc eſt nõ obſcura Chaldæi paraphraſtæ ſentẽtia.*
Cui ſi quis Ioſephi rerũ Iudaicarũ ſcriptoris, ſententiam
velit adiungere, eamq; eſſe aliquid putabit, idẽ animad-
uertet ab eo pronunciatum fuiſſe. Antiquitatum enim,
li. primi, c. 8. ait diluuium cœpiſſe anni menſe ſecundo,
qui Macedonibus vocatur Δῖος. *Hebræis autẽ Marheſ-*
uan. qui quidem menſes reſpondent Octobri, vt ex ſupe-
riore menſium tabula liquere potuit. Admonet etiam i-
dem autor, Moſem poſteà primũ anni menſem deſignaſ-
ſe Niſan, qui eſt Græcis ξανθικὸς, *qui Martio reſpondet.*

Septimus ergo menſis à Martio, qui poſterioribus
temporibus vocatus eſt Tiſri, annum inchoauit natura-
lem, & eum quem ſtatim à mundo condito iuſsit Deus
decurrere. quem propterea iure dicemus eſſe primũ an-
ni naturalis menſem, præſertim quũ ab eo anni Iubilæi
& anni ſeptimi, qui remiſsionis appellãtur, initiũ ducãt

& sumant suà principia. Item post collectos fructus & peractam vindemiam, quod Septembri mense accidit, annus nouus incipit, quum annum Scriptura cōcludat vindemiæ & fructuum omnium collectione.

Quòd autem attinet ad annum Ciuilem siue Ecclesiasticum à Deo institutum in Israelitica republica, fatendū est eum à Mense Nisan, qui Martio respondet incipere, quemadmodum Exod. cap. 12. vers. 2. præcipitur in hæc verba: Mensis iste vobis erit principium mensiū, primus erit in mensibus anni. *Et ca. 13. v. 4.* Hodie egredimini mense nouarum frugum Exod. 34. Septem dieb. vesceris azymis, sicut præcepi tibi, in tēpore messis nouorū. Mēse enim verni tēporis egressus es ex Aegypto. *Qua de re in mēsium ratione actum est pluribus. Nisan autem mensem voluit Deus primū esse inter cæteros dignitate, propter eximium illud liberationis Aegyptiacæ beneficiū, à quo mense festa numerantur omnia, quæ veræ quietis fuerunt symbola. Festum enim Paschæ huius mēsis decimaquarta die celebrabatur: ab eius postero seu insequenti die, numerabantur septem hebdomades, post quas Pentecostes festum celebrandum erat, initio mensis Sivan, qui Maius dicitur Latinis. Item mensis ab eo septimus, festus erat, quo horreis & cellis vinariis iam plenis, feriari & epulari coram domino liceret agricolis.*

Hæc igitur gemina anni in populo Dei obseruatio, sacris demonstrata oraculis, vnde temporum exordia sumenda sint, monet, atq; aperit. Quæ ab æquinoctiis incipere colligimus, vt ab æquinoctio Autūnali annū naturalem iure incipere affirmemus. Ciuilē autē populi Dei

annum dicamus, ab æquinoctio verno ducere exordiũ, aut certè ab ea Luna noua, quæ proxima est verno æquinoctio: quòd motu Lunæ menses Scripturæ sacræ definiuntur. Etsi autem æquinoctiorum aut solstitiorum Scriptura non meminit, quia se ad popularem captum accommodat, temporum tamen & ipsa meßis in Aegypto & Iudæa ratio, æquinoctiorum nos admonet, quæ annotarunt Astrologi, & contulerunt in ea tempora. Quod ex Plinio constat: *qui de ratione arandi in Aegypto agens, ait:* Inarari certum est Nouembri mense incipiente: postea pauci runcãt, quod botanismum vocant. Reliqua pars non nisi cum falce arua visit, paulò ante Calend. Aprilis. Peragitur autem mesis mense Maio, stipula nunquam cubitali, quippe sabulum subest, granumque limo tantùm cõtinetur. *Hinc apparet meßem in Aegypto & illi vicina Palestina inchoari ante Calendas Apriles, quod tempus est æquinoctij verni. Siquidem veteres in fastis suis æquinoctium vernum statuerunt octauo Calendas Apriles, vt pòst ex Columella discemus. Meßis autem hordeaceæ tempore egressos Aegypto Israelitas, festum Azymorum seu Paschæ arguit. Est autem prior meßis hordeacea, quam triticea pòst consequitur, quæ, vt inquit Plinius, peragitur mense Maio, id est, festo Pentecostes. Nam decimoquinto die primi mensis, qui primus est Azimorum dies, offertur manipulus nouarum frugum: à quo die numerantur septem hebdomades ad vsque festum hebdomadum, siue, vt Græci dicunt, Pentecostes: quòd quinquagesimo post Pascha die celebre-*


Lib. 18. cap. 18.

tur. Ipso autem festo Pentecostes offerendi erant à singu-
Cap.16. versu 9. *lis panes è nouis frugibus, vt extat Leuitici cap. 23. vers.* *17. In Deuteronomio autem tempus vtrunq; notatur:* Septem hebdomadas numerabis tibi, ab ea die qua falcem in segetem miseris, & celebrabis diem festum Hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui. *Dies quidem quo falx primùm in segetem mittitur, est decimaquinta Martij, qua primùm legitur manipulus nouarum frugum, qui Domino offeratur, & ita sanctificetur futura messis, quæ intra id tempus absoluitur, quo celebratur festum Hebdomadum siue Pentecostes.* πεντηκοστὴ *autē, id est, quinquagesimus à festo Paschæ dies, ad mensem Maium pertinet, cuius sexto die celebratur Pentecoste, messe peracta. Sic ergo temporum ratio nos ad æquinoctium vernum deduxit: & menses quidem Latinos veteres, Hebræis respondentes, ad eam rem nobis esse vsui videmus. Vnde & motuū cœlestium periti, Pascha sub æquinoctium vernum, ab Hebræis celebrari solitū prædicāt. Itaq; primū etiam anni Hebraici ciuilis mensem, iure ad nouā proximè vernum æquinoctiū lunā retulerunt. Ex quo & illa apud veteres nostrates Episcopos fluxit regula, Non esse Christianis celebrādū Pascha, ante vernalis æquinoctij transcēsum.*

De nat. rer. cap. 61. *De æquinoctio autem ita sentit venerabilis Beda:* Quòd si quis obiiceret, non æquinoctii memoriam, sed tantùm primi mensis, & tertiæ in eo septimanæ posuisse Legiferum. Sciat etsi æquinoctium nominatim nó exprimit,

in hoc tamen ipso quod à plenilunio primi mensis Pascha faciendum præcipit, æquinoctium plenaria ratione depromi. quoniam absque vlla dubietate constat, eam quæ primà transito æquinoctio plenum suum globum ostenderit, primi mensis existere Lunam. *Aequinoctiis ergo definit annos cùm Naturales, cùm Ciuiles Hebraicos Scriptura sacra: contrà autem Latini & Athenienses atq; Aegyptij. Nam Latini annum, quo etiam nunc vtimur, solstitio hyberno definiũt, vt iam fuit dictum, atq; iterum dicetur: Athenienses autem solstitio æstiuo, quo celebrãtur Olympici ludi. quod etiam initium anni sui sumunt Aegyptij, vt etiam dicetur infrà, lib. 2. cap. de Olympiadibus. quas nostri Chronographi existimant celebrari solitas Autumni tempore, sed manifesto errore.*

Qua ratione duodecim lunares anni menses dicantur esse, cùm anno solari vtatur Scriptura sacra, & mensibus lunaribus. Item de veterum intercalandi ratione. Cap. VIII.



IRVM *autem videri potest, quî fiat, vt quum anno solari vtatur Scriptura sacra, & mensibus lunaribus, memorentur tamen in Sacris scriptis duodecim tantùm anni menses: quum Luna alter*

nis mensibus triginta numeros impleat, alternis detrabat singulos: sic vt binis mensibus numerentur tantùm quinquaginta nouem dies. Eóq; *fiat, vt duodecim menstrua* Lunæ *spatia, cursum* Solis *explere nequeāt: quemadmodum id quoq; prius in mensibus attigimus. Annus enim lunaris, hoc est, duodecim lunares menses, dies reddunt* 354. *quo modo* Arabes *hoc quoque tempore annum suum ordinant: at solaris annus diebus constat* 365, *et horis propè sex, quemadmodum prius ex* Albategnio *declaratum fuit: quo fit vt dies vndecim cum quadrante propè diei addendi sint anno lunari, vt exæquetur anno solari. vnde annum quandoque plurium mensium quàm duodecim fuisse, licet colligere.* Ex *multis nihilominus* Scripturæ *sacræ locis apparet in anno* Israelitico *siue* Hebraico, *menses fuisse tantùm* 12. *Sed ex duobus id maximè liquere potest, quorum vnus habetur* 3.Reg. 4.7. *vbi hæc dicuntur:* Habebat autem Salomon duodecim Præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonā Regi & domui eius. Per *singulos enim menses in anno singuli necessaria ministrabant.* Deinceps *nominatim recensentur* Præfecti *illi duodecim, cum suis præfecturis.* Alter *locus est* 1.Paralip.27. *vbi copiarum* Dauidis Duces *&* Præfecti *numerantur duodecim, quorum singuli per singulos anni menses regi præstò aderant cum suis copijs singulis annis vertentibus.* Ducum *autem singuli præerant vigintiquatuor millibus militum, qui singulis anni mensibus per vices alij alijs succedebant.* Mensium *etiam duodecim, mentio fit in* Daniele *in hæc verba:* Post finem mensiū duodecim in aula Babylonis deambulabat

Cap.4.26.

bulabat. *Item in Ester*, Mense, *inquit*, primo cuius vocabulum est Nisan, anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in vrnā, quę (Persicè) dicitur Phur, coram Aman, quo die & quo mense gens Iudæorum deberet interfici. & exiuit mensis duodecimus, qui vocatur Adar. *Ex quo sub anni finem ante mensem Nisan intercalares dies adiectos fuisse vltimo mensi in anno Hebraico possumus colligere. Primus enim anni Ciuilis siue Ecclesiastici mensis, qui est Nisan, statam semper & certam sedem habuit, propter festum Paschæ & maturescentes eo mense nouas fruges. Deinde cæteri ab eo menses eandem rationem tenuerunt, noua Luna semper mensem quemque inchoante. Anni autem Naturalis initium semper fuit in zisri, vel septimo mense à Nisan, vt certa esset ratio anni Iubilæi, & anni septimi, qui dicitur remißionis. Itaq; posset existimare quispiā Hebræos intercalandi ea ratione vsos quam obseruant Aegyptij, vt quotannis eos dies qui de cursu solis superessent, ad æquandum illi Lunæ motum, vltimo mensi adiicerent, quo Nisan semper esset primus mensis, & Adar duodecimus. Quam rationem obseruasse Aegyptios Herodotus est testis, vt antea monuimus. Ab Hebræis autem temporum rationem mutuasse & sumpsisse Aegyptios certum est, à quibus postea & temporum & motuum cœlestium rationem ad Græcos manasse ex historijs intelligimus. Græci nihilominus, quia menses lunares obseruabant, quos negligebant Aegyptij, quibus omnes menses erant triginta dierum, intercalario mensē sunt vsi, vt ex Trieteribus intelligi potuit, quos hodie sequuntur æta-*

Cap. 3. 7.

tis huius Hebræi, qua ratione vetus illa Ecclesia Israelitica videtur etiam vsa. Docet enim in Hebraico Calendario Munsterus, Februarium alterum, subiici Februario vltimo anni mensi ab Hebræis, quum intercalant: eumq; mensem ab iis nominari Veädar. quasi dicas, & Februarium, siue alterum Februarium. vt secundi aut tertij cuiusq; anni menses sint tredecim, sicut olim apud Græcos *&* Latinos *fuisse apparet. qui extremo suo anno intercalaribus mensibus vtuntur de more gentis Hebraicæ, à qua bona sua omnia cæteræ gentes deriuata habuerunt. Quòd si quis veterũ intercalandi rationem scire expetit, ex ipsis scriptoribus prophanis haurire poterit, è quibus id scire licet, mensibus lunaribus duodecim dies effici tantùm 354.: qui numerus quia cursui Solis nõ satisfacit, vsu nonnunquam euenit, vt frigus anni, æstiuis mensibus, & cõtra calor hyemalibus proueniret: quod vbi contigisset, tantum dierum assumebatur, sine vllius mensis nomine, quantum ad id anni tempus satis esset, quo cœli habitus instanti mensi aptus inueniretur, vt ait* Macrobius *1.Saturnal.cap.12. Sed ars postea adhibita fuit, qua dies, qui deerant motui Solis, intercalarentur. Ad hanc rationem sua tempora Græci constituerũt, qua quomodo sint vsi suo seculo declarat* Tullius: *Est, inquit,* consuetudo Siculorum cæterorumq; Græcorum, quòd suos dies mensesque congruere volunt cum Solis Lunæq; ratione, vt nonnunquam, si quid discrepet, eximant vnum aliquem diem, aut summum biduum ex mense, quos illi ἐξαιρεσίμους dies nominant. Item nonnunquam vno die longiorem mensem

Intercalãdi ratio apud veteres.

4. in Verrẽ.

ſem faciunt, aut biduo. Quæ iſte Verres cùm cognouiſſet nouus Aſtrologus, qui non tam cœli rationem duceret, quàm cęlati argenti, eximi iubet non diem ex menſe, ſed ex anno vnum, dimidiatumque menſem. hoc modo, vt quo die, verbi cauſa, eſſe oporteret Idus Martias, eo die Calendas Martias præſcriberet. Itaque fit, omnibus recuſantibus & implorantibus. Dies is erat legitimus comitiis habendis, eo modo ſacerdos Climachias renunciatus eſt. Herodotus quum Roma reuertitur, dies, vt ipſe putabat, quindecim ante comitia, offendit eum menſem comitialē, comitiis iam adhuc triginta diebus habitis. Tunc Cephaleditani decreuerunt intercalarium, quadragintaquinque dies longum, vt reliqui menſes in ſuam rationem reuerterentur. *Hæc inquit Cicero, ex quo vetus Græca ratio reuocandorum temporum ad curſum Solis & Lunæ intelligitur. Quam nobis imitari liceret, niſi perturbatis mallemus vti temporibus & inſtitutis, quàm compoſitis, et recta ratione conſtitutis. Quo modo autem cæteri Græci annis ſuis ſint vſi, & qua ratione intercalares menſes addiderint ſuis temporibus annuis, ita docet Macrobius:* Græci quum animaduerterent temerè ſe 354 diebus ordinaſſe annum, quoniā apparet de Solis curſu, qui 365 diebus & quadrāte zodiacū conficit, deeſſe anno ſuo dies vndecim & quadrantē, intercalares ſtatuta ratione commenti ſunt, ita vt Satur. lib. 1. cap. 13.

octauo quoque anno 90, dies, ex quibus tres menſes tricenûm dierum compoſuerũt, intercalarent. Id Græci fecerunt, quia operoſum erat & difficile omnibus annis vndecim dies & quadrantem intercalare. Itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies qui naſcuntur, ſi quadrans cum diebus vndecim octies componeretur, inſerere, in tres menſes, vt diximus, diſtribuendos. Hos dies ὑπερβαίνοντας, menſes verò ἐμβολισμοὺς appellabant. Ex *Epiphanio autem vetus illa intercalandi ratio per Octoeridas, facilius de-*
Lib.1. tom. 3. *prehendetur, quæ obſcurius paulò deſcribitur à* Macrobio. Quum, *inquit*, annus iuxta ſolarem curſum compleatur 365 diebus & horis tribus, contigit propterea quòd Luna facit annum 354 diebus, vt deficiant curſui ſecundum Lunam, dies vndecim, & horæ tres. Et primo quidem anno, fiunt dies epactæ appellatæ, hoc eſt, dies adiectitij vndecim, & horę tres. Secundo anno, dies 22, horæ ſex. Tertio anno, dies 33, horæ 9. Et ſecatur vnus menſis intercalaris appellatus. intercalantur enim 30 dies. Relinquuntur autem dies 3, horæ 9: quæ appoſitæ vndecim diebus & tribus horis de quarto anno, fiunt dies 14, & horæ 12. Quinto autem anno aliis appoſitis vndecim diebus & tribus horis fiunt epactę 25, & horæ 15. Et ſexto anno appoſitis aliis vndecim diebus & horis tribus, fiunt dies 36, & horæ

horæ 18, quæ faciunt menſem intercalarem vnum. & intercalati ſunt per annos ſex, menſes duo: primis tribus annis menſis vnus, & aliis tribus annis, menſis alter: & reſtant de epactis, dies ſex, horæ octodecim. Appoſitis autem his, ad ſeptimũ annum, ad vndecim de eodem anno dies & horas tres, fiunt epactæ 17, horæ 21. Octauo verò anno rurſus appoſitis aliis vndecim diebus, ac horis tribus, fiunt dies 28 epactæ, & horæ 24. quæ faciũt dies duos, & his horis appoſitis ad 28 dies, fiunt ſimul dies 30. Et cõtingit in octauo anno intercalari dies 30. vnũ menſem in duos annos. Atq; ſic per octoennij circuitum intercalantur dies 90, qui ſunt pleniſsimi menſes intercalares tres. Et fit in tribus primis annis menſis vnus, & tribus ſequentibus menſis alter, & in duobus poſterioribus annis menſis vnus. *hæc* Epiphanius. *In cuius dictis eſt illud annotandum, tres horas ſumi pro quarta diei parte. nam 24 horis duos complectitur dies, ſic vt 12 horis diem ciuilem definiat, quod ex ſignorum zodiaci ſupra horizontem emerſu intelligitur: quorum vnicuiq; duæ vulgò tribuuntur horæ, vt anteà fuit in horarum tractatione declaratum. & Euangeliſtæ Marci locus explicatus de tertia hora qua crucifixus eſt Dominus. In hac autem ratione ſi vna tantùm hora aſcenſioni ſigni tribuatur, certè ſex tantùm erunt diei horæ, & totidem noctis, quum ſex ſigna interdiu horizontem conſcendant, & ſex alia noctu quoq; ſupra horizontem emergant.*

De epactis autem & intercalatis mensibus, si quis plura scire expetat, legat Stœfflerum in Calendario magno Romano, propositione 34. Beda verò de intercalandi ratione Græca & Hebraica diuersa nonnihil ab Epiphanio tradit: Et Græcos, *inquit*, veteres legimus 354. diebus annum ad lunæ cursum computantes, octauo semper anno, 90. dies qui nascantur, si quadrans cum vndecim diebus epactarum octies componatur, pariter intercalasse, in tres videlicet menses tricenorum dierum distributos. Iudæos autem nunquam, sed altero vel tertio anno, mensem Lunæ tertiumdecimum, quẽ embolismum vocitamus, inserere solitos, sicut notissima decimaquarta Lunæ paschalis apertè ratio probat. *Quæ verò fuerit apud Hebræos intercalandi ratio, explicat prolixè satis in Hebraico Calendario Munsterus, & Iohannes Lucidus libro de Emendatione temporum.*

De nat. rerum, cap. 9.

CHRO-

CHRONICVM, SIVE SVPPVTATIO TEMPORVM, FIRMISSIMIS Sacræ scripturæ testimoniis demonstrata.

AVTORE MAT. BEROALDO.

LIBER SECVNDVS.

Vnde temporum sumantur in historiis exordia. Cap. I.



N magna temporum ignoratione atq; confusione versantur autores prophani, apud quos tam incerta est ista ratio, vt Varro antiquitatis inuestigator diligentißimus, tria temporũ discrimina coactus fuerit constituere. Quorum primum ab hominum ortu definiuit ad diluuium, quod sub Ogyge *Thebarum rege contigisse dicitur: Alterũ ab illo diluuio ad primã* Olympiadẽ: *Tertium à prima* Olympiade *ad tertiam vsq; ætatem perduxit. Sed eã historiam ex librorũ ipsius titulis, & iis quæ memoriæ mandauit suis scriptis* Censorinus, *itẽ* Aurel. Augustinus *quodam modo nouimus.* Pauca *enim de multis ij prodiderũt, quũ eorũ librorũ copiam, quã in manibus habebãt, nõ defuturam nobis crederẽt.* Censorinus *autẽ* Varronis *istam partitionem temporum ita explicat:* Varro tria discrimina temporum esse tradit. Primum ab- Cap.17.

hominum principio ad cataclyſmum priorem. Secundum ad Olympiadem primam: quod quia in eo multa fabuloſa referuntur Mythicon nominatur. Tertium à prima Olympiade ad nos, quod dicitur Hiſtoricon: quia res eo geſtæ, veris hiſtoriis continētur. *De ea verò temporum ſumma quam ſuis libris conſtituit Varro, certi eſſe poſſumus, ex iis quæ tertio de Re ruſtica libro recenſet in ipſo Prologo. Exiſtimat autem vetuſtiſsimum Græcum eſſe oppidum Thebas Bœotias, quas rex Ogyges ædificauerit, ſicut in agro Romano ſit Roma, quam Romulus condiderit. Cæterùm à Roma condita ad ſua tempora, ait eos annos effluxiſſe quos illis verſibus memoret Ennius.*

Septingenti ſunt paulò plus vel minus anni,
Auguſto augurio, poſtquam inclita condita
Roma eſt.

A Thebis autem, quæ ante cataclyſmum Ogygis conditæ dicuntur, numerat annos circiter bis mille et centum. Quibus tamen quid acciderit, nō planè certum ſit. Quū interim artes omnes in Græcia dicantur repertæ intra mille annorū ſpatium. Hæc Varronis eſt eo loco de temporum antiquitate ſententia, quam Olympiadum beneficio, & ſuperiorum temporum diligenti animaduerſione, illum collegiſſe exiſtimare licet, quemadmodum id quoq; affirmat Cenſorinus. Neque verò potuiſſe doctos illos homines longius antiquitatis memoriam repetere, ex Cicerone quoq; poſſumus colligere, qui in Oratore, de Attico loquens, & eius in colligendis veteribus hiſtoriis induſtria verba faciens, ait eum ſeptingentorum annorum

norum res memoria dignas literarum monumentis mandasse. Ciceronis autem verba sunt hæc: Cognoscat enim Orator, rerum gestarum & memoriæ veteris ordinem, maximè scilicet nostræ ciuitatis: sed & imperiosorum populorum & regum illustrium. Quem laborem nobis Attici nostri leuauit labor: qui conseruatis notatisq; temporibus, nihil illustre quum prætermitteret, annorum septingentorum memoriam vno libro colligauit. *quod ipsum testatur Macrobius, inquiens,* Ac ne totum videamur de fabulis mutuari, quis non hinc existimet quandoq; mundum cœpisse, nec retro eius longam ætatem, quũ ab hinc vltra duo annorum millia de excellenti rerum gestarum memoria, ne Græca quidem extet historia. Nam supra Ninum, à quo Semiramis secundum quosdam creditur procreata, nihil præclarum in libros relatum est. *Hinc constat, cur non longius à Nino repetant antiquitatis memoriam prophani autores. Nam, quemadmodum ait* Diodorus *Siculus,* Ninus Assyriorũ rex, primus scriptores est nactus. *Quamobrẽ ab vltima memoria suam historiam exorsus* Trogus Pompeius, *à Nino incipit, vt ex Iustini compendio apparet. Diodorus tamen Siculus perquisitis & lustratis omnium Historiographorum prophanorum, quos solos nouerat, monumentis, qui ad ea tempora vixerant, historiam sibi à prima mundi origine putauit repetendam. Primis autem Bibliothecæ suæ libris fabulas tantùm exponit, quia certi nihil quod*

Lib.3.

de prioribus temporibus diceret habebat. Belli tamen Troiani tempus narrationis suæ statuit exordium. Apollodori & Varronis ea in re plurimùm adiutus opera & commentariis. Manca verò nobis ea parte extat Diodori historia, neq; ex ea historica narratione quicquam adhuc prodiit in lucem, ante Xerxis in Græciam transitũ. Tempus autem quod suis libris complexus erat, præfatione in Bibliothecã suam declarat, nempe 1138 annorum, qui terminantur Iulij Cæsaris expeditione contra Gallias, Senatusconsulto suscepta. Ex historicis autẽ Romanis intelligimus Gallias Cæsari decretas, C. Iul. Cæsare & M. Calphurnio Bibulo Coss. anno ab vrbe condita 695, id est, annis ante natiuitatem Christi Domini 58.

Qua verò mundi ætate contigerint ea quæ antiquissima reputant prophani autores, statuere nequeunt: fugit enim illos veritatis notitia, quæ non nisi ex Historia sacra & Dei verbo peti potest. Et vt ad Varronem redeamus, cuius præter cæteros celebrata est diligentia, de primis temporibus seu fabuloso illo Poetarum aureo seculo, nihil certi commemorat: quemadmodum neque alij vulgares autores: apud quos id tantùm de illa ætate reperias, terram inaratam omnia nullo cogente liberè profundere solitam: & deos hominum consuetudine tunc vsos, donec mortalium improbitate sensim augescente, vltima cœlestium Astræa terras reliquerit. Itaque & apud Ouidium sic de suo regno Ianus deorum et Italorum regum antiquißimus verba facit: Fast. lib. 1.

Tunc ego regnabã patiens quum terra deorũ
Esset, & humanis numina mista locis.
Nondum Iustitiam facinus mortale fugarat,

Vltima

Vltima de superis illa reliquit humum.
Proq; metu populū, sine vi pudor ipse regebat,
Nullus erat iustis reddere iura labor.

Sic de prima illa mundi ætate, quā dixerunt auream, fabulatur Ianus antiquißimus Italiæ rex: à quo etiam Saturnus deorū poëticorum vetustißimus dicitur in regni societatē admissus. vt Ianus fortasse sit filiorū Iapeti siue Iaphet quartus, qui Genes. 10. vocatur Iauan, quasi detracta vnā syllaba, ex Iauanus, effectus sit Ianus Latinis. Poetæ autem qui nobis secula finxerunt aurea, argentea, ærea & ferrea nobis Christianis sequendi non sunt. Primum itaq; seculum quia fabulis & figmentis nobilitatum fuit, si certi nihil habet in historia prophana, non est quod miremur. Ianus quis sit.

Insequens autem seculum, quod à diluuio Ogygio inchoant, aliud enim est, vt constat ex Orosio, quod ad Deucalionis refertur tempora, vsque ad primam Olympiadem, fabulosa habet omnia, ex quo Varroni dicitur Mythicum. Lib. 1. cap. 7. & 9.

At tertium quod ab Olympiadibus incipit, etsi vix constat quid earum primis temporibus acciderit, dicitur Historicum. Inde enim certior historiæ fides posse peti videtur. Ita Græci ab Olympiadibus rerum gestarum certitudinem repetunt. Latini autem ab Vrbe condita rerum suarum & exterarum monimenta notant: additis interdum Olympiadibus, quod Græcos quorum literis fuerunt exculti & expoliti semper sunt admirati. Huc accedit, quòd vrbs ipsa Romana non longo post Olympiadas tempore, condita fuit.

Hebræi autem annos & tempora numerant ab orbe

siue mundo condito. Nos autem Christiani tempora quidem priora, ab orbe condito, de more Hebræorum numeramus, sequuti sacra oracula: posteriora autem quæ Scriptura sacra vocat nouißima, metimur à Christi domini natali. Nonnulli autem à Christi Domini paßione annos numerant, alij aliter. Rerum autem Ecclesiasticarum scriptores, non modò annos à condito mundo, aut Christo Domino nato consignant, sed in temporibus annotandis Indictiones atq; Eras vsurpãt, vt & Mahumedici Hegiras: de quorum singulis commodius alio disputabitur loco.

De Olympiadibus & vrbis Romæ natalibus. Cap. II.



Penteteridas præcipuè à Græcis obseruatas fuisse, in notandis temporibus ait Censorinus, quas interpretatur quaternorũ annorũ circuitus, quos ipsi Græci appellent etiam Olympiadas, quia quinto quoque anno redeant Olympiades, quatuor integris annis confectis. Penteteris enim quinque annorum orbem & circuitum quo soleant redire Olympiades, significat. Sunt autem nomen Olympiades sortitæ ab Olympia vrbe Pisani agri in Elide, quæ est Peloponesi regio, vicina Arcadiæ, vbi in honorem impuri idoli, cognomine Iouis Olympici, quinto quóque anno redeunte, celebrabantur ludi maximo totius Græciæ apparatu: quos instituisse primus fertur Hercules. intermissos restituisse postea dicitur Iphitus, à quo prima numeratur Olympias, quemadmodum Soli-

nus

nus cap. 2. sui Polyhistoris explicat. apud quem malè Iphiclus ponitur pro Iphito. Fuit autem ab Oxilo Eleorum rege oriundus Iphitus, qui ludos apud Olympiam, & mercatum atq; inducias, eorum ludorum causa instituit. Eum verò Pausanias Eliacōn primo, ait fuisse æqualem Lycurgi, eius qui Lacedæmonijs leges & Rempublicam ordinarit. Quod in Lycurgi vita confirmat Plutarchus, qui ait Olympicarum feriarum excogitationem, viri mitis & facilis ingenij, atque abhorrentis à bello fuisse. In qua historia, ex Hermippo commemorat Lycurgum neq; affuisse initiò, neq; astitisse, neq; socium fuisse eorum quæ fuerant ab Iphito instituta, sed interfuisse atq; spectasse ludos, eò profectum certa de causa. Audisse autem illum vocem tanquam hominis alicuius à tergo illum increpantis & admirãtis, quòd ciues non exhortaretur simul cum aliis celebritatis illius participes fieri. Conuersum autem Lycurgum, quum qui locutus fuerat nusquam appareret, numen fuisse arbitratum esse. Sic ad Iphitum conceßisse, communiq; studio festiuitatem illustriorem & firmiorē constituisse. Initio autem historiæ Lycurgi citat autorem Aristotelem Plutarchus, qui Lycurgũ Iphiti tempore claruisse ait, feriasq; Olympiacas vnà cum eo confecisse tradit. Quod si verum est, Olympiades iure dicemus cum instituta Lacedæmoniis à Lycurgo Republica, cœptas annotari. Lycurgi autem instituta vix trecentis ante se annis extitisse, dicit in Minoe Plato. Thucydides quoq; prologo suæ Historiæ tradit annos circiter trecentos esse ad finitum bellum Peloponesiacum: ex quo Lacedæmonij eadem administratione Reipubl. vtantur, vt non longè repe-

tenda Olympiadum aut Lycurgi memoria videatur. Ex Ciceronis autem oratione pro Flacco, parem prope institutorum Lycurgi & vrbis Romanæ antiquitatem esse animaduertere possumus. Qui ab eo tempore ad suum seculum annos septingentos, tot nempe quot Atticus suo Chronico comprehenderat, enumerat. Ciceronis verba ita habent: Adsunt Lacedæmonii, cuius ciuitatis spectata & nobilitata virtus, non solùm natura corroborata, verùm etiam disciplina putatur. Qui soli toti orbi terrarum, septingentos iam annos amplius vnis moribus, & nunquam mutatis legibus viuunt. *Ex quibus verbis, Græcas historias & res illustres à Græcis animaduersas, & annotatas nō admodum Roma vetustiores deprehendimus. Sex autem Olympiades Romanæ vrbis natales tantùm antecesserunt, sicuti mox intelligetur. Quid autem primis Olympiadibus contigerit, verè doceri vix potest, quū ante tempora Cyri maioris qui primus Persarum monarcha fuit, quemadmodum id etiam prophanis autoribus non est ignotū, certi nihil Græcorum historiæ habeāt. Quinquagesima autem Olympiade floruisse Cyrum prodidit Plinius, inquiens:* Marmore scalpendo primi omnium inclaruerūt Dipænus & Scillis, geniti in Creta insula etiárum Medis imperantibus, priusquam Cyrus in Persis regnare inciperet, hoc est Olympiade circiter quinquagesima. *Sed vt à Plinio dissentiamus, & cæteris Chronographis, vt Diodoro, Thallo, Castore, Polybio & Phlegonte, quos citat Eusebius lib. 2. cap. 3. De præparat. Euang. qui aiunt Cyrum cœpisse*

Lib. 36. cap. 4.

imperare

imperare Olympiade quinquagesimaquinta, facit veritas & Historiæ sacræ certitudo: ex qua discimus Cyrum maiorem floruisse demum Olympiade octogesima, id est, annis 120 serius quàm tradatur historiis prophanis. Cyri verò ætate floruisse Græciæ septem Sapientes Historiographorum monumẽtis constat. Solonis enim celebre est in historiis cum Crœso Lydorum rege colloquium, paulò ante quàm is à Cyro victus & regno spoliatus fuisset. Solon autem fuit vnus è septem Sapientibus, qui eâdem ætate vixerunt. Is verò Crœsum admonuerat, ne opum fiducia aut magnitudine superbiret, sed vereretur vltorem & vindicem superbiæ Deũ. Crœsus autem ambagibus & fallacibus responsis Apollinis elusus, dum Cyro se opponit, victus & captus fuit. Ita octogesima Olympias certatum apud Græcos historiarum habet initium: quod tempus incidit in reditum Iudaicæ gentis ex captiuitate Babylonica. Vnde quàm parua fides de priorũ temporũ rebus gestis sit habenda Græcæ historiæ potest animaduerti: præsertim quum Atheniensium prima scripta & leges antiquißimæ memorentur eæ, quas tulerit ijs & scripserit Draco: qui leges Atheniensibus sanguine scripsisse dicitur, quòd capite puniret crimina, quæ illis videbantur leuia. quas leges eam ob rem postea Solon emendarit, mitioribus & æquioribus pœnis constitutis ipsis maleficijs. Draconem autem floruisse tricesimasexta Olympiade annotauit Eusebius, sicuti antea Tatianus. In quo fallitur vterque, sequutus vitiosa Chronica Græcorum. Alij autem Draconis tempus conferunt in Olympiadem 39. qua leges Atheniensibus tulerit, post Reges exautoratos

Athenis, & institutam Reipubl.*nouam formam. Nam,*
Lib.2. *vt ait Iustinus,* Post Codrum nemo Athenis regnauit. quod memoriæ nominis eius tributum est. Administratio Reipubl.annuis magistratibus permissa est. Sed ciuitati tunc nullæ leges erant. quia libido regum pro legibus habebatur. Eligitur itaque Solon vir iustitiæ insignis,qui velut nouam ciuitatem legibus conderet. *At Iustinus Draconis leges præterit, quòd eæ tempore paruo in ea* Republ.*locum habuerant. Ita legibus Draconis & iis quas postea tulit Solon, nihil ferè antiquius agnoscunt Athenienses, quæ ad tempora Persarum attinent. De rebus autem Persicis & aliis Asiaticis Barbarorum, vt loquuntur Græci, vix certi quicquam habet historia Græca ante Xerxis in Græciam transitum. Quem quidem copias suas in Græciam traduxisse, ait in Arcadicis Pausanias, tum quum Gelon Syracusis, & in reliqua Sicilia dominabatur. In Eliacis verò ait Gelonem Syracusis potitum fuisse tyrannide, anno secundo Olympiadis 72. At Olympiade 75, ait Xerxem expeditionem fecisse in Græciam, Dionys. Halicarnaß.lib.9. In quo tamen admissos esse errores manifestos intelligetur ex sequentibus, quum de Persico imperio,& Hebdomadib.Danielis agemus cap.8.lib.3.*

Hactenus quid sint Olympiades,& vnde nomen habeant,& à quo sint institutæ diximus:nunc quia notandis annuis spatiis,& definiendis temporibus inseruiunt, atq; anni Græci principium demonstrant,videtur dicendum quo anni tempore celebrari sint solitæ: etsi potest illud intelligi ex iis quæ in mensium & in anni ratione

superiore

superiore libro fuerunt demonstrata. Annum Athenienses solstitio æstiuo inchoant, vt dictum fuit, quo tempore solitæ sunt celebrari Olympiades, annorum Græcorum notæ & indices: quas celebrari solitas æstate ex Liuio constat, dicente: Et Lucius Manlius trans mare legatus iret, viseretque quæ res ibi gererentur. Simul quòd Olympiæ ludicrum ea æstate futurum erat, quod maximo cœtu Græciæ celebraretur, vt si tutò per hostem posset, adiret id concilium. *Quem Titi Liuij locum, qui Alphonsi tabulas conscripserunt, peruersè sunt interpretati, deinde et cæteri nostri Computistæ. sic vt anni Græci initium, & Olympiadum, cõtulerint in æquinoctium autumnale: à quo indictiones quoque incipiunt: existimantes Olympiadum & Indictionum imperatoriarum idem esse principium. Sed vt certius sit hoc anni Græci principiũ, Simplicij testimoniũ proferemus. quid sit τὸ ἐφεξῆς, ita scribit,* Ἐπὶ δὲ τοῦ χρόνου καὶ τῶν ῥεόντων καὶ γινομένων, φύσει τὸ πρότερον, τὸ ὕστερόν ἐστιν. ἃς δὲ ἡμεῖς ποιούμεθα ἀρχάς, ἐνιαυτοῦ μὲν, θερινὰς τροπὰς ὡς Ἀθηναῖοι, ἢ περὶ μετοπωρινὰς ὡς οἱ περὶ τὴν νῦν καλουμένην Ἀσίαν, ἢ περὶ χειμερινὰς, ὡς Ῥωμαῖοι, ἢ περὶ ἐαρινὰς, ὡς Ἄρραβες καὶ Δαμασκηνοί. Μηνὸς δὲ ὥσπερ τινὲς ἀρχὴν τὴν πανσέληνον λέγουσι, ἢ τὴν νέαν, ἑαυτοῦ θέσει αὐτοῦ. *id est,* In tempore & rebus fluẽtibus & caducis, quod natura prius est, dicimus esse prius. At in iis quæ nos instituimus principiis, vt anni quidẽ, æstiuũ solstitiũ, quo modo Athenienses: aut Autumnale æquinoctiũ, vt qui morantur in Asia: aut Hibernum solstitium, vt Romani: aut vernum æquino-

Dec.3.lib.7

Phys. lib. 5. cap.2.

ctium, vt Arabes & Damasceni: aut mensis; vt nonnulli plenilunium statuũt principiũ, aut interlunium, ea principia dicentur non natura, sed hominũ instituto constare. Plato etiam magistratus anno ineũte, id est Calendis eius mensis q proximus est solstitio æstiuo, iubet magistratus conuenire in commune templũ, ad præstandum iusturãdum & fidem suam religione obligandam pro Reipub. commodis. Eius autem verba sunt talia: Πάσας δὲ τὰς ἀρχὰς, ὁπόσας τε μετ' ἐνιαυτὸν καὶ ὁπόσας πλείω χρόνον ἄρχωσι, ἐπειδὰν μέλλῃ νέος ἐνιαυτὸς μετὰ θερινὰς τροπὰς, τῷ ἐπιόντι μηνὶ γίγνεσθαι, ταύτης δὲ ἡμέρας τῇ πρόσθεν, πάντας χρὴ τοὺς ἄρχοντας συνελθεῖν εἰς ἓν ἱερόν. id est, Omnes magistratus tã annui quàm maioris temporis, pridie Calendas mensis illius, quo post æstiuũ solstitiũ nouus annus incipit, oportet in idem templũ conuenire. Ex his Platonis & superioribus Simplicij verbis, mensem ἑκατομβαιῶνα, qui incipit proxima æstiui solstitij luna, annũ inchoare, et Olympiadum ferias habere videmus. Mensi autem ἑκατομβαιῶνι respondet is qui Hebræis vocatur Tamuz, & Latinis veteribus Iunius.

De legibus lib. 6.

Olympiades autem desiisse celebrari Theodosii maioris ætate, ait Cedrenus. alij sub Constantino magno ludos Olympicos sublatos fuisse, sicuti & alia spectacula theatralia affirmant. Cæterùm quidam historici ludiones & reliquum instrumentum ludicrũ, ex Olympia fuisse Romam à Sylla traductum commemorant, Olympiade 175, quo tempore Põpeius Magni cognomẽ accepit, vt post illa tempora, raros fuisse ludos Olympicos credibile sit,

le sit, sicuti Romæ fuerunt post Syllam rara lustra.

Sequitur vt de Romæ natalibus dicamus, quũ tempo ris ab vrbe condita notatio, quemadmodum & Olympiadum, magnã historijs lucem afferat. Ac de Roma con*dita vix Historicis inter se conuenit, quorum differentes sententias sic colligit Eutropius, agens de Romulo, his verbis:* Is inter pastores quum latrocinaretur, octodecim annos natus, vrbem exiguam in monte Palatino constituit vndecimo Calendas Maij, Olympiadis sextæ anno tertio, post Troiæ excidium (vt qui plurimum minimumq́ue tradunt) trecentesimo nonagesimoquarto. *Huic consentit Plutarchus in vita Romuli, vbi inquit:* Illum autem diem quo Romulus Vrbis fundamenta iecit, trigesimũ fuisse diem perhibent, in eoq́ue Lunam ex congressu Solis defecisse perhibent, quam vidisse Antimachum Teium Lyricum aiunt, cùm in tertium annum sextæ Olympiadis incidisset. *Ouidius autem natalem Vrbis diem, quem parilibus vel palilibus fuisse aiunt, confert in 12. Cal. Maij, altera die ab ingressu Solis in Taurum.* Faston. 4.

Quòd autem ad tempus à Troia euersa ad Romam conditam attinet, Plutarchus id in Camillo annotauit, inquiens annos intercessisse 432, cui accedunt Solinus: Item Dionysius Halicarnasseus, qui à Troiæ excidio ad Romam conditã annos enumerat 432, ex regulis Eratosthenis certis & indubitatis, vt ait. Quibus quum refragentur Virgilius et Titus Liuius autores Latini, diligentes suarum historiarum interpretes, à prima origine

eas deducentes, fit vt iis malim accedere, quàm Græcis, quorum non est hac in re consentiens opinio: Virgilio autem hac in re non esse derogandam fidem apparet, quòd ea de re agens non fabulas narrat, sed historiam exponit, quam veluti ex fatis & arcanis oraculis haud dubijs profert, dum inquit:

Aeneid. libro 1.

Bellum ingens geret Italia, populosq; feroces
Contundet, moresq; viris & mœnia ponet,
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternaq; transierint Rutulis hyberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo,
Additur: Ilus erat, dum res stetit Ilia regno,
Triginta magnos voluendis mensibus orbes
Imperio explebit, regnumq; à sede Lauini
Transferet, & longã multa vi muniet Albam.
Hîc iam tercentum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea, donec regina sacerdos
Marte grauis, geminã partu dabit Ilia prolem.

His versibus docet Virgilius, regnatum esse apud Albam à Siluiis posteris Ascanij per annos trecentos, ante natum Romulum & ante Vrbem conditam, quòd stetit cum Alba annis centum ipsa Roma, vt ex Regum temporibus animaduerti potest. Ascanius autem ante Albam conditam regnauit Lauinij annis 30. & Aeneas prius ibidem regnauit annis tribus, quum prius errasset per annos septem, vt sub finem primi Aeneidos innuit Dido hac sua oratione:

Imò age, & à prima dic hospes origine nobis:
Insidias, inquit, Danaum casusq; tuorum,
Erroresq; tuos. nam te iam septima portat
Omnibus errantem terris & fluctibus æstas.

Hos

Hos annos si colligamus, quos vt historicus enumerat Virgilius, intelligemus esse 340: à qua ratione non dissentit Liuius, qui 1.lib.ab Vrbe condita inquit, Aeneam ab simili clade qua & Antenor, domo profugum, sed ad maiora rerũ initia ducentibus fatis, primò in Macedoniam venisse, inde in Siciliam quærentem sedes delatum, ab Sicilia Laurentem agrum tenuisse. *Id verò tempus septem annorum fuisse ex Virgilij narratione intelleximus. Regnatum deinde esse Lauinij ab Aenea & Ascanio trigintatres annos constat. quanquã Liuius inter Lauinium & Albam longam coloniam deductam, triginta ferè annos tantùm interfuisse dicit. In Tullo autem Hostilio qui Albam excidit, & Albanos Romam traduxit, Liuius ait, vnam horam, quadringentorum annorum opus quibus Alba steterit, excidio & ruinis dedisse. Centum autem annis Alba pariter cum Roma stetit, quòd ex regnis Romuli, Numæ, & Tulli Hostilij, quo regnante fuit Alba diruta intelligitur. Ita Liuio & Virgilio, in hac historia conuenit, & Eutropio, Latinis autoribus, à quibus sine bonis rationibus dissentire non possumus: etsi Eutropius à Troiæ excidio ad Romam conditam nonnihil variat à Liuio & Virgilio, incerta annorum summa proposita, ex eorum sententia qui plures & pauciores annos numerauerũt. Nos aũt in ea annorum summa, quam non sine ratione ex his autoribus colligimus, insistimus, dicemusq́; Romam conditam anno trecẽtesimo & quadragesimo post Troiæ excidium, Olympiade septima ineunte, Solini comprobata hac in re sententia, qui ita ait:* Collatis igitur nostris & Cap.2.

Græcorũ temporibus, inuenimus incipiente Olympiade ſeptima, Romam conditam. *Quod idem à Catone maiore ſumptum ex libris originum, confirmat Dionyſius Halicarnaſſeus, temporibus à Roma per Gallos capta deductis ad eius incunabula. Quorum ſententiam vt veram confirmandam mihi eſſe exiſtimo, alia quadam ab ijs ratione, quæ tamen non minus ſit certa illis, quas proferendas ſibi putauerunt. Atqui vt id quod volumus intelligatur, ponenda quædam ſunt nobis, vera quidem, ſed partim confeſſa, partim ignota, quæ poſtea nihilominus intelligentur debere eſſe indubitata, ex hiſtoriæ noſtræ contextu. Horum vnum eſt, Paſſum eſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & mortem obijſſe noſtra omnium cauſa, anno decimooctauo Tiberij Imperatoris Romani. Is verò annus incidit in Olympiadis ducenteſimæſecundæ annum quartum. Alterum eſt, Eum annum quartum Olympiadis ducenteſimæ & ſecundæ, eſſe annum ab Vrbe condita ſeptingenteſimumquartum. Hæc poſita & conceſſa arguent facilè Romæ primùm conditæ ſub Olympiadibus tempus. Nam quum Olympiades ducentæ & duæ, annos conſtituant 808, (ſiquidem vnaquæque Olympias quatuor annorum explet circuitum) ſi ab his Romæ conditæ ſubducantur anni, qui ſunt 784, reliqui fient 24. qui ſex complent Olympiades. Ita ſex Olympiades, vrbis Romanæ natalem antecedentes, tempus nobis Romæ primùm conditæ ſeptima incipiente Olympiade oſtendent. Quamobrem iure dicemus Vrbem fuiſſe conditam ſeptima Olympiade ineunte. Anni autem ab Vrbe condita numerantur in hiſtorijs vſque ad Auguſtulum,*

Antiq. Roman. lib. 1.

gustulum, qui postremus Imperatorum Romanorum, deposita purpura abdicauit se imperio. Post eum verò Odoacer Herulorũ princeps dixit se regem Italiæ: post quem Imperatores Romanos nullos postea vidit Italia: etsi Caroli Magni ætate videtur restitutum Romanis imperium. Sed qui secuti sunt Imperatores, personati tantùm fuerunt, & adumbrati Cæsares & Augusti Romani, quum Galli aut Germani fuerint, quod suis titulis declararunt. Paulus autem Diaconus Romanum imperium toto orbe venerabile, ait desiisse anno ab incarnatione Domini 475, quum purpuram deposuisset Augustulus & imperio sponte cessisset Odoacro Herulorum principi: qui se Regem Italiæ, non Imperatorem dici voluit, anno ab Vrbe condita 1221. Lib.16.

Vt autem certior horum temporum constet ratio, atque intelligamus in quam mundi ætatem & Olympiades & vrbis Romæ natales incidant, hoc quoque ad superiora est adijciendum, Annum ab Vrbe condita 784, quo passus est Dominus, esse annum à mundo condito 3061. quemadmodum id ex Sacris oraculis, cum Deo, intelligetur. Ex qua summa deductis & detractis vrbis Romæ annis, quibus ad ea tempora perstitit, deductis item annis, qui ex Olympiadibus fluxerant vsque ad illa tempora, licet colligere quoto anno à mundo cõdito sint institutæ Olympiades, & quoto anno mundi fuerit Vrbs cõdita. Quibus cognitis, historiæ Hebraicæ siue Sacræ, itẽ Græcæ & Latinæ, præterea & Barbaræ, perquã facilis futura est comparatio. Subducãtur enim ex mundi annis 3961, Olympiadũ annis 808, relinquentur 3153, qui à mundo cõdito effluxerãt ad primã Olym-

piadem ab Iphito institutam. Ita anno mundi 3154 cœperunt Olympiades. Qui fuit annus tricesimusprimus Ioas filij Ochoziæ regis Iuda, & nonus Ioachas filij Iehu regis Israel. Iam si ab Olympiadibus cœptis, anni vigintiquatuor excipiātur, intelligemus post eum annum, quum cœpisset septima Olympias, vrbem Romam conditam, anno post mundum conditum 3178, qui fuit annus Amasiæ filij Ioas regis Iuda decimusoctauus, & annus quartus Ieroboam filij Ioas regis Israel. Iam si repetitis superioribus temporibus ad trecentesimum et quadragesimum inde annum conscendas, Troiæ excisæ tempus reperies, quod in annum ab orbe condito 2838, incidere deprehendes, anno Iudicis Elon sexto, annis circiter duodecim ante Samsonis iudicis imperium. Qui numeri, quia lucē afferunt historiis maximā, sunt in pauca referendi, ne subductio ipsa aut additio sit odiosior.

Troia euertitur anno mundi 2838.

Olympia prima incidit in annum mundi 3154.

Roma conditur anno mundi 3178. septima Olympiade ineunte.

Et quòd ad nos attinet, annus hic qui à nato Domino dicitur 1575 est annus à mundo condito 5503. quinquies millesimus quingentesimustertius. Quem Hebræi dicunt ab orbe condito quinquies millesimum trecentesimum & trigesimumquintum. in qua supputatione error est admissus annorum 168. qui iusto desunt numero, ex malè deductis temporibus. Solent autē Hebræi annos quinquies mille ferè prætermittere in notandis temporibus & sequētes proponere hoc modo: vt si præsentē annum Domini 1575 notent, dicent annū esse trecentesimū

&

& trigesimumquintũ ab orbe condito, iuxta supputationem paruam, id est, vt loquuntur, Liphrat catan.

Annos autẽ solares vbiq; sumendos esse, ex prioribus constat: quorũ initia pro rerũ publicarum & gentium consuetudine sunt animaduertenda, quemadmodũ prius in anni ratione declaratum satis multis fuit. His aũt constitutis temporũ aggredienda esset interpretatio ex Scripturæ sacræ doctrina, nisi quorundam parũ cauta partitio impediret. qui ex sententia Eliæ Rabini, putarunt temporum triplicem constituendam esse partitionem: sic vt duo annorum millia tribuenda sint eorum seculo, qui ante Legem Mosi datã vixerunt: duo præterea millia conferẽda sint in id tempus quo lex Mosaica viguit: item duo alia millia statuenda sint, quibus post legẽ Mosaicam mundi facies ista sit duratura, à patefacto et nato Domino Iesu Christo, vsq; ad gloriosum illius reditum, quo iudicaturus est viuos & mortuos. Qua de re nõ putarẽ mihi dicendũ, nisi magnis viris ista arrisisset Iudaica & Cabalistica subtilitas, & verè futilitas ac vanitas: quæ plerisq;, qui nescio qua probabilitate videtur niti, sic probatur, vt ab ea nõ patiãtur se deduci. Itaq; quidnã de ea re statuendum sit, non putaui dissimulandum esse.

De dicto Elianæ scholę, Sex millibus annorum stabit mundus. Cap. III.



Abalistæ sic censent; quia sex diebus mundus sit effectus à Deo, & septimo die quies sit à Domino instituta, fore vt sex annorũ millibus maneat hæc mundi facies & con-

ditio, septimo autem ineunte millenario conquiescat & desinat. Idque *vt affirment, eò adducuntur, quòd Psalmo nonagesimo dicatur,* Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit. *ex quo id ab ijs colligitur diei vnius & annorum mille parem esse rationem.* Huius *sententiæ est* Elias Rabinus *quidam, cuius verba citantur in quarta parte* Talmud, *libro 2. quo agitur de* Senatoribus *et Iudicibus, quos Iudæi corrupta voce* συνέδριον, *dicũt* Sanhedrim. *Capite autem quod incipit* Helec, *ista sub illius Rabini,* Eliæ *nomine, feruntur: quæ quò plus habeant autoritatis & fidei, prodũtur manasse ad posteros à quodam* Eliæ *discipulo, filio mulieris* Sareptanæ, *qui fuerit ab ipso* Elia *excitatus à mortuis:* Traditio à schola Eliæ: Sex millibus annorũ erit mundus, & postea destruetur. Bis mille anni, inanitati: Bis mille, legi: Bis mille, diebus Mesiæ erunt. *hactenus traditio. de qua qui plura scire expetit, adeat*

Lib.4. cap. 20. *Galatinum* De arcanis catholicæ fidei. *Item legat* Pugionem *Martini* Raymundi. *Sententiam autem illam Rabinicam Elianam explodendam esse ex* 2.Petri 3. *versu* 8. *intelligimus, vbi locus citatus ex Psalmo 90. de mille annis apud* Dominum, *quem habeat intellectum exponitur, & proponitur ad piorum consolationem. sed humana sapientia ludit in* Dei *verbo, eòque sæpe abutitur, eorum more qui nobis* Pasquillos *ex detortis* Scripturæ *sacræ verbis conficiunt. qui vt manibus illotis* Dei *verbum tractant, ita nisi resipiscant, sentient nec* Deum, *nec ipsius verbum rideri impunè, aut ad ineptias detorqueri. Cæterùm valere istam sententiam ad*

2.part. cap. 10.


ipsos

ipsos qui ea vtuntur, Iudæos conuincendos, quia sit ab ijs profecta & vsurpata, possumus animaduertere ex ijs, quæ Actorum primo docentur à Christo Domino: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. *Huc accedit quod ex Historia sacra dicti huius Eliani vanitas detegitur, & arguitur. Dant enim inani, id est, tempori quod fluxit à mundo condito ad Legem, annos bis mille solummodo. at præterea fuerunt addendi quingenti & tredecim. sunt enim à mundo condito ad Legem anni 2513. Et à Lege promulgata, ad Domini nostri Iesu Christi paßionem, pro nobis expletam, anni sunt 1452, cui temporis interuallo dant annos bis mille. Itaque quàm sint vani & futiles, præterea autem sacrarum rerum ignari, qui arcana cœlestia sibi cognita esse iactant, facile est videre. vt non illi modò vanitatis & stultitiæ damnandi sint, sed ij quoque qui illis auscultant, quorum est magna hodie copia, qui minus attentè perspexerunt ipsam temporum rationem, vt eam nobis Sacra oracula proponunt, quam nos his scriptis persequimur. Rabinorum certè ingens est ignorantia & improbitas, vt quum post quater millesimum à mundo condito annum fateantur Meßiam, seu Christum Dominum affuturum, & nunc anno Domini 1575, annos à mundo condito numerent 5335. Christum tamen venisse inficiari audeant.*

Nunc ad ipsius mundi exordiū & contemplationē, atq; ad ea tempora quæ vsq; ad hanc ætatem sunt consequuta redeamus. Ex eorū verò temporū historia id opinor cōsequemur, vt ardētius ad ipsum Deū respiciamus,

atq; in ipsius tutelam & curã libentius & maiore cum fiducia nos recipiamus.

De Temporum summaria partitione. Cap. IIII.


Riora tempora dicimus illa quæ sunt ab orbe cõdito, vsq; ad Christi Domini paßionẽ. Posteriora autẽ siue nouißima vocamus ea, quæ sunt à Christi Domini morte, pro nobis in cruce obita, ad gloriosum eius in hũc mundũ reditũ, quo pios omnes excipiet in regnũ suum æternum, deleta morte, peccato sublato, & Satana cum ipsius angelis, hoc est, ministris & asseclis relegato in ignem æternũ.

In priorum autem temporũ exponenda ratione, hũc sequemur ordinem, vt primo loco agamus de eo seculo, quod diluuio sustulit Deus. quod annos habet 1656.

Deinde dicemus de eo seculo quod est insecutũ diluuium, terminaturq; discessu Abrahami ex Carris, promißione illustri per Deum renouata de gentiũ omnium vera & certa felicitate per Christum Iesum Dominum nostrum. quod tempus habet annos 427.

Tertium deinceps seculum persequemur, quod est ab ea promißione ad legem Dei voce promulgatã in monte Horeb. quod quidem est annorum 430.

Post sequentur ea tempora quæ latã legem sunt consequuta, vsq; ad templi per Salomonem extructi iacta fundamenta, quæ annos continent 480.

Inde à templo Salomonico fundato ad populi captiuitatem siue transmigrationem Babylonicam, tempora perducemus. quæ annos complectuntur 408.

Deinceps

Deinceps captiuitatis Babylonicæ tempus explicabitur, quod est annorum 70.

Postremò Danielis Hebdomades septuaginta proponuntur, quæ Christi domini morte terminantur. quæ annos constituunt 490.

His septem capitibus priora absoluentur tempora, quæ annos à mundo condito ad Christi domini paßionē continent 3961.

Postrà verò de nouißimis siue posterioribus temporibus numerandis & recognoscendis, cum Deo, agemus. Is autem ordo mihi proponendus fuisse videtur, quòd Spiritui sancto placuerit. Quod ex Scripturis sacris intelligimus, in qua res istæ memorabiles, nobis hoc modò recognoscendæ proponuntur. Atque vt diuini Spiritus afflatu in hac tractatione dirigamur, postulamus à Patre cœlesti, in Iesu Christi domini nostri nomine. Amen.

De Mundi origine siue Cosmopoeia, id est, mundi fabrica. Cap. V.



Vum à prima mundi origine historiam ordiamur, iure de mundo & cœlo, quæ nos scire voluit Spiritus sanctus, proponemus: quibus cognitis, quæ de his rebus habent Philosophi, citra periculum legi & recognosci poterunt.

Plerique quum de mundi creatione verba fieri audiunt, aut intelligunt mundum quum nusquam fuisset aut

extitisset, fuisse suo tempore à Deo conditũ, veluti mirabundi & attoniti solent quærere, Quid ergo ante mundum esse potuerit? Quorum stultæ & improuidæ menti si æternitas occurreret, de qua tam multa sæpe audiunt, desinerent istud quærere. Suam enim hac quæstione stupiditatem & cæcitatem aperiunt, quòd eorum mens æternitatis oblita, de his solùm rebus quæ sub oculos cadunt, cogitat, existimans nihil sine mundo isto aspectabili potuisse subsistere, neque vnquam quicquam extitisse præter res istas mundanas. Qui si de vita æterna, & immortalitate pijs promissa post discessum ex hoc mundano hospitio cogitarent: & meminissent cœlum & terram transitura ac suo tempore desitura, hac de re quæstiones mouere desinerent: præsertim quum testatur Apostolus 1. Cor. 2. 7, Sapientiam Euangelicam, mundo prius ignotam et inauditam, fuisse præfinitam à Deo in gloriam nostram ante ipsa secula. Ita seculis istis & mundanæ huius machinæ conuersione, qua tempora definiuntur, longè antiquius esse Dei imperium, vtpote æternum & gloriosum apparet. Et id quidem manifestè Iohan. 17. 5. *docet Iesus Christus.* Et nunc *inquiens* clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui, prius quàm mundus fieret apud te. *Ergò ante mundum conditum, clarum & illustre diuinum domicilium fuisse intelligimus, de quo, vt re diuina lōgè supra captum nostrũ posita, quia nihil possumus dicere vel cogitare sine diuini Spiritus reuelatione, scrutandas esse nobis Scripturas animaduertamus. Quæ nos ad rerum diuinarum quas nosse expedit notitiã deducent. Ex quibus hac quoq; nobis vtẽdum esse moderatione agnoscemus,*

ſcemus, vt ea ſola ſtudeamus intelligere et noſſe, quæ Deus nobis per Spiritum ſuũ in verbo ſuo aperuit. In quib: meditandis ſi diligentes erimus, ſapientia verá & cœleſti, Dei benignitate, qui nos eò vocat, complebimur.

Sacræ aũt literæ nos id primùm docẽt, quũ rerũ iſtarũ quas cernimus nihildũ extitiſſet, Deum, vt qua eſſet in humanũ genus condendũ & tuendum bonitate cõſtaret, egregiũ iſtud illi veluti tentorium & tabernaculum conſtituiſſe, in quo moraretur & ſuã teſtaretur obediẽtia gratitudinem, tantiſper dum à Domino parente ſuo peregrinaretur. Id enim eſt quod Spiritus Dei vult nos docere per Moſem, dum ait initio Geneſis, Principio Deum creaſſe cœlum & terrã. quaſi diceret, primùm illud ponendum & ſtatuendum eſſe pijs omnibus, Cœlum & terram atque omnia quæ cœlo & terra continentur fuiſſe à Deo creata & effecta ſuo & certo tempore, nempe dum illi viſum fuit & placuit. Quo modo verò & qua ratione ſingula ſint effecta per Deum, deinceps ita nobis proponitur & explicatur Geneſis primo capite. Terra fuit primùm à Deo cõdita & creata, deſtituta nihilominus eo ornatu, & ea rerum varietate quã nunc in ipſa cernimus: nam vndiq; aquis cincta & inuoluta iuſſa eſt exiſtere, ſic vt vnum globum terra ipſa cum aqua conſtitueret. Eum autem globum occupabant & contegebant tenebræ, præterea etiam ventus aquis incubans abyſſum ipſam, hoc eſt, ingentem illam aquarum molem impellebat & agitabat. quibus effectis iuſſit Deus vt lux exiſteret: atq; ad diuinum iuſſum & imperium lux continuò extitit. Tum conſiderauit Deus quàm bona & præclara, atque adeò vtilis res futurá

esset mortalium generi, lux ipsa. Quam ob rem, lucem discreuit à tenebris Deus, ac lucem ipsam vocauit diem, tenebras autem dixit noctem. Vt enim habemus à Deo corpus & animum, sic ab eodem cætera quæ sunt vel animi vel corporis bona & commoda, accipimus: in quibus non est minima pars, sermo. Quemadmodum ergo linguam atq; os firmauit nobis Deus, sic sermonis etiam nobis autor & largitor agnoscendus est. Itaq; & bono iure linguarum notitiam atq; intellectum Spiritus diuini donum esse profitemur. Quod ergo Deus dicitur sic res istas vocauisse, ita accipiendum est, nobis & rerum istarum vsum attributum & cōcessum ab eo fuisse: præterea etiam datum, vt suis vocabulis res istas possemus appellare, & de ijs in Dei gloriam disserere. Quam interpretationem veteres Theologi agnouerunt. Albinus enim hanc adijcit & explicat, inquiens, Quid est, appellauit Deus lucem, diē? appellauit, id est, appellari fecit.

Quæst. in Gen.

¶ *Hæc igitur primo die, quo Deus res istas aspectabiles iußit existere, ab ipso mundi & vniuersi opifice Deo rerum omnium parente fuerunt effecta. Putaui autem hæc mihi esse proponenda, propterea quòd pleriq; quia in Ecclesiastico ita habetur,* ὁ ζῶν εἰς τὸν αἰῶνα ἔκτισε τὰ πάντα κοινῇ, *id est,* Qui viuit in æternum, creauit omnia simul, *existimant Deum vno eodemq; momēto omnia condidisse, quæ, vt melius à nobis comprehenderentur, fuerunt per partes à Mose explicata. In quo est manifestus corū error, quòd Mosem rem aliter quàm fuerit facta, putant prodidisse, arguentes interim vanitatis & mendacij Scripturam, quæ præcepto quarto*

Cap. 18. Ecclesiastici locus explicatur.

Tabulæ primæ, vt ſcribitur Exodi viceſimo, diſertè ait, Deum ſex diebus creaſſe cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, & requieuiſſe die ſeptimo, eamque ob rem voluiſſe eum diem eſſe ſacrum & feſtum, id eſt, benedixiſſe ei, & ſanctificaſſe illum. *Quibus verbis quæ hic narrantur à Moſe confirmantur, atq; etiam quodam modo explicantur. Itaque* κοινῇ, *quod Latinus interpres conuertit, ſimul, ſic eſt accipiendum, vt intelligamus Deum in totum, vel prorſus, omnia feciſſe: quaſi dictum eſſet* κοινῶς, *vt nihil ſit planè, quod ab eo non ſit effectum. quemadmodum initio Euangelij ſecundum Ioannem dicitur,* καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονε, & ſine ipſo nihil factum eſt, quod ſit factum: *quod idem fermè valet cum priore orationis membro,* πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, *omnia per ipſum facta ſunt. Quòd verò ſpiritum Dei, qui ferebatur ſupra aquas, interpretati ſumus ventum, id ſequuti Chaldæum paraphraſtem & multos Veterum, atq; adeò rem ipſam, fecimus. Agitur enim hoc loco de rebus creatis & effectis à Deo per verbum ipſius, qui eſt Chriſtus dominus, ſicuti multis Scripturæ locis diſertè explanat Chaldæus paraphraſtes. In rebus autem effectis & creatis à Deo eſt ventus, cuius eſt in aquis mouendis & impellendis mira vis, quo aquæ ipſæ & aer agitata, ſalubriora redduntur & quodam modo vegetantur. Neq; verò eſt illud ignotum quod quotidiana arguit experientia, aquas vitium capere ni moueãtur. Venti ergo, quia nulla fit poſteà mentio, & eum eſſe in rebus creatis conſtat, iure memoriam illatam eſſe cum aquis exiſtimauimus, quæ auras ſemper ſecum habent*

comites, quemadmodum vmbra comitatur corpus. Aliter quidem & piè, de spiritu, quem ventum hic interpretamur, plerique viri docti sentiunt: sed suum cuique liberum est in rebus talibus iudicium, cui nihil præiudicij affert nostra interpretatio. Ergo Deus primo die hæc effecta esse voluit, terræ & aquæ globum & ventum, item tenebras atque lucem, quæ diem ciuilem constituerent, qui conficitur nocte & die naturali. Noctem verò à parte Sacra scriptura vesperam appellat, quemadmodum etiã
Cap.8.14. diem, mane. Quo modo loquitur Daniel, vsque ad vesperam & mane, id est, vsque ad dies, quos vespera & mane definiunt, 2300.

Id verò, In principio creauit Deus cœlum & terram, vel, Principio creauit cœlum & terram, accipimus pro summa & dicendorum propositione. quasi ita diceretur, Principiò, ne quis de mundi huius conditione aut creatione ambigat, vel incertas moueat de rebus istis quæstiones, hoc habeto, Deum cõdidisse cœlum & terram. Terræ autem fuit ea primùm facies, vt esset aquis obruta, & tenebris vndique cincta & obsepta: vento valido & vehementi aquas ipsas mouente & torquente, quibus posteà fuit lucis adiuncta iucunditas. Quod quidem eò dicimus, quia nonnulli existimãt, Cœlum ante terram fuisse conditum, quòd priori nominetur loco. Quod quidem nulla nititur idonea ratione, præsertim quum Scriptura sacra in rebus explicandis, rei præsentis ferè habeat rationem, & dicenda spectet potius quàm rerum ordinem & vetustatem. Sic Euangelista Matthæus in ipso Euangelij sui limine & exordio, inquit, Liber generationis Iesu Christi fi-

lij Dauid, filij Abraham. *vbi Dauidem multis post Abraham seculis natum, præposuit Abrahamo, ipsius auo antiquißimo, quòd Abrahami genus & stirpem instituisset recensere. Statim enim infert, Abraham genuit Isaac. Sic ergo prima illa versiculi propositi pars accipienda videtur, in qua etsi cœlum priore loco ponitur, nihil tamen illud ad cœli aut terræ antiquitatem pertinet.*

Quæ verò secundo die creauerit & fecerit Deus, explicat deinceps Moses: docetq; terram, hoc est, Continentem, distinctam & secretam ab aquis fuisse, quam quidem supra aquas extare iusserit. Præterea autem id quod longè lateq; fusum supra nos apparet corpus, quod vulgò cœlum dicimus, quo aquæ pluuiæ distinguuntur à marinis & fluuialibus, productū fuisse & mādato Dei extitisse cōmemorat. his verbis: Dixit quoque Deus, Fiat firmamētum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitq; aquas, quę erant sub firmamēto, ab his quę erāt supra firmamētū. Et factū est ita, vocauitq; firmamentū cœlū. Et factū est vespere & mane, dies secūdus. Dixit verò Deus, Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida. Et factum est ita. Vocauit autem Deus aridam terram: congregationesque aquarum appellauit maria. Et vidit Deus quòd esset bonū. *Hæc ad secūdi diei opus pertinēt, quæ quidē etsi disiuncta videntur, proptereaq; & ad plures dies pertinere, ad vnū tamen referēda esse diē, demōstrat clausula*

qua cuiusq; diei comprobatur opus vt eximium, atque etiam concluditur à Spiritu sancto in hanc sententiam; Et vidit Deus quòd esset bonum: *id est, Deus rem vt erat effecta, ita bene habere deprehendit. Scriptura enim sacra popularibus vtitur verbis, quæ loquitur de Deo, vt quopiam artifice, qui vbi aliquod opus absoluit, id posteà considerat num bene habeat, aut num quid in eo desideretur. Ea ergo clausula demonstrat ad secundum pertinere diem, quæ veluti intercepta proposuit Moses, memorato mane & vespere diei secundi. Ita Continens & Oceanus cum reliquis aquis secundo die fuerunt distincta & discreta locis, vti hodie apparent, deductis aquarum alueis per continentem. quæ tãquam producta & diuaricata, montes, valles, & campestres regiones protulit & exhibuit, quum prius globosa esset & aquis vndique ex æquo contecta: aqua ipsa figuram suam sphæricam retinente more cœli, quod inferiora ambit & circundat corpora. Nunc enim alia ratione globum, siue sphæram, vel orbem referunt aqua & tellus, quia vnum & commune centrum obtinent, prioribus mutatis sedibus, quum terra prius intra medias aquas esset abdita, atq; eam vndiq; ambiret abyssus, hoc est ingens ipsa moles aquæ, cuius tam alti sunt gurgites vt fundum nullum habere videantur. Diuina autem potentia rerum conditionem pro suo mouet atque effingit* Psal.104. *arbitrio. quod hac in re describit egregiè Vates regius, his versibus:* Abysso sicut vestimento texeras ipsam terram, supra montes stabant aquæ, ab increpatione tua fugerunt, à voce tonitrui tui festinantes cesserunt. Ascenderunt mon-

tes, descenderūt valles ad eum locum quem fundasti eis. Terminum posuisti quem non transibunt, non redibunt ad operiēdum terram. *Ita igitur Deus sua voce admirabili & verbo suo omnipotenti, aquas tum marinas tum fluuiales iußit in suos alueos concedere, vt homini sedes in terra tutæ & vacuæ, quas postea incoleret, paterent. Præter aquas autem marinas & fluuiales, id est, fluuiorum, fontium, lacuum & paludum, aliæ quoque sunt quæ dicuntur cœlestes & aeriæ, siue pluuiæ, quas nubes in terram arentem diuino miraculo fundunt: vt & pascua brutis animantibus suppetant, & fruges liberalius homini suppeditet ipsa tellus. Has pendulas seu pendētes, vt sic dicam, aquas Deus distinxit ab istis terrenis, hoc est, labentibus circum terras, firmamento, sicut Latinus interpres conuertit, seu, vt Septuaginta dixerunt interpretes στερεώματι, quod Sacra scriptura dicit Raquia. Ipsa autem vox Hebræa significat extensionem, siue expansionē, si quis verbum de verbo expreßum requirat. Est enim Raca, producere, proferre, extendere, expandere: ex quo Scriptura sacra dicit Raquia, corpus hoc aereum & æthereum, quod longè lateq; fusum terras cum Oceano vndiq; ambit & concludit. Quod nomine alio Scriptura vocat Samaijm. eadem ratione et significatione, qua Latinè Cœlum dicitur: quæ vox Latinis aerem & sphæras cœlestes significat. Nam quod ait Horatius,* Cœlum non animum mutant qui trāns mare currūt: *pertinere ad aeris siue loci mutationem nemo ambigit. Iam quum dicimus Cœlum Lunæ, aut Solis, aut stellarū inerrantium, de sphæris dici cœlestibus intelligunt om-*

Raquia, expansio.

Samaiim aer, & æther

nes. Sic Samaijm Hebraicè dicitur aer, item æther. Et aer quidem ita dicitur ex prima verbi notatione, quòd Sam, significet ibi, Maijm autem, notet aquam. Est enim aer, nubium sedes, id est, vt loquitur Scriptura, aquarum cœlestium & superiorum locus, quemadmodum oculorum approbatione constat. Samaijm ergo diffusum hoc quod supra nos est corpus significat, quia ibi sunt aquæ pluuiæ, quæ ex nubibus diuina ordinatione deriuantur & profunduntur in terras. Id verò dicimus aerem & cœlum: vnde volucres cœli & nubes cœli nihil aliud sunt, quàm volucres per cœlum siue aerem spatiantes & vagantes. Sic nubes cœli sunt nubes in aere vel cœlo pendentes, & ventis per aerem impulsæ. Quam ob causam Chaldæus paraphrastes v. 20. primi capitis Geneseos, Raquia, conuertit, aver, id est, aerem (qua voce Targum Ierosolymitanum reddidit Raquia) barbara quidem Hebræis voce, sed Græcis vernacula propè, deriuata ἀπὸ τοῦ ἀέρος, ab aere. Prætereà Samaijm significare ætherea corpora, apparet ex Psalmo octauo, quo hæc dicuntur: Kjere samécha, maase ezbeotheca: Quia videbo cœlos tuos, opus digitorum tuorū. *Agitur enim ibi de sphæris cœlestibus in quibus infixa sunt astra, quæ noctem sua luce collustrant, Deiq; potētiam commendant hominum generi. Ex his quid sit Raquia, quod Deus appellandum esse Samaijm docuit, facile est ad intelligendum. Quam rationem nos sequuti, eadem voce Temporis vernacula, aerem & ætherea corpora nuncupauimus. Nam quum dicimus,* Le temps est bien estelé, *cœlum ipsum & sphæras cœlestes significamus, in quibus noctu, sudo & sereno aere stellæ*

sunt

sunt perquàm cōspicuæ. At quum dicimus, Le temps est bien chargé, *tunc Temporis vocabulũ referimus ad aerem nubilum & pluuium. Scriptura autem sacra vbiq; sese ad popularem captum accommodat. vnde appellat aerem & corpora ætherea* Raquia *siue Samaijm, hoc est, cœlum, vel, vt nos loquimur*, le temps.

Firmamenti autem noua in Latino sermone appellatio, rem alioqui perspicuam quodammodo obscurauit, quæ primùm à Græcis Septuaginta interpretibus profecta, multiplices hominib. non satis in Scriptura versatis, errores peperit. Existimarunt enim firmamentum esse cœlum extimum, supra quod essent aquæ, quæ dicantur in Scriptura esse supra cœlos: atq; inde cœli fenestris & cataractis apertis, ingẽtem vim aquarũ profusam fuisse ipso diluuij tempore censent, quibus montes quoq; fuerunt operti. Ad hæc somnia, alias etiam ineptias adiunxerunt alij, quas nihil necesse est commemorare. Satis autẽ nobis esse debet, si rem ipsam intelligamus, quæ sui lumine et veritate errores facilè demōstrabit & arguet. Nã quod Psal. 148 dicitur, Laudate eũ cœli cœlorũ, & aquę quę supra cœlos sunt: *facilẽ ex Scripturæ sacræ phrasi intellecta interpretationẽ habet. Inuitat enim Propheta res creatas ad celebrãdã Dei gloriã et potentiã, in quib. sunt cœli cœlorũ, id est, sphæræ cœlestes altissimæ & summæ. Itẽ aquæ quæ sunt supra cœlos, id est, hassamaijm, hoc est, aquæ quæ sunt supra cœlũ ipsum vel aerem, Nubes enim pendent in aere, & sunt supra nostra capita. atq; ex ea re videntur esse cœlo ipso, id est, aere superiores. Aspectabilia aũt quũ tractet in ipsa rerũ creatione Moses, nihil est somniandũ de nescio*

quibus aquis, collocatis supra firmamentum Crystallinum, à nostris interim oculis remotis, vt à nostro aspectu planè dißitis.

Firmamentum quid significet.

Firmamentum autem noua vox, ex Septuaginta interpretum explicatione Græca manauit. Latinus enim interpres autor eius interpretationis quam Communem dicimus, Græcos Septuaginta interpretes ferè sequitur. Ii autem verbum Hebraicum *Raqua reddunt per vocē Græcam* στερεόω.*quam verbo firmandi reddere solet Latinus, vt Esaiæ* 44. Roqua haaretz me, ithi. *Septu.* ἐστερέωσα τὴν γῆν, τίς ἕτερος? *Latinus,* Firmaui terrā, quis alius? *(id fecit, me vno excepto?) sic eiusdē Prophetæ cap.* 42. Roqua haaretz, *Septua.* στερεώσας τὴν γῆν. *Latin.* Firmans terram. *Item Psal.* 136. Le roqua haaretz hal hassamaijm. *Septuaginta* τῷ στερεώσαντι τὴν γῆν ὑπὲρ ὑδάτων. *Latinus,* Ei qui firmauit terram supra aquas. *Inde Raquia, verbale nomen, reddiderunt Septuaginta per* στερέωμα, *& Latinus voce firmamenti expreßit. Chaldæus autem interpres, quem etiam paraphrastem dicimus, quòd interdum breui paraphrasi loca Scripturæ obscuriora illustret, interdum* aërem, *pro* Raquia, *dicit, vt Psal.* 19. *vbi habetur in Græco,* οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν θεοῦ, ποίησιν δὲ χειρῶν αὐτοῦ ἀναγγέλλει τὸ στερέωμα. *id est, vt Latinus interpres inquit,* Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentū. *At Chaldæus paraphrastes eum versum in hanc sententiam reddidit:* Qui suspiciunt cœlos enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant, qui suspiciunt aerem. *Firmamenti ergo*

vox

vox siue στερέωμα, *ex linguæ Hebraicæ proprietate significat aerem cum æthere, quæ vno cœli nomine Latinis intelliguntur.*

Sed ne quid in opere secundi diei relinquatur obscurum, id quod à Mose sic proponitur, Dixit verò Deus, Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in vnum locum: *sic est accipiendum & intelligendum. Dixerat autem & iusserat Deus, vt aquæ eæ quæ terram ambiunt, quasq; aer circunfusus complectitur, colligerentur & confluerent in suos alueos: quod ita acceptum, facilem eorum quæ dicuntur à Mose intellectũ reddet.*

Sequitur eorum, quæ tertio die sunt edita, explicatio: Et ait Deus, Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit supra terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque semẽtem iuxta speciem suam. Et vidit Deus quòd esset bonum, & factum est vespere & mane dies tertius. *Ex his verbis intelligimus terrã, quæ erat prius desolatio quædam & inanitas, id est, veluti quædam solitudo & desertum vacuum & inane, fuisse tertio die plantis à Deo ornatam & decoratam. Plantarum autem duo genera summa nominantur, nempe herbæ & arbores. Quarũ quàm multæ sint species, quamq; multiplex & ad vsum, & ad fructum varietas, necdum à doctis viris, quorum*

sum-

sumintum hac in re fuit studium, comprehendi aut explicari potuit: etsi ab infinitis, qui vel de agricultura, vel re hortensi, vel de materia medica, vel de naturæ historia libros ediderunt, res hæc fuerit perquisita, & accuratè explicata. Ea enim est Dei *sapientia & potentia, vt in rebus istis caducis, & suo tempore perituris, ab hominibus comprehendi nequeat. Itaque mirari iam non debemus, si cœlestia haudquaquam potuerint intelligi à mortalibus, quum terrena ipsa & ante oculos posita, ab ijs cognosci nequeant. Diuini autem beneficij est cognitio rerum istarum, quemadmodum & cœlestium, quas quibus vult patefacit & declarat* Deus, *Cæterùm* Di*cendi vocabulum, quod in his rebus effectis proponitur nobis à* Spiritu *sancto, eò pertinet, vt verbũ ipsum* Do*mini, & sapientiam per quam facta sunt omnia, consideremus: simul & eius potentiam & vim omnium maximam animaduertamus: cui res tantas effecisse non fuerit difficilius, quàm verbum aliquod proferre, aut vocem aliquam fundere. Clausula autem illa,* Et factum est vespere & mane dies tertius, *sic conuerti poterit,* Et *transacta fuit vespera, deinde transactum fuit mane, atq; ita transactus fuit dies tertius. Vespera autem pro nocte quam inchoat, item mane pro die cuius est initium, sumitur, vt prius monuimus: quibus duobus ciuilis dies absoluitur.*

Quartus sequitur dies, quo sphæræ cœlestes suo decorantur ornatu, id est, stellis, & sideribus ornantur, quib. posteà suum munus aßignatur: sed tum quum terra ad Dei *verbum plantas & fruges profudisset, & lux anteà creata, sua conuersione cum tenebris, dies & noctes designaſ-*

ſignaſſet. Ne quis aut Solem lucis fontem aut frugum cauſam exiſtimet eſſe, vel putet corporum cœleſtium vi, res iſtas effici, ſicuti cenſent ea fieri Phyſici & Medici, & Mathematici, rerum ſacrarum ignari. Qui Solem exiſtimant de ſe & ſua natura lucem fundere, eumq; lucis eſſe fontem. quos ſacrorum verborum arguit notatio. Nam On, lux eſt: at maor, quo nomine Sol & Luna dicuntur, vehiculum eſt lucis, ſiue fax aut lampas. Latini autem admoniti verborum Hebraicorum notatione & deductione, dixerunt, Lumen & Luminare. Vt autem fax niſi accenſa, nullam de ſe lucem præbet aut fundit: ſic neque corpus ſolare, aut aſtra reliqua lucem de ſe fundere potuiſſent, niſi lucem ijs affixiſſet Deus. Quod in Lunæ nobis obuerſa facie, interlunio ipſo cernimus. Hæc enim corpora primùm fuerunt opaca effecta à Deo, deinde verbo Domini accenſa, lucida eſſe cœperunt. Et vt in lampade aliud eſt ignis ſiue flamma, aliud verò flammæ retinaculum ſiue ellychnium, quibus nomen damus lampadis vel facis: ita in Solis globo aliud eſt lux, aliud lucis ipſius vehiculum, nempe ſolare corpus, cui lucis interdum communicatur appellatio. Quo modo autem prioribus diebus lux viciſsitudinaria conuerſione cum tenebris dies efficeret, ſpectare quoque licet; modò ne in Solis globum oculos defigamus; ſed ſi diem ad ſolam referamus lucem, ad nos Dei imperio tenebris depulſis remiſſam. Quòd ſi minus à nobis intelligitur, noſtram agnoſcamus in comprehendendis Dei operibus tarditatem, poſtulemusq; ab eo ſapientiam, qui ſolus eam nobis largiri & communicare per Spiritum ſuum ſanctum poteſt.

Hoc verò loco, quinam sit astrorum vsus inculcatur diligenter: ne homines à stellis veritatem requirendam putent. quod Genethliaci faciunt & scriptis profitentur, contra Dei perspicuum & omnibus apertum imperium, Ieremiæ decimo expositum. vbi Deus vetat suos timere sibi à signis cœlestibus, quæ formidant Gentes, prauo & impio instituto. Iussit enim Deus luminaria, id est, faces, seu lucis vehicula, Solem & Lunam & astra reliqua, quarto die existere. quæ collocauit in expãsione illa cœli secundo die creata, quibus cùm lucem affixisset, voluit Solẽ ministrare interdiu lucem mortalibus, Lunam autem cum stellis iussit tenebris nocturnis depellendis subseruire, vt est Psalmo 136. Qui fecit luminaria magna, Solem in dominium diei, Lunam & Stellas in dominium noctis, quoniam in æternum misericordia eius. *Præterquàm verò quòd terris lucem præbent & nocturna diurnaq; spatia distinguunt, seruire etiam ea Deus voluit notandis temporum differentijs, quas supra explicuimus.*

Quintus dies creationem habet omnis generis piscium degentium in aquis, & volucrium per aerem vagãtium. Quorum tanta est varietas, vt nulla hominum ætas ijs explicandis queat sufficere.

Sextus dies animantium brutorum, & hominis habet creationem omninò admirabilem. Et verbo quidem Dei terra obtemperans producit varij generis animantia, hominem verò tanquam singulare aliquod & admirandum opificium, cuius causa cætera Deus instituerit, proponit nobis scriptura, tanquam Dei manibus effectum.

fectum. Deinde animatum & vita donatum, quam inspiratio demonstret. Sic homo factus est animans vita præditum, id est, quod vulgata dicit interpretatio, Factus est homo in animam viuentem.

Septimus dies quieti consecratus, qui nos diuinæ quietis, præterea et nostræ nos admonet: quam hic inchoatam in Dei parentis nostri optimi & maximi domicilio, per Iesum Christum Dominum nostrum suo tempore obtinebimus, testificante idipsum Spiritu sancto nostro spiritui, qui nobis à Deo datus est, vt quæ ab ipso nobis sunt donata, certò teneamus.

Vt autem mundi effecti historiam in pauca conferamus, hæc sunt quæ de rebus creatis nobis propositis in hoc pulcherrimo mundi theatro ex Sacra scriptura accipimus. verbo Dei effecta esse omnia, quæ visibilia nominamus. Inuisibilia etiam ab eodem autore & fonte profecta, Sacris scriptis erudimur. quod quidem paucis ita docet Apostolus, Quoniã in ipso (per ipsum) cõdita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsũ & in ipso creata sunt. *Visibilia ergo, in quibus Dei virtus æterna et sapientia nobis tãquã in speculo ponitur spectanda, sex diebus fuerunt effecta.* Colos. 1. 16.

Primo quidem die, iußit Deus existere tenebras siue noctem, item terram aquæ globo circunfusam, præterea ventum, atq; lucem, siue diem.

Secundo die, Continentem extare supra aquas voluit Deus, iußis ipsis aquis terrenis sese in suos alueos recipere, suspensis interim & libratis aquis cœlestibus, quæ

nubes vocantur, supra nostra capita, aere ipso & cœlis circum terram & aquas, vastè diffusis & explicatis.

Tertio die, vestit herbis & ornat arboribus Continẽtem Deus, creatis plantis, ijsq; variè per sua genera & loca distributis.

Quarto die, cœli siue orbes cœlestes astris decorantur, quibus lucem affigit Deus ad definienda temporum spatia, & lucem hominibus suo tempore suppeditandam.

Quinto die, iubentur aquæ piscium infinita genera & monstra varia proferre. volucribus quoque iussis existere, sua per aerem liberè vagandi facultas attribuitur.

Sexto die, bestias varij generis, & admiranda iubetur terra profundere. homine tantorum operum veluti moderatore & censore, atq; arbitro, creato ad diuinæ bonitatis & innocentiæ formam & imaginem, hoc est, vt Eph. 4. 21. *loquitur Apostolus,* in iustitia & sanctitate vera.

Hæc sunt quæ de Genesi & rerum origine siue Cosmopœia, ex Dei verbo discimus, repetẽdaq; putauimus, propter receptas quasdam alienas à Scriptura sacra sententias. quas breui rerum illustratione commodum fuit quodam modo aperire. sicuti & de natura, quam rerum parentem dicunt, non ab re fuerit disputare, & breuem naturæ explicationem, de qua tam multis sermo est, adiungere: præsertim quum in Dei, qui natura est, tractandis versemur operibus.

De

De natura & rerum principijs, vt ea pietas docet, & de vocis naturæ varia significatione. Cap. VI.



I materia & forma statuantur rerum omnium principia ex Philosophorum sententia, certè Manichæorum impietas duos statuentium deos confirmabitur, quæ non ferenda blasphemia est. Neque est quod diuerticula hic quærantur, aut interpretatione commoda lenire Physicorum errorem, vel potius impietatem studeamus. Vnus est enim Dominus & Pater, à quo & per quem, & in quo rerum omnium principium, nempe Dei verbum, per quod omnia facta sunt. Id verò demum natura est, quæ nascendi rebus omnibus est causa, quæq; vt singula sint & subsistant efficit.

Quia verò naturæ appellatio & significatio multis est ignota et omnibus est in ore, breuiter hic à nobis explicabitur: ne quẽ nominis istius fallat homonymia, neue vocis istius ignoratione pleriq; posthac decepti à veritate & pietate deerrent.

Natura à nascendo, Latine nomen habet, vt Græcè φύσις ἀπὸ τοῦ φύεσθαι. Deus autem Optimus Maximus & Aeternus nasci facit & creat, idẽ tuetur et conseruat omnia. Sic Deus ipsa est natura, cuius titulo res ab ipso cõditæ et creatæ insigniuntur, vt res ipsæ testentur suã originem communi illa appellatione. Quæcunq; enim fuerunt creata, & à Deo quotidie proferuntur in luminis auras, vocantur à nobis atq; etiam à Philosophis res na- Natura quid sit.

turales, id est, res à natura, nempe Deo vero et omnipotente effectæ ortæ & conditæ. Dei autem in Philosophia profana, quæ se iactare audet vitæ magistram & ducem, quod Dei vnius est proprium beneficiũ, nusquã ferè proponitur aut celebratur nomẽ. Siue enim de moralibus apud Philosophos, siue de naturalib. rebus, siue de ratione, qua rerum paratur cognitio, sepulta veluti iacet Dei memoria. In Ethicis enim fœlicitatem quidem agnoscunt Philosophi esse homini propositam, sed non docent eam esse expetendam aut postulandam à Deo, per Iesum Christum dominum, neque monstrant Iesum Christum dominum nostrum, esse viam, veritatem et vitam: aut eam esse vitam æternam, vt homines cognoscãt vnum solum verum Deum, & quem misit Iesum Christum. Quin quod est planè pessimum, fœlicitatem in hac misera et infœlici vita requirunt, ac rident suum sapientem Solonem qui supremum vitæ diem expectandum esse sensit, quo posset beatitudinis adiri possessio. In Physicis autem frequentissima est naturæ mentio: cuius quodam modo vim agnoscunt, quum eam aiunt esse principium motus & quietis cuiusq; rei. Sed eam partim in materia, partim in forma, partim in causis naturalib. & fortuitis requirunt, in quibus & ipsam naturam residere volunt, Dei nusquam celebrata memoria. In Logicis autem præcipuum tenet locum ratiocinatio, quæ quum à ratione proficiscatur, quid tamen sit ratio, aut vnde petenda sit, planè reticetur.

A natura quidem pendere ista omnia fateri cogũtur, quòd artes agnoscant perfici & constare natura, præceptis & vsu. Quorum duo posteriora, nihil sine natura

ra valere prædicant, quemadmodum reipsa didicerunt. Naturæ autem, id est Dei, qui fecit omnia, qui nos à brutis animantibus ratione discreuit, quiq; tam multis auget bonis, & aucturus est longè maioribus post hanc vitam, mirum est vbique in talium tractatione silentiū. Atqui à Deo nobis & agendi & docendi sumenda non solùm esse initia, sed extrema quoque eius laude terminanda esse et concludenda, quum sine eo nihil poßimus, quis non videt? Sunt enim per illum omnia, atque ad eum vniuersa referenda esse, quia ab illo pendeant & in eum respiciant, fateri necesse est. Ea igitur nobis est celebranda & memoranda natura, quæ nos nasci ad immortalitatem voluit, cuius ne obliuisceremur, titulū gerimus. Siquidem res naturales & naturæ, id est, creaturæ à Deo effectæ dicimur. Natura enim vt dicitur Deus, ita res ab ipso conditæ & creatæ dicuntur naturæ. Præterea autem cuiusq; rei vis propria & facultas, natura vocatur, quòd peculiarem vim rebus singulis attribuerit Deus, atq; rem vnamquamq; certo donarit veluti priuilegio, & beneficio ornarit præcipuo, quo ipsius vbique eluceret bonitas, sapientia & beneficentia. Inde naturæ bona dicimus in quopiam, solertiam, ingenium, acumē, quæ diuina sunt beneficia.

Temperamenta quoque singulorum animantium, quemadmodum & cæterarum rerum, naturæ appellatione censentur. quia suis qualitatibus & elementis singula temperauerit Deus: & cuique suam temperiem, qua salua & incolumia manent singula, attribuerit. Sic temperamenta, facultates, seu proprietates, & quæ spectantur quaque in re bona, naturæ nomen obtinent,

quò vnde talia profecta sint intelligamus, nempe ab ipso bonorum omniũ autore & benigno largitore Deo, siue omnium parente natura diuina.

Ab his autem significandi modis longè diuersus est is quo dicimus homines natura procliues esse ad nequitiã, & ab labore ad libidinem. Naturæ enim vox in hoc sermonis genere, corruptelam & vitiositatẽ significat, quæ in Dei opere, nempe in natura humana cernitur. Homo enim quum fuisset ad Dei imaginem conditus, sicuti Sacra docent oracula, Genes. 3. 7, is suo scelere Dei imaginem qua fuerat ornatus, contaminauit & deformauit. Atque defectione impia à Deo Optimo Maximo parente suo cùm desciuisset impulsore Satana, iure bonis quibus ab ipso Deo donatus fuerat, excidit. Satanæ verò factus mancipium, vitijs & miserijs omnis generis fuit obnoxius. quanquam immensa Dei benignitate factum est, vt priorum bonorum reliquias & vestigia retineret, quibus admoneretur suæ originis, atque sciret in tantis malis sibi ad Deum respiciendum esse, si saluus & liber esse cuperet. Hinc factum est vt naturæ vox, non modò in opere Dei, id est, in homine manserit, sed attributa quoque fuerit ijs vitiosis qualitatibus & corruptelis, quæ occuparunt ipsum diuinum opus. Inde virtutum origo à natura, nempe recta, dicitur pendere: vitiorum quoque origo à natura, scilicet corrupta, manare dicitur. Quæ vocis interpretatio, quia fuit ignota Philosophis, accidit vt in Ethicis de hominis voluntate, & libertate ac virtutibus, rectè disserere non potuerint.

Natura recta, & corrupta.

Est etiam præter istas alia naturæ notio, nobis in hoc

quod

quod tractamus argumento cognitu necessaria, quòd res omnes fieri secundum naturam, vel præter naturam dicimus. Nam ver, æstatem, autumnum, hiemem, secundum naturam esse dicimus, quum suam obtinent temperiem. At si æstate non maturescant fruges, aut remissior sit calor, quemadmodum si sit hieme tepidior aeris constitutio, fieri præter naturam illud dicimus. Pari modo miracula, id est, res insolitas, præter naturam fieri dicimus. Id verò ex eo fit, quòd is ordo & status rerum, quẽ Deus constituit & ordinauit sex diebus, quibus omnia creauit, natura, id est, ipsius Dei iussu & verbo, constet. Quem rerum statum fixum & certum manere vsq; ad mundi interitũ iussit Deus: nisi quid ipse mutet propter hominum improbitatem & scelera, quæ frequenter vlciscitur bonorum suorum ademptione, & ea quam primùm instituit rerum commutatione: vt nubes nihil profundant humoris in terras, vt veris & æstatis inæqualis sit & præpostera temperies, vt erucæ fruges absumant, & segetes & vites perdat & contundat grando, & his similia, quæ multa accidere certis Dei iudicijs videmus. Vnde rerum naturam dicimus, constitutã à Deo sex diebus anteà expositis rerum istarum ordinationem, quam primùm natura ipsa nempe Deus qui nasci facit omnia constituerit. Præter quam si quid fiat, id fieri præter naturam, id est, diuinam illam primam ordinationẽ, dicere solemus: referentes omnia ad Dei nutum & imperium, cuius voluntate et prouidentia cuncta gubernantur, nec quicquam fit omninò. sic vt ne pilus quidem de nostro capite cadat sine eius autoritate et mandato, vt scribitur Matth. 10. v. 30.

Præter naturam quid significet.

quò vnde talia profecta sint intelligamus, nempe ab ipso bonorum omniũ autore & benigno largitore Deo, siue omnium parente natura diuina.

Ab his autem significandi modis longè diuersus est is quo dicimus homines natura procliues esse ad nequitiã, & ab labore ad libidinem. Naturæ enim vox in hoc sermonis genere, corruptelam & vitiositatẽ significat, quæ in Dei opere, nempe in natura humana cernitur. Homo enim quum fuisset ad Dei imaginem conditus, sicuti Sacra docent oracula, Genes. 3. 7, is suo scelere Dei imaginem qua fuerat ornatus, contaminauit & deformauit. Atque defectione impia à Deo Optimo Maximo parente suo cùm desciuisset impulsore Satana, iure bonis quibus ab ipso Deo donatus fuerat, excidit. Satanæ verò factus mancipium, vitijs & miserijs omnis generis fuit obnoxius. quanquam immensa Dei benignitate factum est, vt priorum bonorum reliquias & vestigia retineret, quibus admoneretur suæ originis, atque sciret in tantis malis sibi ad Deum respiciendum esse, si saluus & liber esse cuperet. Hinc factum est vt naturæ vox, non modò in opere Dei, id est, in homine manserit, sed attributa quoque fuerit ijs vitiosis qualitatibus & corruptelis, quæ occuparunt ipsum diuinum opus. Inde virtutum origo à natura, nempe recta, dicitur pendere: vitiorum quoque origo à natura, scilicet corrupta, manare dicitur. Quæ vocis interpretatio, quia fuit ignota Philosophis, accidit vt in Ethicis de hominis voluntate, & libertate ac virtutibus, rectè differere non potuerint.

Natura recta, & corrupta.

Est etiam præter istas alia naturæ notio, nobis in hoc

quod

quod tractamus argumento cognitu necessaria, quòd res omnes fieri secundum naturam, vel præter naturam dicimus. Nam ver, æstatem, autumnum, hiemem, secundum naturam esse dicimus, quum suam obtinent temperiem. At si æstate non maturescant fruges, aut remissior sit calor, quemadmodum si sit hieme tepidior aeris constitutio, fieri præter naturam illud dicimus. Pari modo miracula, id est, res insolitas, præter naturam fieri dicimus. Id verò ex eo fit, quòd is ordo & status rerum, quē Deus constituit & ordinauit sex diebus, quibus omnia creauit, natura, id est, ipsius Dei iussu & verbo, constet. Quem rerum statum fixum & certum manere vsq; ad mundi interitū iussit Deus: nisi quid ipse mutet propter hominum improbitatem & scelera, quæ frequenter vlciscitur bonorum suorum ademptione, & ea quam primùm instituit rerum commutatione: vt nubes nihil profundant humoris in terras, vt veris & æstatis inæqualis sit & præpostera temperies, vt erucæ fruges absumant, & segetes & vites perdat & contundat grando, & his similia, quæ multa accidere certis Dei iudicijs videmus. Vnde rerum naturam dicimus, constitutā à Deo sex diebus anteà expositis rerum istarum ordinationem, quam primùm natura ipsa nempe Deus qui nasci facit omnia constituerit. Præter quam si quid fiat, id fieri præter naturam, id est, diuinam illam primam ordinationē, dicere solemus: referentes omnia ad Dei nutum & imperium, cuius voluntate et prouidentia cuncta gubernantur, nec quicquam fit omninò. sic vt ne pilus quidem de nostro capite cadat sine eius autoritate et mandato, vt scribitur Matth. 10. v. 30.

Præter naturam quid significet.

Hæ igitur significationes philosophaturis vt par est & decet, sunt obseruandæ: vt naturam Deum esse intelligant, qui Philosophicas artes tractant, eademq; voce animaduertant, Dei opera notari. Præterea autem vim & temperiem rerum naturalium, id est, singularum rerum effectarum à natura, hoc est, Deo ipso. Item rerum coordinationem & statum, quem suis temporibus cõstare videmus, eodem naturæ vocabulo significari, quia à Deo & eius imperio proficiscantur notandum est. Adhæc diuersa & varia à superioribus notatio naturæ non est prætereũda, qua mala & vitia quæ ipsum Dei opus occuparunt, significantur, vt natura quænam vera sit, & quænam indebitum sibi tantum occuparit titulum, seq; eo nomine specioso clanculum insinuet & commẽdet imperitis, distingui poßit. Est enim ista natura vitiata & improba, quæ velo naturæ veræ tectam se cupit, quò fallat facilius & parum cautis imponat. Id enim egit, quò facilius imponeret ignaris Satanas, vt malis suis idem vocabulum accommodaret naturæ, quod diuinis bonis & Deo tributum videbat. Distinguenda ergo est natura vera, ab improba natura; Item secernenda sunt naturæ bonæ opera, ab effectis naturæ improbæ & vitiatæ. Quæ si philosophaturi diligenter animaduertent, de rerum natura melius & certius quàm sint soliti, disputare poterunt: præsertim si Dei verbum non hominum opiniones consuluerint, & ad deliberationem aduocarint. Sic enim fiet, vt piè & religiosè de re medica, & naturæ historia differant & statuant.

De Paradiso, in quo variè est à nostris erratum, non assequutis quæ in eius topographia proponuntur. Cap. VII.



Post conditas & creatas res istas à Deo est & Paradisus, de quo qui scripserunt, videntur mihi plurimum ab ipsa Scriptura declinasse: quò factum fuit vt dissentanea & parum veritati conuenientia tradiderint. de quo non solum eam ob rem dicendum aliquid videtur, sed quòd mundi et rerum in mundo maximarum historia, inde originem trahit. Nam quod nonnulli aiunt, frustra de ea re disputari quæ non sit, quòd diluuio interijt & sublatus sit ille locus, falluntur vel maximè, neq; animaduertunt Mosem post diluuium scripsisse, & loca quæ illo tempore extarent demonstrasse. Et vt ornatus ille & loci eius elegantia, cum tempore aut diluuio fuerit sublata, non tamen terræ aut flumina & loca quæ à Mose describuntur interierunt. Quæ vt à Mose diligenter propter historiæ fidem describuntur, ita non sunt à nobis leuiter prætereunda. Scriptura verò noluit Paradisi memoriam esse sepultam, quandoquidem eius multis locis meminerit. vt disertè Genes. 13.10. inquiens: Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa rigabatur antequam subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut Paradisus Domini & sicut Ægyptus venientibus in Segor.

Paradisum vero multi propter dissentientes Theologorum sententias, & malè comprehensam ab ipsis Paradisi topographiam, extra terras, tanquam fortunatam quandam insulam statuendum esse putauerunt. Alij autem propter minus notas Scripturæ voces, quibus cum locum definiuit Moses, existimant toto mundo patuisse Paradisum, contra manifestam Scripturæ sacræ autoritatem. Sed nos omissis superuacuis multorum hac de re sententijs, vtpote dissentientibus à Scriptura sacra, Mosis verba primùm audiamus, Plantauerat autem DominusDeus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat. Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendũ suaue, lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumq; scientię boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigãdũ Paradisum, qui inde diuidebatur in quatuor capita. Nomen vni Phison, ipse est, qui circuit omnem terram Heuila, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est. ibiq; inuenitur bdelium, & lapis onychinus. Et nomen secundi fluuij Gehon, ipse est qui circuit omnem terrã Æthiopiæ. Nomen verò fluminis tertij, Tigris, ipse vadit cõtra Assyrios. Fluuius autẽ quartus, ipse est Euphrates. *hæc est paradisi proposita à Moyse Dei seruo descriptio, de qua quid senserint quũ veteres, tùm recentes scriptores, multis persequitur vir eruditus* Ioachimus Vadianus, *in* Epitome *trium orbis terræ partiũ. quo libro suam*

Genes. 2.

ſuam quoq; exponit hac de re ſentētiam, eo capite, quod Paradiſus inſcribitur. Nos aūt non quid quiſq; ſenſerit, ſed ex Scriptura ſacra, quid de re iſta ſentiendum ſit, cū Deo, videamus.

Paradiſi vox Græca eſt, petita nihilominus ab Hebræa, aut certè Perſica vel Chaldæa voce Pardes. qua voce vtitur certis locis Scriptura ſacra. Poteſt aūt ea vox translata eſſe ad Hebræos ex vicinis populis, quòd Hebraicæ voces tribus ferè conſtent literis thematicis, quæ in hac voce quatuor apparēt. Significat aūt παράδεισος, Paradiſus, pomarium, viuarium, aut viridarium hoc eſt, ſeptum amœnum & excultum, cui nihil ad oculorū voluptatem vel elegātiam deſit. Sic aūt de hac voce inquit Aul. Gell. Viuariaque nunc vulgus dicit, ſunt quos Græci παραδείσους appellant. Ea verò voce ſcriptura etiā beatorū ſedem & domiciliū notat. vt Lucæ c.23. verſ. 44. Et dixit ei Ieſus, Amē dico tibi hodie mecū eris in Paradiſo. Sic etiā Paulus Apoſtolus vſurpat, vbi ait, ſe raptū fuiſſe in Paradiſum, & ea audiuiſſe quę fando nullus hominū poſsit exprimere aut aſſequi. Et Apoc. 2. 7. pollicetur Deus ſe victori daturū de ligno, quod eſt in medio Paradiſi diuini. Ita rerū terreſtrium ſimilitudines vſurpat Scriptura noſtra cauſa ad res cœleſtes explicandas & nobis ſubijciēdas ante oculos. Cæterū quòd interpres Latinus dixit Paradiſum voluptatis, Scriptura ipſa dicit Hebraicè, gan beedē, hoc eſt, hortū ſiue pomariū in Edene. quod Septuag. reddiderūt παράδεισον ἐν Ἐδέν, Paradiſū in Edē. quo modo Chaldæus quoque paraphraſtes reddidit, guinta beedē, hortū in Edene.

Paradiſus quid ſit.

Lib. 2. c. 20.

2. Cor. 12. 4.

Ita Eden proprium esse loci nomen animaduerterunt Septuaginta, vt illud quoque Chaldæus paraphrastes intellexit. Latinus autem interpres, pro appellatiuo nomine positum existimauit, quia vox Eden voluptatem & delicias significat. Quomodo hoc ipso secundo Geneseos capite, verterunt postà Septuaginta, qui illud, Et collocauit ipsum hominem Deus in horto Edenensi, dixerunt, καὶ ἔθετο αὐτὸν ἐν παραδείσῳ τῆς τρυφῆς, & posuit eum in Paradiso voluptatis. vbi Chaldæus verbum Hebraicum retinuit, tanquam loci proprium. Est enim regionis proprium nomen Eden, quæ ab vbertate & amœnitate sic nuncupata est. Cuius non isto tantùm loco fit mẽtio, sed Esaiæ 37. & 4. Regum. 19. in historia Sennacherib. vbi Rabsaces hæc impiè iactat nomine Sennacherib: Nunquid liberauerunt dij gentium singulos, quos vastarunt patres mei? Gozan, videlicet & Haran, & Reseph, & filios Eden, qui erãt in Thalassar? Item Ezechielis 27 memoratur vrbs Eden cum Carrhis. Quòd si temporibus Esaiæ et Ezechielis fuit regio Edenẽsis nota, certè temporibus Moysis notior esse potuit, quibus nondum acciderant tantæ ruinæ & mutationes nationum & imperiorũ, quantæ postà sunt consecutæ. Eam autem regionem vt suo seculo cognitã proponit Moses, cuius etiam proponit situm Cananææ respectu, aut eius loci in quo tùm erat Moses quum scriberet, vt deserti Amorrhæorum aut campestrium Moab, nempe Orientem versus. Ait enim Deum plantasse hortum in Edene, Miqquedẽ, id est, vt conuerterũt Septuaginta, κατ' ἀνατολὰς, id est, ab Oriente siue ad Orientẽ.

Edẽ regio.

Quum

Quum autem Orientem Moses memorat, eorum quibus ista proponit habet rationem. Filij autem Orientis dicuntur Mosi, & alijs sacris scriptoribus Orientales populi, qui respectu Iudææ & Cananææ regionis, Syriam & Arabiam desertam atq; Mesopotamiam & Persidem incolebant. quas regiones Orientales esse norunt quoq; prophani Poetæ. Nam de Euro vento Orientali, et subiectis illi regionibus ita in Metamorphos. inquit Ouidius, lib. 1.

Eurus ad auroram, Nabatæaq; regna recessit,
Persidaq;, & radijs iuga subdita matutinis.

Quamobrem & Euangelista Matthæus ait, Magos qui sunt Persarum sapientes, venisse Ierosolymam ab Oriente, id est, à Perside regione Orientali, respectu Iudææ. Arabiæ verò & Mesopotamiæ, vt olim Syriæ, nomen commune fuit: sic & appellatio Aram, earum regionum populis in Scriptura attribuitur. Cæterùm Latinus interpres illud Miqqueden, *secutus Chaldæum paraphastem, vertit, à* principio, *id est, tum quum ornaret & vestiret suis plantis tellurem Deus. Sed id haud magni refert ad loci huius expediendas alias difficultates. Edenensis autem regionis situs certior ex Propheta Amos haberi poterit: qui capite primo regis Eden meminit vnà cum Damasco, & prophetiæ suæ locum illum ita concludit, vt dicat Syriam abducendam esse in Assyrios. quo fit vt Edenenses quemadmodum & Damasceni fuerint in Syria. Verba Prophetæ Amos sic habent Latinè:* Et conteram vectem Damasci, & disperdam habitatores de campo idoli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis, & trans-

Cap. 2. 1.

transferetur populus Syriæ Cyrenem, dicit Dominus. *Quo versu notandum est*, Latinum *interpretem de suo more nomen proprium* Eden *sumpsisse pro appellatiuo. Nam quod dixit* de domo voluptatis, *Hebraicè dicitur* Mibbeth Eden, De *domo* Eden, *quod Septuaginta verterunt* ἐξ ἀνδρῶν ἀδὰν, à viris Adan. *Intelligentes* Eden *esse nomen loci propriũ, sicuti eo loco aduertit Chaldæus. vnde intelligimus* Edenem *esse regionem Syriacam, quæ* Prophetarum *quoq; temporibus nota fuerit populo* Dei. *Sed populorum mutationibus & locorum euersionibus, adhæc scriptorum de his rebus ignoratione, multa manserunt nobis incognita. Quòd prætereà, quæ Sacris literis sunt prodita, nihil rerum talium audiuerimus.* Hoc *verò posito*, Edẽ, *siue* Edenen, *regionem esse in Syria, in qua* Deus *tertio die quum terras vestiret suis plantis, hortum siue pomarium siue paradisum amœnißimum constituerit, cætera videnda sunt quæ de horto illo dicuntur.* In *eum hortum siue paradisum generis omnis arbores egregias & plantas quasuis frugiferas & iucundas congesserat* Deus, *è quibus victum sibi sumeret homo.* In *ijs autem plantis fuerunt arbor scientiæ boni & mali,* Item *arbor vitæ. Quod autem sequitur de fluminibus, quibus rigabatur hortus ille consitus in* Edene, *obscurius est si ad phrasim* Latinam *exigatur. At si ad* Hebraicam *dicendi rationem relatam perpendatur, facillimum fiet.* Latina *autem sic habent*: Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuidebatur in quatuor capita. *Quæ verba melius consentient cum rei narratione & eiusdem*

explicatione, si ita reddantur: Et fluuius erat egrediens ex Edene, hoc est, Fluuij procedebant & profluebant ex Edene regione, ad rigandū pomariū, & inde diuidebātur, & erant in quatuor capita. Istud aūt vt intelligatur, quod alioqui doctos viros permultos turbauit & incertos retinuit, animaduertendū est ex Hebræa dicendi ratione pendere: qua fit vt sæpißimè permutentur numeri, ac modò pluralis pro singulari vsurpetur, modò singularis pro plurali, quemadmodum hoc loco fieri certum est. Huius autē rei si quis requirat exempla, præter ea quæ ex initio Geneseos suppeditātur, reperiet apud Rabi Dauid Kimhi in Miclol, vbi vox paalu, tractatur. singularē aūt numerū pro plurali poni, quia id in præsentia necesse est animaduerti, videre licet, ex eo quod Gen. c. 1. ver. 12, dicitur: Et produxit terra herbā virentē facientē semen iuxta speciem suam, & arborem facientem fructum, id est, & arbores pomiferas & herbas virentes seminibus suis onustas, iuxta suas species produxit terra. Item capite Genes. tertio. De fructu arboris horti comedimus, id est, de fructibus arborum horti licet, & fas est nobis edere: quod Latinus interpres animaduersum, per pluralem numerum, sicuti linguæ Latinæ postulabat ratio, reddidit hoc modo: De fructu lignorū quæ sunt in Paradiso vescimur. Adhæc eodē cap. v. 8, habetur, in medio arboris Paradisi, id est, inter dēsas Paradisi arbores abdiderūt se Adamus et Eua. Qua ratiōe in hac nostra historia dicitur, Et fluuius erat egrediens, id est, Et fluuij egrediebātur ex Edene. quasi diceretur, Et fluuij qui ex superio

ribus & diuersis locis influebant in regionem Edenensem; posteà commeabant in illum hortum consitum in Edene, vt ijs rigaretur, quum esset amplißimus, egeretq; multo humore & riuis quàmplurimis.

Ita autem locum istum esse accipiendum & interpretandum, cogente nos ad eam interpretationem locorum situ & re ipsa, apparet. Edenem enim esse regionem Syriacam, aut esse ipsammet Syriam, quomodo eam multi Geographi finierunt, vt etiam Mesopotamiam contineret, ex ijs quæ prius sunt dicta, potest intelligi. Fontes Tigridis & Euphratis fluuiorum, de quibus hoc loco non ambigitur, esse in Armenia, locis inter se plurimum distunctis ex Plinio cap. 9. lib. 3. discimus. Item ex Strabon. lib. 11. intelligimus. Ait verò Strabo, Tigridis & Euphratis fontes distare inter se stadijs duobus millibus & quingentis: id est, centum leucis nostratibus, & eo plus aliquanto. Hi autem omnes posteà confluunt, eamq; quàm Græci Mesopotamiam dicũt efficiũt & cingunt. Qui verò prætereà memorantur in hac historia fluuij Phison & Gehon, rigant Arabias, vt ex sequentibus constare poterit: neq; ex eodem fonte profluunt. Quod ita collegerunt priores, ex eo quod dicitur fluuius egressus ex Paradiso, qui inde diuidebatur in quatuor capita. Fluuiũ enim ex certo fonte prodire statim arripuerunt: inde alia collegerunt, scilicet, quia ex vno fonte laberetur & prodiret fluuius, eum posteà in plures riuos spargi, qui alijs collectis riuulis, fierent posteà flumina ingentia. Ad hæc alia sunt adiuncta minus cohærentia, quæ falsam loci interpretationem arguerẽt. Neque verò Phison & Gehon, sunt idem quod nonnulli asseue-

asseuerarunt nimis insulsè & insipienter, nempe Nilus & Ganges. quum regiones quas alluunt Phison & Gehon describat satis apertè Moses, quæ nec Aegyptum, nec Indiam significant, vt permultis visum & creditum fuit, sequentibus alienos errores. quos sparsisse videtur Iosephus ex peruersa loci huius interpretatione, qui antiquitatum Iudaicarum lib. 1. cap. 2, hæc prodidit: Narrat præterea (Moses) Deum hortum ad Orientem plantasse, omni plantarum varietate refertum: & in his fuisse arborem vitæ, & aliam sapientię, per quam dignosceretur bonum à malo. In hunc hortum quum introduxisset Deus Adamum cum vxore, iussit eos plantarum curam habere. Rigatur autē hic hortus ab vno amne vniuersam in circuitu terram lustrante, qui in quatuor diuersos alueos funditur. Horum qui Phison nominatur, ea vox multitudinem significat, ad terram Indiam delatus, in illud se pelagus exonerat, Græcis Ganges appellatur. Euphrates autem & Tigris in rubrum mare exeunt, quorum Euphrates vocatur Pherath; id significat vel dispersionem, vel florem. Tigris autem Hidequel, quod interpretatur Augustus simul & velox. Geon autem Aegyptum mediam secat, qui nobis eum fluuium significat, quem Græci Nilum appellare solent. *hæc Iosephus. Cui accesserūt ferè qui sequuti sunt Theologi & scriptores rerum istarum: qui quàm aliena à vero, et dissentanea ab ipso Mose dixerint, facilè ex absur-*

dis quæ hinc sequuntur, potest animaduerti: quæ veritate rei exposita ex Sacris literis, & ipso Dei verbo, facilius deprehendentur. Et vt à *fluminibus ordiamur:* Nilus, Aegypti *quidem fluuius est celeberrimus, satis notus ex multorum* Geographorum *&* Historicorum *scriptis: quemadmodum etiam* Ganges, *Indiæ maximus fluuius agnoscitur à quibusuis scriptoribus.* Qui *fluuij, regionibus à se tam longè dißitis remoti, nō possunt existimari ex vno eodemq; fonte aut riuo eodem manasse, qui esset in horto illo & pomario* Edenensi, *vt multis visum est, dißidentibus à* Iosepho. *Illi enim fontem statuunt in* Paradiso, *ex quo fluuius fundatur, qui postea diuidatur in quatuor flumina, quæ quidem diuersas postea regiones obeant, & peruagentur. Sed istud & locorum situs & naturæ historia nequaquā patitur.* Et *tamen hoc placuit nostris quibusdam interpretibus commentū, qui non tam spectarunt quid Sacra doceret historia, quam quid veluti per manus ab ijs accepissent. Sed nos neglectis quorumuis placitis, par est non quid scriptores senserint aduertere, sed inspicere decet quid* Spiritus *sanctus sacris oraculis docere nos voluerit. Ergo censendū est hos fluuios lapsos ex diuersis locis* Edenensis *regionis, postea tanquam deriuatos in* Paradisum *influxisse, atq; inde elapsos alias obijsse regiones, quas commemorant Sacra oracula. Ita enim ait* Scriptura: Et fluuius, id est, fluuij, manabant ex Edene ad irrigandum hortum, & inde diuidebantur, & ex his præcipui erant in quatuor capita: *quasi diceret, lapsa fuisse ex* Edene *flumina, quæ per* Paradisum *euoluta, postea diuersas peterent regiones, & quatuor*

capita,

capita, id est, illustres fluuios redderent. Nam & ita Chaldæus interpres dixit, quatuor capita, hoc est, quatuor principes, siue illustres fluuios, qui sunt Tigris & Euphrates, Gehon & Phison. Noti autem sunt ex alijs Scripturæ sacræ locis Tigris & Euphrates, nec de ijs à quoquam ambigitur, vnde nulla de ijs relinquitur dubitatio.

Qui verò sint Phison & Gehon ex notis & locorum insignibus, quæ declarat Scriptura, discendum est. Phison, qui primus è quatuor his fluminibus illustribus nominatur, dicitur obire & circuire totam terram Heuila: quæ quidem regio ex auri, quod habet præcipuum & probatissimum, copia, item Margaritarum (id enim significat Hebræum vocabulum Bedola, pro quo Bdelium dixerunt) & onychum præstantia, recognoscenda nobis proponitur. Gehon autem fluuius est eius regionis, quæ dicitur Chus, pro qua Aethiopiam malè reposuerunt interpretes Græci, deinde etiam Latini Græcos sequuti. Aethiopes autem Græci, ab exusta facie nominant eos populos, qui habitantes suprà Thebaidem, quæ est superioris Aegypti regio, in Africa morantur, sub zona torrida, & ipsius solis orbita. Atq; ita Geographi omnes sumunt Aethiopes, quos docent esse Africæ populos, incolentes regionem suppositam zonæ torridæ, quæ nihil pertinet omnino ad regionem Chus, quæ quidem est in ea Arabia, à qua sinus Arabicus dicitur Ptolemæo id mare, quo disiungitur ipsa Arabia ab Aegypto. quod quidem intelligetur mox facilius & apertius.

Phison fluuius quis sit.

Gehon fluuius.

Et vt singula intelligantur commodius, de regione Heuila primùm dicendũ est, cuius situ cognito, noscetur

quoq; fluuij Phison situs & euolutio. Heuilam regionẽ, vulgò sunt interpretati Indiam, coniectura nescio qua malè interim constituta, ex qua deinde collegerunt Phisontem esse Gangem. Nos autem non tam cuiusquam au toritas, quàm vera mouere debet ratio. Neq; solùm videndum est quid quisq; dixerit, sed quàm bene quidq; à quouis sit dictum. Itaq; prætermissis hominum, quamuis doctorum & clarorum opinionibus, quid hac de re sentiendum sit, ex Dei verbo dispiciamus. Genesis cap. 21, 21, dicuntur filij Ismael habitasse in deserto Pharan. & Genes. 25, 18, dicuntur ijdem Ismaelitæ occupasse regiones quæ sunt ab Heuila vsq; Sur, quæ spectat Aegyptum, eo itinere quo petitur Assyria. Ad hæc 1. Samuelis 15, 15, dicitur Saul percussisse Amalecitas ab Heuila vsq; Sur, quæ spectat Aegyptum. Ex ijs locis seu regionibus quas Ismaelitæ & Amalecitæ intelliguntur occupasse, quarum termini & limites sunt Sur & Heuila, facilè est videre hæc loca longissimè abesse ab India. Eademq; opera statui potest de Heuila regione, vbinam locorum, & qua parte orbis sita sit, præsertim quum nota sit regio Sur, & sedes Amalecitarum et Ismaelitarum non sint ignotæ. Desertum scilicet Pharan, & loca illi vicina, quæ esse in Arabia petræa intelliguntur. Sur autem desertum, dicitur primùm excepisse Israelitas egressos mari rubro, id est, de sinu Heroopolitico, vt Geographorum more loquamur. Sic enim Exod. 15, 23, scribitur: Tulit autem Moses Israel de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur, ambulaueruntque tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam: & venerunt in Ma

[Heuilæ regionis situs.]

ra,

ra, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd essent amaræ. *Proximè autem desertum* Sur *incipiebant Amalecitarum sedes, qui armata manu Israelitas fessos de via sunt aggreßi in Raphidim, vbi postea repreßi sunt à Iosue, vt est* Exod. 17, 8. *Chaldæus autem paraphrastes Sur conuertit Hagra: ea verò fuit regia eorum Arabum, qui oram maritimam sinus Elanitici tenuerunt, vt ex Plinio colligimus, qui de istis Arabibus ita ait*: Regia eorum Hagra, & in sinu Elana. Lib. 6. cap. 29.
Amalecitarum autem sedes fuisse longius per Arabiam petræam productas, ex historia regum Amraphel, Arioch, Cordolaomor, & Tedal intelligimus, quæ Genes. 14, describitur. vbi reges isti dicuntur percußisse totum agrum Amalecitarum & Amorrhæorum qui habitabãt in Hassasson-thamar, id est, Engaddi, vt conuertit Chaldæus paraphrastes. Item ex Saulis historia quam modò citauimus, ex 1. Samuel. 15, Cinæos permistos fuisse Amalecitis audimus: quos ab Amalecitis iußit secedere Saul, ne ex illorũ cæde & ruina damni quidpiam ad eos perueniret. Cinæos verò illos habitasse in ijs montibus, quibus fœlix Arabia, versus sinum Persicum, dirimitur à petræa, intelligimus ex Balaami oratione & prædictionibus quæ sunt Numer. 24. Est igitur Heuila limes earum regionum, quas Amalecitæ possederunt, quas cum Madianitis & Idumæis vicinas & confusas propè habuisse per Arabiam, ab Aegypto vsq; ad Euphratem & sinum Persicum, ex Historia sacra colligimus. Nam ij populi ab ijsdem maioribus orti, & ijsdem legibus imbuti, propinquas auorũ regionibus sedes occuparunt, & insederunt. Vnde animaduertimus Heuila, quæ finierit Ara- Heuila quę regio sit.

biæ petrææ & desertæ incolas, statuendam esse ad Arabiam fœlicem, iuxta sinum Persicum. *Præsertim quum præter aurum quod ea regio profert egregium, habeat quoq; vniones & onyches, quæ quidem in* Persico *sinu reperiri larga copia, docent historiæ prophanæ:* Bedola *verò quòd ibi nasci & inueniri dicit* Scriptura, & Latinus *interpres conuertit bdelium: Septuaginta autẽ reddiderunt* ἄνθρακα, *id est, carbunculum, debet intelligi vnio: quod ex mannæ historia liquere potest.* Ita enim Numer. 11. *cap. de manna agit Scriptura*, Veēno. keen ha bedola, & oculus eius, *id est, et color eius, qui oculis distinguitur, similis erat oculo, siue colori bedolah, id est, vnionis.* Nam Exodi 16, 14, *eadem in re dicitur*, Daq mehuspas, daq kaxephor, quiddam minutum rotundum, *minutum, inquam, pruinæ more. Quod annotandum putauimus, vt & loci certior esset notitia, & ne quem verborum moraretur obscuritas.*

Phison autem fluuius est, qui regionem Heuila *obit & rigat, quem ex iam dictis, labi in sinum* Persicum *affirmare possumus. Quod verò nomẽ habeat apud prophanos autores dicere non possumus, quia regionum illarum in* Græcis & Latinis *autoribus non satis nota sit ratio, neque vera aut satis certa constet nobis illorum locorum descriptio.*

Reliquus est nobis amnis Geon, *cum terra* Chus *explicandus: qui autem est* Hebræis Guihon, *Græcis interpretibus* Γηὼν, *ex quo* Latino *interpreti similiter dicitur* Geon. & *interdum addita aspiratione* Gehon. *Est verò alius ab isto amne* Geon, *eiusdem nominis* Ierosolymorum *riuus, qui* Hebraicè *quoq; dicitur* Guihon. 1.

Reg.

Reg.2,33,vbi vngitur Salomo in regem,quem Γιὼν,per iota prima syllaba dicunt Græci, & Latinus interpres nominat Gihon. Cuius etiam 2.Paralip.32,30, fit mentio, vbi dicitur Ezechias obturasse superiorem fontem aquarũ Gihon,& auertisse ad Occidentem ciuitatis Dauid. Chaldæus autem interpres hunc Gihon nominat Siluha, ex alio nomine Hebraico Siloah, quem nostri de sua ratione dicunt Siloe, quemadmodum ex Noah, dixerunt Noe,& Iiphthah,Iephthe,& Terah,Thare. Esaiæ autem 8.cap.ver.6,fit mentio huius riui Siloe, et aliquot Euangelij locis. Sed iste Gihon vel Siloe,riuus Ierosolymitanus,nihil ad præsentẽ facit historiam,quòd his de quo agitur in historia Paradisi fluuius Geon, sit eius regionis quæ Chus dicitur,quam hactenus falsò crediderunt interpretes Sacrorum librorũ esse Aethiopiã: atq; inde etiam collegerunt, fluuium Geon esse Nilum, quòd ex Geographia Nilus intelligatur oriri in Aethiopia,in montibus Lunæ (vt nostri recentiores loquuntur Geographi) qui delatus per ampla Zonæ torridæ spatia,lapsusq; per Catadupos populos,apud quos sunt Nili cataractæ, postea defluat in Aegyptum. Sed Edenens regionem per quã primùm labitur Geon,nihil ad ea loca per quæ fluit Nilus pertinere, notius est & apertius, quàm vt quicquam de ea re dici amplius debeat. Aethiopiam quidẽ nostri cùm Græci tũ Latini Geographi, sub Zona torrida statuunt, in Africa Solis ardoribus exposita,quam esse Chus crediderunt pleriq;, quia Chus reddiderunt Septuaginta interpretes Aethiopiam, idq; sequutus sit Latinus interpres, & qui ferè deinceps sint sequuti Scripturæ interpretes,existimãtes verã esse illius

vocis interpretationem. sed male. Nam Chus *significat eam regionem, quam ipse* Chus *filius* Cham, *vt est Genesis 10,6,tenuerit cum suis posteris. qui eodem 10. Genesis cap.vers.7,nominantur* Saba *&* Heuila, *&* Sabatha, *&* Regma *&* Sabathaca: *item filij* Regma, Saba *&* Dadan, *quos ex alijs Scripturæ locis Arabias insedisse & coluisse nouimus. quod etiam cum* Deo *docebitur cap.6.lib.4.* Chus *autẽ &* Misraim *fratres, filij* Cham, *iunguntur in Scriptura multis locis, quòd vicinas sedes et regiones occuparint:* Chus *nempe Arabiæ oram, quæ Arabico sinui prætenditur & Aegyptiæ oræ:* Misraim *autem Aegyptum, quæ dicitur quoq; in Scriptura sacra vbiq;* Misraim, *quemadmodum & singulæ regiones de eorum nomine ferè dicuntur, qui terras primi insederint, & illuc coloni à* Deo *mandati, prole sua eas terras postea compleuerint.*

Chus *ergo in Scriptura Arabiarum partem significat, quæ incipiens ab ea ora quæ Aegyptum spectat ad sinum Arabicum, partim Petræam, partim Arabiam fœlicem complectitur. Quod hinc colligi potest: quia Madianitæ dicuntur interdum* Chusiim, *quos propterea* Chusæos, *non malè reddiderimus. Nam* Mosis *vxor* Sephora, *quæ Madianitis erat, nempe filia* Iethro *principis* Madian, *vocatur* Num.12, Chusith, *id est,* Chusæa. *quam Aethiopissam sunt interpretati, qui nobis eum locum reddiderunt quum Græcè, tum Latinè. Scriptura autem sacra Madianitas, Amalecitas & Ismaelitas ferè confundit, quòd Arabias quodammodo confusi & permisti colant isti populi cum* Chusæis: *& iis quos ipsa Scriptura* Arabim, *id est, Arabas nominatim dicit.*

Genes.

Genesis enim 37, in historia venditi Ioseph, dicuntur transiisse Mercatores Madianitæ, deinde venditus Ismaelitis dicitur Ioseph. paulò pòst dicuntur Madianitæ vendidisse Iosephum Putiphari. Capite verò Genes. 39. dicitur Putiphar emisse ipsum Iosephũ ab Ismaelitis, quos in eadem re nominat Chaldæus, Arabas. Iudic. 6. post sementem dicuntur soliti ascendere in terram Israel, Madianitæ, Amalecitæ, & alij populi Orientis, qui postea Iudic. 8, 24. vocantur Ismaelitæ: hos verò populos vnà Arabum nomine contineri negabit nemo, qui eos esse Arabiarum incolas intelliget. Arabas autem & Chusæos nõ longè à Palesthinis abesse, & Meridiana Iudææ plaga, docet historia Ioram, quæ habetur 2. Paralip. 21, 16. in qua hæc dicũtur, ויער יהוה-יהורם את-רוח הפלשתים והערבים אשר על-יד כושים. *id est,* Et excitauit Dominus spiritum Palesthinorum & Arabum qui sunt iuxta regionẽ Chusæorum. *Eam verò regionem malè & perperã nostri conuerterunt Aethiopiam, quæ nihil habet cõmune cum Palesthinis. Ita vicinos esse Palesthinos, Arabas & Chusæos videmus. Ex historia etiam regis Asa possunt agnosci Chusæi malè redditi per Aethiopes, quum ipsi Chusæi ad Arabiam petræam pertineant, in qua Arabum Chusæorum rex, nomine Zara, qui dicitur 2. Paral. 14, Haccusi, id est, Chusæus, tantum exercitum duxisse memoratur aduersus regem Iuda Asa, quantum nullus vnquam regum, quod quidem proditum sit historijs prophanis. Nam, vt est 2. Paral. 14, hic Zara Chusæus, habuit in suo exercitu decies centena millia militum, cum trecentis curribus falcatis. Quem tamen exercitum mul*

multitudine ferè innumerabilem, parua manu fudit fugauitq; Asa, Dei præsidio. Spoliauitque aliquos regis ipsius Zaræ vrbes, finitimas Geraris. Gerara autem vbinam sint ex peregrinationibus Abrahæ constat. Genesis enim vicesimo, dicitur Abraham profectus ex querceto Mambre in terram Australem, & habitauisse inter Cades & Sur, quũ peregre abijsset Gerara, vbi rerũ potiebatur Abimelech. quod idem ex Isdaci constat historia Genes.26,1. Ita regio Chus, quam Solis orbitæ suppositam multi hactenus crediderũt, quòd eam malè sint interpretati cùm Græci tum Latini Aethiopiam, Gerara & Palesthinam spectans Arabia est Aegypto contermina. & Chusæi, quorum terras rigat Gehon, Arabes sunt in ea Arabiæ parte habitantes, quæ versus sinum Heroopoliticum ad Arabiam petræam & fœlicem declinat. Ex quo facile est intellectu, Zara Chusæum malè fuisse dictum Aethiopem à nostris: & Chus malè redditam Aethiopiam: quum fuerit dicenda Arabia Aegyptiæ oræ prætenta.

Cæterùm vt labi fluuium Geon dicamus per eas oras quæ sunt Palesthinæ finitimæ et confines, quibus nomen Chus est attributum, facit non modò regionis Chus memorata & designata positio, sed Septuaginta quoq; interpretum nostræ consentiens historiæ sententia & autoritas. Qui fluuium Sihor, qui quidem limes est Gazæorum Palesthinorum, tendẽtium versus Aegyptum,
Cap.2,18. *reddiderunt per Gehon apud Ieremiam, vbi ait:* Et vos quorsum teritis viam quæ fert in Aegyptũ, vbi bibatis aquas Sihor? *Ea verò reddita sunt hoc modo à Septuaginta interpretibus*, καὶ νῦν τί σοι καὶ τῇ

ὁδῷ

ὁδῷ αἰγύπτου τοῦ πιεῖν ὕδωρ γηών. *id est*, Et nunc quid tibi & viæ Aegypti, vt bibas aquam Geon? *Latinus autem interpres dixit*, Et nunc quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam? *Ita enim Latinus nomen hoc proprium sumpsit pro appellatiuo, non solùm isto loco, sed Iosue quoque cap.13,3, vbi Hebraica ita reddit*: A fluuio turbido qui rigat Aegyptum. *quum dicendum fuerit*, A Sihor fluuio, quâ spectat Aegyptum. *hoc est, à Sihor fluuio qui Palesthinam terminat eo itinere quo petitur Aegyptus. Attamen 1.Paralip. cap.13,5, Latinus hoc nomen esse proprium animaduertit, qui eum locum ita reddidit*: A Sihor Aegypti, vsque dum ingrediaris Emath. *id est, à Sihor flumine quod Palesthinæ limes est, & terræ promißionis terminus, vsq; ad Ituræos conuocauit Dauid omnes Israelitas, ad reducendam arcam Domini. Et Sihor quidem quum ex Latina interpretatione, tũ ex malè cognitis terræ promissæ limitibus, quidam Nilum sunt interpretati. Sed terra promissa Israelitis finitur Gazæ limitibus, quos Sihor fluuius definit, vt ex istis, & aliis Scripturæ locis constare potest. A Gazæ autem finibus ad Aegyptum longa sunt interiecta terrarum spatia, & multa loca illustria interposita, quæ docẽt longo interuallo distare Sihor à Nilo, cuius primum ostium, quod ea parte occurrit, dicitur Pelusiacum, quod nostri Damiatam ab vrbe censuerunt esse, quã nunc nominant Rosetam. Inter Gazam autem & Pelusium ista recensent Geographi loca illustria, Casium montem lacũ Sirbonidem, Ostracinem, Pompeij sepulchrum, Chabriæ castra, & alia præterea:*

quæ magno satis argumento sunt, Gazam & Gazæ fines, atque agros longè à Nilo & Aegypto ipsa abesse. Adhæc, Propheta Sihor collocat eo itinere quo descenditur in Aegyptum: quæ docent apertè Sihor non posse esse Nilum. Quòd si autoritatem & interpretationē Septuaginta putabimus nobis hoc loco sequendam esse, vt idem censeatur nobis esse fluuius Sihor & Geon, certè intelligemus Geonem per eam Arabiam decurrere, quæ attingit Palesthinæ fines, & vergit ad sinum Arabicum, quem mare Rubrum in Scriptura dicimus, quæq; dicitur Scripturæ sacræ Chus, quòd eam Chus frater Misraim occuparit, & tenuerit. Ex his opinor iam potest intelligi, vbi sint Heuila regio, & qui rigat illam Phison fluuius. item vbi sita sit regio Chus, & Geon eius regionis fluuius: quæ quidem ad Arabias pertinere, docent ea quæ hactenus ex Scriptura sacra proposuimus. Vnde & situs regionis Eden, & Paradisi, id est, horti illius celebris & amœni, consiti in Edene, potest intelligi. Vnde malè conuersa fuisse Hebraica quæ sunt de Paradiso sumpta cùm in Græcum tum in Latinum sermonem, apparet. Quæ ita fuisse vertenda liquere potest:
Fluuij autem ex Edene defluebāt ad irrigandum Paradisum, qui postea ex Paradiso elapsi, quatuor flumina illustria & magna efficiebant. Primi fluminis nomen est Phison, qui alluit & rigat regionem Heuila, quæ aurum optimū profert, & vniones & onyches. Alterius fluminis nomen est Geon, qui quidem regionē Arabicam Chusæam rigat, &c.

Confluxisse autem istos amnes celebres, Tigrim, Euphratem,

phratem, Phisontem, & Geontem in Paradisum, atque inde ex Paradiso elapsos diuersas obiuisse terras, non debet videri mirum, quòd ampla terræ spatia fuerit hortus ille complexus, fueritq; instar amplißimi cuiusdam regni, in quo collocatus Adamus, quàm multorũ à Deo bonorum dominus esset constitutus, cerneret. Congesserat enim Deus in eum locum, & contulerat omnis generis herbas & arbores, quas habuit locis aptis & idoneis consitas, nempe vallibus, montibus, & locis planis, item apricis & vmbrosis variè dispositis, prout opus fuit ad eas res continendas & exhibendas, quas infinitas profert ex Dei imperio ipsa tellus. Habuit etiam idem locus & hortus animantium genus omne, id est, volucrium, & quadrupedũ species vniuersas. quibus quàm amplo fuerit opus ad stabulandum spatio, iudicandum ijs relinquo qui in naturæ historia cognoscenda & contemplanda vel minimùm sunt versati. Deus enim, vt est Genes. 2. 19, Formatis de humo cunctis animantibus terræ & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia & vniuersa volatilia cœli, & omnes bestias terræ. *Sic Latinè habentur ista, in nostra vetere translatione. Vnde colligimus Deum omnia animantia proposuisse Adamo, vt ea agnita suis appellaret nominibus, intelligeretq; quantum illi esset à Deo paratum in terris imperium, quantaq; esset à suo parente Deo Optimo Maximo donatus sapientia: quum tam varia rerum no-*

titia se instructum animaduerteret. Itaque Paradisum *ipsum amplißimæ regionis instar fuisse licet colligere: quod flumina per illum labentia demonstrant, & totius naturæ loco illo contento repræsentatio arguit. Paradisi verò amœnitatem cum tempore exoleuisse intelligimus, maledictione* Dei *terram ipsam totam occupante; manente nihilominus ea regione, & eo fluuiorum situ quem* Scriptura *declarat, qui* Mosis *temporibus, vt erat, agnoscebatur: qui figura ista adiuncta illustrari & agnosci poterit.*

Subiicitur Sciographia regionis Eden.

CHRONICVM, SIVE SVPPVTATIO TEMPORVM, FIRMISSIMIS Sacræ scripturæ testimoniis demonstrata.

AVTORE MAT. BEROALDO.

LIBER TERTIVS.

Tempus ab orbe condito ad diluuium, quod est annorum mille sexcentorum quinquagintasex. Cap. I.



VAE hactenus de tempore eiusq; partibus, scilicet horis, diebus, hebdomadibus, mensibus, & annis diximus, quia ad Chronologiam, id est, temporis rationem pertinebant, non potuerunt à nobis præteriri, si certam eiusce rei constare rationem voluimus, aut eam explicare debuimus: ne in temporis ratione lectores hærerent, aut de anno eiusq; partibus quæstiones, sicuti factum est hactenus, mouerent. Cætera autem quæ propter historias prophanas, quò certior earũ esset notitia, de temporũ initijs sunt dicta, et de Olympiadibus, ac vrbis Romæ natalibus, idem de mundi origine, de natura quoq; & Paradi o adiũcta sunt, argumenti serie & earũ necessaria cognitione, nos ad earum rerũ tractationẽ deducẽte: ne, quũ à primo re-

rum ortu ducendū esset atq; repetendū hoc argumentū; ignorarentur ea, quæ vt primùm scirentur atq; intelligerentur, proposita nobis esse voluit in suo verbo Dominus. Quibus expositis, ad ipsam veniendum est temporum seriem, quam Sacra scripta nobis proponunt; quæ quidem prius seculum, seu primam mundi ætatem diluuio concludunt. Cuius temporis ex Genesis capitibus quinto & septimo facilis est explicatio.

Ex quinto autem capite Geneseos hæc discemus, *Adam vixisse annos centum & triginta, ac postea genuisse Seth.*

Seth quum egisset annos centum & quinque, genuisse Enos.

Enos vixisse annos nonaginta, & genuisse Cainan.

Cainan vixisse annos septuaginta, & genuisse Malaleel.

Malaleel vixisse annos sexagintaquinque, & genuisse Iared.

Iared vixisse annos centum sexagintaduos, & genuisse Henoch.

Henoch vixisse annos sexagintaquinque, & genuisse Mathusala.

Mathusala vixisse annos centum octogintaseptem, et genuisse Lamech.

Lamech vixisse annos centum octoginta duos, & genuisse Noe.

Ex septimo verò Geneseos capite discimus, *Noe ingressum fuisse annum vitæ sexcentesimū, quum diluuio terras & continentem obruit Deus. Hi anni simul iuncti sunt 1656.*

Diluuij

Diluuij autem annus concludit annum vitæ Noe *sexcentesimum, quia diluuium cœpit anno vitæ* Noe *sexcentesimo, eius anni mense altero, decima die mensis eiusdem, vt in* Genesi *scribitur:* Egressus autem est arcâ cum suâ familiâ, & animantibus vnà reclusis, post liberatas aquis diluuii terras, anno vitæ suæ sexcentesimoprimo, mense secundo, die verò mensis eiusdē vicesimoseptimo. *quemadmodum exponitur* Genes. 8. 14. *Secundus autē de quo agitur his annis mensis, nominatur* Hebræis Mar,hes,van. *&* Græcis Δῖος, *qui fuit in anno veteri* Latino October: *est enim annus in his historiis naturalis sumendus, qui ab æquinoctio autūnali incipit, quemadmodum in anni ratione fuit explicatum.* Cap. 7. 11.

Iam verò, quòd diluuium cœpisse dicitur decimaseptima die mensis secundi, anni Noe *sexcentesimi, desiisse autem anno vertente expleto, die 27 mensis secundi, anni* Noe *sexcentesimiprimi, id adeò fit, vt intelligamus annum diluuij solarem debere sumi, quū Scriptura annis vbiq; solaribus vti soleat. Cæterùm duodecim menstrua spatia diebus constant 354: cùm alternis, singuli menses triginta, alternis vigintinouem dies compleant. Itaq; à decimàseptima die mensis secundi, anni sexcentesimi vitæ* Noe, *ad decimamseptimam diem mensis secundi insequentis anni, qui fuit vitæ* Noe *sexcentesimusprimus, annum lunarem expletum habemus, constantem duodecim mensibus lunaribus, quibus desunt dies vndecim ad solarem annum conficiendum, qui diebus conficitur 365. Quamobrem ij dies adduntur de mense secundo anni insequentis, cuius vicesimaseptima die* Noe *dici-*

tur ex Dei mandato egressus arcâ. Itaq; vndecim dies de mense secundo anni insequentis diluuium, qui iusto supereße numero videntur, ad dies epactas pertinēt, quod & Lyranus suis in hunc locum commentariis animaduertit. Ex quo intelligimus Noe fuisse in arca reclusum cum suis anno integro solari. Ab orbe igitur condito ad liberatas diluuio terras anni sunt 1656. mensibus ferè duobus additis ad eos annos. Sed hos menses in hac summa præterimus, vt ad annum insequentem referantur, quem tanquam integrum, sicuti & sequentes, nō autem diminutum commemorat Scriptura sacra. Patriarcharum autem ætates, per quas ab orbe cōdito ad diluuium demonstrantur tempora, persequitur Scriptura cap. 5. Geneseos, in hunc modum:

1 Hic est liber generationis Adam, in die qua creauit Deus hominē: ad similitudinem Dei fecit illum.

2 Masculum & fœminam creauit eos, & benedixit illis, & vocauit nomen eorum Adam in die quo creati sunt,

3 Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, vocauitq; nomen eius Seth.

4 Et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth octingenti anni, genuitque filios & filias.

5 Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongēti triginta & mortuus est.

6 Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos.

7 Vixit-

7 Vixitque Seth poſtquam genuit Enos,
octingentis ſeptem annis, genuitque filios
& filias.
8 Et facti ſunt omnes dies Seth nongento
rum duodecim annorum, & mortuus eſt.
9 Vixit verò Enos nonaginta annis, & ge
nuit Cainan.
10 Poſt cuius ortũ vixit octingentis quin-
decim annis, & genuit filios & filias.
11 Factiq; ſunt omnes dies Enos nongen-
ti quinque anni, & mortuus eſt.
12 Vixit quoque Cainan ſeptuaginta an-
nis, & genuit Malaleel.
13 Et vixit Cainan poſtquam genuit Mala
leel, octingẽtis quadraginta annis, genuitq;
filios & filias.
14 Et facti ſunt omnes dies Caiñan, non-
genti decem anni, & mortuus eſt.
15 Vixit autẽ Malaleel ſexagintaquinque
annis, & genuit Iared.
16 Et vixit Malaleel poſtquam genuit Ia-
red, octingentis triginta annis, & genuit fi-
lios & filias.
17 Et facti ſunt omnes dies Malaleel o-
ctingenti nonagintaquinque anni, & mor-
tuus eſt.
18 Vixit autem Iared centum ſexaginta-
duobus annis, & genuit Henoch.
19 Et vixit Iared poſtquã genuit Henoch,
octingentis annis, & genuit filios & filias.

20 Et facti sunt omnes dies Iared, nongēti
sexagintaduo anni, & mortuus est.
21 Porrò Henoch vixit sexagintaquinque
annis, & genuit Mathusalam.
22 Et ambulauit Henoch cum Deo, & vi-
xit Henoch, postquam genuit Mathusalam
trecentis annis, & genuit filios & filias.
23 Et facti sunt omnes dies Henoch sexa-
gintaquinque anni.
24 Ambulauitque cum Deo, & non appa-
ruit, quia tulit eum Deus.
25 Vixit quoque Mathusala centum octo-
gintaseptem annis, & genuit Lamech.
26 Et vixit Mathusala postquam genuit
Lamech, septingentis octogintaduobus an-
nis, & genuit filios & filias.
27 Et facti sunt oēs dies Mathusalæ non-
genti sexagintanouē anni, & mortuus est.
28 Vixit autem Lamech centum octogin-
taduobus annis, & genuit filium.
29 Vocauitque nomen eius Nôe, dicens,
Iste consolabitur nos ab operibus & labori-
bus manuum nostrarum in terra cui maledi
xit Dominus.
30 Vixitq; Lamech postquam genuit Noê,
quingentis nonagintaquinque annis, & ge-
nuit filios & filias.
31 Et facti sunt omnes dies Lamech, se-
ptingenti septuagintaseptem anni, & mor-
tuus est.

32 Noê

32 Noe verò quũ quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth.

Capite verò Genes. 7. vers. 11, hæc dicuntur:

Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt.
12 Et facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.
13 In articulo diei illius ingressus est Noe, & Sem, & Cham, & Iapheth, filii eius, & vxor eius, & tres vxores filiorum illius cum eis in arcam.

Ex his Patriarcharum ætates cognoscuntur. Neque verò cum Eusebio Græcorum codicum errores, sed Hebraici textus veritatem sequimur.

Tempus quod à diluuio fluxit ad promissionem factam Abrahamo, de benedicẽdis in eius semine Gentibus, annos continet quadringentos vigintiseptem. Cap. II.

POST *diluuium sua reddita est mundo facies & elegantia, quæ in totum sublata videri poterat aquarum tanta inundatione, quantam declarat Scriptura fuisse. Quindecim enim cubitis aqua montes quamuis altos supera-*

uit. Neque antè cœperunt aquæ illæ immenſæ decreſcere, quàm volucrum omne genus, & gradientium animantium fuiſſet extinctum, iis exceptis quæ arca vnà cum Noe receperat. Dei autem bonitate ſuum poſtea ſtatum priſtinum recuperauit mundanum iſtud hominibus ad certum tempus conceſſum domicilium. Hinc deinceps quæ ſunt conſecuta recenſentur tempora, per quæ deducimur ad eam quam Sacra vocant oracula temporum plenitudinem, id eſt, promiſſorum diuinorum plenam in Chriſto domino facto homine exhibitionem, & complementum eorum quæ pro ſalute noſtra perferenda erant Ieſu Chriſto domino noſtro. Ad quæ tempora, primum gradum et aditũ piis aperuit ea poſt diluuiũ ætas, quæ Abrahami anno ſeptuageſimoquinto concluditur. quæ Geneſ. cap. 11, ita recenſetur et explicatur:

Sem biennio poſt diluuium, quum annum ageret centeſimum, genuit Arphaxad.

Arphaxad quum annos vixiſſet trigintaquinque, genuit Sale.

Sale quum vixiſſet annos triginta, genuit Heber.

Heber quum vixiſſet trigintaquatuor annos, genuit Phaleg.

Phaleg quum vixiſſet annos triginta, genuit Rehu.

Rehu quũ vixiſſet trigintaduos annos, genuit Sarug.

Sarug quum vixiſſet triginta annos, genuit Nachor.

Nachor quum vixiſſet annos vigintinouem, genuit Thare.

Thare quum vixiſſet annos centum & triginta, genuit Abraham, quod pluribus & latius poſtea docebitur ex ipſa Scriptura.

Ex duodecimo verò Geneſeos capite iſtud intelligitur.

Abraham quum annos vixiſſet ſeptuagintaquinque, promißionem à Deo magnificam accipit, qua quum ipſe tum piorum genus omne fuit recreatum: nempe fœlices futuras & benedicendas omnes Gentes in ipſius ſemine, qui eſt Chriſtus Dominus, quemadmodum interpretatur Apoſtolus Galat. 3, 16. Hac autem Patrum decade expoſita, perſequitur Scriptura, & comprehendit hiſtoriam annorum quadringẽtorum vigintiſeptem: quibus poſt diluuium linguarum confuſio, & orbis in tres partes præcipuas diſtributio, qua ratione ſit facta, atque vnde fluxerit, explicatur. Præterea, quod eſt Hiſtoriæ ſacræ caput, Euangelij & ſalutis certa promißio renouatur: quæ quo tempore fuit Abrahamo ſignificata & denunciata docetur.

In hanc autem generis Noe ſeriem, irrepſit apud Græcos Cainan, præter Hebræorum codicum fidem, & autoritatem veterum codicum Græcorum: quod ex diſputatione Epiphanij liquere poteſt: in qua perſequens temporum rationem, & explicãs eam quã habent Septuag. interpretes Patriarcharũ poſt diluuiũ ſeriem, nullã omnino facit mentionẽ Cainan. Id verò nõ fefellit veteres. Quamobrẽ, Ado Viennenſis in ſuo Chronico hæc habet ita annotata: Arphaxad annorũ 35 genuit Sale. Hîc Septuaginta interpretes vnã generationem plus quàm Hebraica veritas poſuerũt, dicẽtes, quòd Arphaxad quũ eſſet annorum 135 genuit Cainan: qui quum 130 annorum fuerit, ipſe genuit Sale. *Ex his animaduertere* Tom. 1. lib. 2. cõtra Melchiſ.

possumus eos errores, qui hæserunt in Latinis codicibus ex corrupta Græca interpretatione, nõ fuisse olim ignotos, ac propterea esse tollendos. Decem autem tantùm Patriarchæ proponũtur in hac secunda mundi ætate, et primo post diluuium seculo, in veritate Hebraica. Et vt ab orbe condito ad diluuium vsq;, decem tantùm proposuit Patriarchas Scriptura, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Henoch, Mathusala, Lamech, & Noe: ita & in hac historia, decem quoq; proponit solummodo, scilicet Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Rehu, Sarug, Nachor, Thare, Abraham. Quare male & perperam intelligitur insertus Cainan in hanc seriem. Sed is error non animaduersus, propter Hebraicarum literarum superioribus temporibus ignorationem, hæsit in codicibus Græcis, posteriori ætate descriptis. Adhæc insertum est vocabulum ἑκατὸν in Græcis codicibus, id est, centum, vitiosè in his Patrum ætatibus, permutatis & confusis Hebraicis numeris, manifesto non solùm librariorum errore, sed audacia & ignoratione nescio quorum malè sanorum hominum. Quo factum fuit vt Chronologiæ ratio non constiterit Theologis Græcis in hac post diluuium ætate, quemadmodũ neq; ante diluuium: quod in priore illa ætate Septuaginta Græcorum interpretum versio pro centum nonnunquam habeat ducentos annos, ante sublatos liberos à patribus, & reliquos malè annotatos annorum numeros. In secunda autem post diluuium ætate sæpe centum supponuntur anni, quo modo priore seculo ante sublatos à parentibus liberos. Ex quo alij postea consecuti sunt errores in ipsis numeris & annorum notationibus: etsi summa annorum

rum qua quisq; vixit, retenta est. Veritas autem & emendatio omnium istorum errorũ, ex Hebræis fontibus animaduertenda est & eruenda: quemadmodum id docet Augustinus: Rectè, *inquiens*, fieri nullo modo dubitauerim, vt quum diuersum aliquod in vtrisque codicibus inuenitur, quãdoquidem ad fidem rerum gestarum vtrunque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur vnde est in aliam per interpretes facta translatio. nam in quibusdã etiam codicibus Græcis tribus, & vno Latino, & vno etiam Syro, inter se consentientibus, inuẽtus est Mathusalem sex annis ante diluuium fuisse defunctus. *Cæterùm Hebraicæ veritati subscribit Chaldaica interpretatio, Græca conuersione certior.* De ciuitate Dei lib. 15. cap. 13.

Transfusus est autem is, de quo agimus, Græcorum codicum error, & hæsit etiam 1. capite 1. libri Paralip. in versione Græca, contra manifestam Hebræorum codicum veritatem. Vnde accidit (quemadmodum existimare licet) vt capite tertio Euangelij secundum Lucam, bis Cainan fuerit positum, propter vulgò receptam atque vsitatam Græcam translationem: quæ, cùm librarijs tum doctoribus eorum temporum, sola erat cognita. Qua praua imitatione, in Actis Apostolorum error alius, qui Græcos similiter occupauit codices, in nostra Latina transmissus est exemplaria. Vbi Ioseph dicitur accersiuisse Iacobum patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuagintaquinque. quod Genesis capite 46. vers. 27, Græca corrupta exemplaria ita habent: πᾶσαι αἱ ψυχαὶ οἴκου ἰακὼβ αἱ εἰσελθοῦσαι εἰς Cap. 7. 14.

Αἴγυπτον, ἑβδομήκοντα πέντε. *id est,* Omnes animę domus Iacob quę ingressæ sunt Aegyptum, fuerunt septuagintaquinque. *Eo tamen loco in Hebræo contextu, septuaginta solùm numerantur animæ domus Iacob, quæ sunt Aegyptum ingressæ: quemadmo-*
Cap.10.20. *dum hoc idem in Deuter. ita repetit Moses:* In septuaginta ânimabus descenderunt patres tui in Aegyptum, & ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus, sicut astra cœli. *Quæ lectio consentiens veritati Hebraicæ, in codicibus Græcis Complutensibus habetur: quam etiam sua ætate Hieronymus vsitatam fuisse, libro de Quæstionibus in Genesim testatur: à qua nostris temporibus codices Græci impreßi dissentiunt manifesto errore. Quod exemplum facit, vt existimem Euangelistam Lucam citasse atq; descripsisse hæc loca, quemadmodum ea profert veritas Hebraica, quæ cùm Græcis librariis atq; etiam Scholasticis & Doctoribus consequutis ignota esset, atq; ij incidissent in codices corruptos veteris Testamenti, ex illis videntur quæ secus habebantur in nouo Testamento voluisse emendare, quæ ab Euangelistis fuerunt bene prodita & conscripta. Cui sententiæ vt accedere debeamus, facit Euangelistarum & Apostolorum diligentia, atque etiam Sacrarum literarũ, qua præditi et instructi erant, notitia: item eorũ qui postea sunt consequuti, negligentia, audacia & ignorantia, quã Hieronymi quoq; damnat testimonium, post cuius ætatem codices Græcos apparet vitiatos fuisse multis locis. Quare loca illa restituenda esse & reponenda, vt ea veritas Hebraica profert, nemini opinor dubium esse debet: vt sublatis manifestis*

fustis erroribus ex Græcis & Latinis codicibus, cum veritate Hebraica consentientes habeamus sacros codices.

Iam in singulorum Patriarcharum ætatibus aperta sunt omnia, præterquam in vnius Abrahami tempore. Quia enim in Genes. ita habetur, Vixitq; Thare septuaginta annis, & genuit Abrã, & Nachor, & Aram, *existimant plerique Abrahamum natum anno patris septuagesimo, eumq; filiorum Thare primogenitum esse, idq; ita in horum temporum ratione notant vulgò. Sed errari ab his, neque id fieri potuisse, consequentia arguunt. Nam paulò post:* Et facti sunt dies Thare ducentorumquinque annorum, & mortuus est in Haram. *Deinde cap. 12, 4, ita habetur,* Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot. Septuagintaquinque annorum erat Abram, quum egrederetur de Haran. *Egressum autem fuisse Abrahamum de Haran post mortem patris, hæc innuit historia, atque etiam id in Actis perspicuè docet Stephanus cap. 7, 4, inquiens:* Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan: & inde postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam in qua nunc vos habitatis. *Ex his locis, ætas Abrahami constat, qua erat cum patre mortuo, relictis Carris petiit Cananæam. Item patris ipsius ætas, qua obijt est manifesta, vnde certi esse possumus, Abrahamum natum esse, quum ipsius pater Thare annum ageret centesimum & tricesimum. Nam Thare vixit annos ducentos quinque, tum autem quum obijt Thare, natus*

Cap. 11. 26.

erat Abraham annos septuagintaquinque. sublatis autem septuagintaquinq; ex 205 reliqua fiūt 130. Quamobrem anno patris centesimo & tricesimo natus est Abrahamus, non autem septuagesimo, sicuti malè annotatum est & proditum Chronographorum monumētis.

Quòd verò dicit Scriptura sacra, Thare vixisse annos 70, & postea genuisse Abram, Nachor, & Aram: sic est accipiendum, vt intelligamus Thare, quum annum egisset septuagesimum, cœpisse tollere liberos istos, quos commemorat Scriptura. Quorum tamen Abrahamus non sit natu maximus, etsi primo loco recenset illum Scriptura. In historia enim sacra, non continuò quæ primo recensentur loco, prima quoq; tempore censenda sunt. Et ne in genealogijs exemplum requiramus longius, id in genere & sobole Noe reperiemus satis apertum & illustre. Genesis enim 5,32, ita habetur: Noe verò quum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth. *Hoc idem repetitur ita, cap. 6. ver. 10,* Et genuit Noe tres filios, Sem, Cham, & Iapheth. *Cham autem esse minimum seu postremum filiorum Noe, apparet ex Genes. 9,24, vbi dicitur Noe resciuisse, quæ in se admisisset Cham filius ipsius natu minimus. Sem verò non esse liberorum Noe natu maximum, ex eo constat, quòd vt iam annotatum est liberos cœperit tollere Noe, quū annum ageret quingentesimum, cuius anno postea sexcentesimo terras occupauerit diluuium, vt Genes. 7,6 docetur. Biennio autem post diluuium, Sem gignit Arphaxad, tum quum annum ageret centesimum, vt est Genes. 11,10. Quamobrem nondum annum attigerat centesimum ipso dilu-*

ulj tempore Sem. Ex quo intelligitur natus ipse Sem biennio post annum patris quingentesimum. Est igitur Iapheth, siue Iapetus, liberorum Noe natu maximus, siue primogenitus Noe, qui patris anno quingentesimo procreatus sit. Itaq; is versus qui est Genes.10,21: De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheth maiore. *sic est conuertendus,* Ipsi quoque Sem nati sunt liberi, qui quidem Sem, parẽs est generis Hebræi, & frater Iapheth vel Iapeti, liberorum Noe natu maximi. *Quòd ergo Sem primus in liberis* Noe *recensetur, id non fit ætatis ratione: quemadmodum in liberis Thare, ne ipse quidem Abrahamus nominatur primus, quia sit primogenitus, sed quia prærogatiua quadam ornatus, dignitate cæteris præit. Quæ causa est vt Sem quoq; in liberis Noe nominetur primo loco. Pietas ergo, vel ipsa potius electio diuina, quæ comitem secum trahit pietatem & Dei timorem primas partes dat Sem in liberis Noe, & Abrahamo in liberis Thare, quòd ab iis ortæ sint familiæ eæ, in quibus Dei promissiones hæserunt. Id autem intellectum, & historiam sacram, & temporum illum dictorum rationem reddit magis perspicuam: in qua etsi est à multis erratum, non est tamẽ quòd vllo autore patiamur nos à vero abduci. Præsertim quũ errores non sequendos, sed redarguendos & vitandos esse intelligamus. Quantum verò errorum sit admissum in huius ætatis historia, & consequentium ætatum, ex tam malè constitutis temporibus, relinquo ijs æstimandum, qui hæc accuratius tractare debuerunt, vt cautiores sint posthac in examinanda historia.*

Est etiam præter hæc notanda nobis linguarũ in hac ætate confusio, & triũ orbis terræ partium diuisio. Confusio autem linguarum centesimo & vno post diluuium anno contigit, quã est consecuta ipsa trium orbis terræ partium distributio. Id verò sic ex Scriptura colligimus,

Sem biennio post diluuium gignit Arphaxad.

Arphaxad 35 anno ætatis suæ gignit Sale.

At Sale post vitæ suæ 30 annos gignit Heber.

Heber autem anno 34 suæ vitæ tollit Phaleg, ipso diuisionis seu confusionis linguarũ tempore. 2.35.30.34. Summa est 101. Est autem Palag Hebræis diuidere, à quo Phaleg nomen à patre impositum habuit, quemadmodum id docetur Genes. 10, 25. Natiq; sunt Heber filij duo, nomen vni Phaleg, eò quòd in diebus eius diuisa sit terra, & nomẽ fratris eius Iectan. *Quod quidem in filio notare voluit Heber, vt homines tempus ipsum animaduerterent, quo memorabilis vel misera potius sermonis cõmutatio & confusio extitit inter mortales, quam hominũ insolentia & Dei contemptus inuexit in orbem ipsum. Nam quum vnus idemq; omnibus esset sermo, idq; inter se agitarent homines vt obscurata Dei gloria, cuius nulla tangebantur cura, suum perpetuarẽt nomen: factũ est Dei mirando iudicio vt illa conspiratio, linguarũ confusione immissa, tum fuerit soluta: quò id tandẽ ab hominibus intelligeretur, non stulta modò sed impia & maledicta quoq; consilia esse illa, quæ vt Dei gloriæ officiant ab hominibus suspiciantur. Itaq; turris illa atq; vrbs quæ turri vel arci adiuncta erat, vt structorum suorum nomen immortalitati commendaret, miserum & infœlix Babylonis nomẽ obtinuit,*

timuit,

timuit, non vno tantum terræ loco aut angulo, sed vbiq; gentium cognitum: vt miseros esse illos qui non referrēt ad Dei gloriam suam vitam et suas actiones testatū apud omnes Deus relinqueret. Babel enim, vnde est Babylonis profectum vocabulum, idem est ac si dicatur Ba, id est, venit: Bel, hoc est, confusio, id est, pro gloria quā homines Dei securi quærebant & somniabant, retulerunt iusto Dei iudicio confusionem & ignominiam.

Linguarum autem confusionem, & turris Babylonicæ structuram interruptam sequuta est trium orbis partium distributio. Quia enim tres erant liberi Noe, totius veluti orbis principes & capita, quorū singuli cum suis familiis eas sibi aptauerant sedes quas illos Deus habere voluit, factum est vt tres orbis præcipuæ partes haberi cœperint: quā partitionem Geographi quoq; tantarum rerum nihilominus ignari, retinuerunt in hunc vsq; diē. Quamobrem tres orbis partes Asiam, Africam & Europam, Græcos autores secuti, dicimus: quum istorū nominum nulla extent in Sacris libris vestigia. Itaq; prophanorum autorum prophanas & barbaras vsurpauimus appellationes, propter verarū & veterum Historiarum ignorationem. Quæ ex Sacris libris, veris & antiquitatis omnis magistris, recognoscendæ atq; etiam repetendæ fuerunt. Etsi autem infinita propè fuit tum hominum multitudo, quum diuino iudicio linguarum per hominum genus facta est inexpectata illa confusio & partitio, recensentur tamen in nepotibus seu posteris Noe soli illi, qui veluti principes, ac virtute & ingenio atq; etiam audacia fortasse superiores, sua nomina gentibus imposuerunt.

Iaphet autē, quem Græci & Latini dixerunt Iapetū, filiorum Noe natu maximi, vel primogeniti Noe, primo loco recensetur soboles & genus, deinde Cham minimi natu, postremo loco prosapia Sem explicatur, de qua postea est plurimus Scripturæ sermo. Quòd ab eo sunt exorti Israelitæ, qui dicti sunt etiã Hebræi ab auo suo Heber, apud quos promißiones suas depositas voluit Deus. A quibus etiam, quod summū est & præcipuum totius Sacræ scripturæ caput, ortus est secundum carnē Dominus Iesus Christus, in quo omnes Dei promißiones sunt etiam & amen. Mosis autē ætate, gentium quas in singulis familiis cōmemorat nomina durabant & nota erant populo Dei, quod ex reliqua quoq; Scriptura potest animaduerti. Sed ea propter Persarum, Macedonum siue Græcorum & Romanorum imperia, miseriarum & exiliorum plena, variè sunt commutata, etsi multa ex ipso Scripturæ contextu poßunt deprehendi, quæ posthac etiam certius, cum Deo, recognoscentur.

Iam autem intelligimus gentium historias ab ipsa linguarum confusione, & liberorū Noe per tres orbis partes dispersione, inchoandas esse. Sed in autorū prophanorum libris, quia vera sunt illis incognita, nec de originibus populorum certi quicquam ab iis tradi potest, Saturni & Ioues, primi omnium semper reputantur parentes, & ab eorum liberis singularum gentium dicuntur ortæ familiæ & imperia.

Sed omißis prophanis historiis, in quibus nulla est antiquitatis certitudo: eas spectemus quas Sacra nobis suggerunt oracula, in quibus natiuitas Phaleg, quæ centesimo & vno post diluuium anno contigit, confusionis

ſionis linguarum & orbis terrarum in tres partes diſtributi tempus denotat. Prætereà autem in conſequentibus Patriarcharum memoratorum ætatibus, præcipuum nihil narrat Scriptura, præterquam in Abrahamo, qui eſt decimus à Sem: quemadmodum priore ſeculo decimus erat Noe ab Adamo.

In Abrahami verò hiſtoria, eius euocatio ex patria, item promiſsio illi facta, veniunt obſeruanda. Diuino autem imperio natale ſolum reliquit Abrahamus, etſi Thare pater Abrahami introducitur in Scriptura veluti primus autor diſceſſus è patria, quæ dicitur Vr Chaldæorum, quæ eſt Meſopotamiæ vrbs. Qui ſumptis ſuis liberis, itineris aut voluntarij exilij comitibus, Carras vſque progreſſus fuerit. Carras autem eam vrbem intelligimus, quam Scriptura dicit Haran: Septuaginta verò interpretes interdum Ἀῤῥάν, *interdum* Χαῤῥάν *nominãt; quos Latinus interpres ſequitur. Hac autem de re ita loquitur Moſes;* Tulit itaque Thare Abram filiũ ſuum, & Lot filium Aran, filium filij ſui, & Sarai nurum ſuam, vxorem Abram filij ſui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Canaan; veneruntque vſque Haran, & habitauerunt ibi. *Eam hiſtoriam interpretatur Stephanus, Actorum cap. 7. inquiens:* Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ, quum eſſet in Meſopotamia, priuſquam moraretur in Charan. & dixit illi, Exi de terra tua, & de cognatione tua, in terram quam monſtrauero tibi. Tunc exijt de terra Chaldæorum, & habitabit in Charan. Et inde poſtquam mortuus Gen. 11. 31.

eſt pater eius, trãſtulit illum in terram iſtam, in qua vos habitatis. *Ex his Stephani verbis colligere licet, Abrahamum euocatum fuiſſe à Deo ex Vr Chaldæorum vrbe, in qua cum patre Thare morabatur. Dei autem mandatum quum ex filio reſciuiſſet pater, ſequendum eſſe conſtituit: ac quia ex patris imperio pendebat familia, quæ illum diſcedentem ſequuta eſt & comitata, Thare commemorãt Sacra ſcripta, veluti diſceſſus autorem, quum non tam diſceſſus autor fuerit, quàm voluntarius filij comes. Quandiu autem Thare commoratus ſit Carris, & quam ob cauſam ibi ſubſtiterit, Scriptura reticuit. quamobrem nec nos quidem de ea ſollicitos eſſe oportet.*

Cæterùm totam familiam Thare fuiſſe traductam Carras, ex eo poſſumus colligere, quòd quum tres filios haberet Thare, nempe Abram, Aran, & Nachor, obijſſet autem Aran relicto filio Loto superſtite, fuerint eò deducti Abrahamus & Lotus, vt dictum fuit, prætereà etiam Nachor: quod ex Iſaaci hiſtoria colligimus. Nam Abrahamus mittit ſeruum ſuum petitum vxorem filio ſuo Iſaaco in vrbem Nachor, vt habetur Geneſ. 24. 10. Vrbs verò Nachor ea eſt accipienda cuius incola erat Nachor, in qua fortunas & familiam conſtitutam habebat. Fuit autem Bathuel filius Nachor, qui Bathuel pater fuit Rebeccæ & Laban, quos Carris moratos fuiſſe eadem teſtatur hiſtoria. Item & Iacobi fuga, qui matris Rebeccæ iuſſu ad auunculum Laban Carras conceßit, dum ira & indignatio Eſau conquieſceret. Ex qua familia, vt gentili & cognato ſibi iuncta ſanguine, iubetur à patre Iſaaco vxorem ſumere Iacobus. Loti tamen

men & Abrahami comitum Thare mentionē facit Scriptura, ea ratione quòd vterq; relictis Carris Cananæam petierit: quam fortasse contempsit Nachor, delectatus ea sede quæ patriæ propior erat. Abrahamus autem patre suo Thare mortuo, relictis Carris, Dei iussu Cananæam adijt. Videtur verò Deus iteratò & secundò admonuisse Abrahamum suarum promißionum & de solo patrio relinquendo, quòd cum dicat Stephanus, post paternam mortem translatum inde fuisse à Deo in eam terram, quam Iudæi incolerent. Ac quia tempus discessus ex Carris annotauit Scriptura sacra, nempe annum ætatis Abrahami septuagesimumquintum, id sumpsimus ad promißionem illam insignem notandam, quæ tum Abrahamo videtur secundò fuisse subiecta & proposita: præsertim quum dicatur egressus Abrahamus ex Dei præcepto Carris, è quibus cum eo discesit Lotus, quum esset Abrahamus annorum septuagintaquinq;: vt est Gen. cap. 12. 4, annotatum.

Quòd verò quidam aiunt fœdus initum à Deo cum Abrahamo fuisse, anno ætatis ipsius septuagesimo, prorsus fide caret: præsertim quum id constare dicant ex capite decimoquinto Geneseos. Ea verò quæ capite illo recensentur, acciderunt post cæsos & fugatos reges illos, Sodomæ & Gomorrhæ victores, recepta earum vrbiū præda, vnà quoq; recuperato Loto, qui ab illis regibus fuerat abductus cum reliquis Sodomæis in captiuitatem. Lotus autem in Cananæam cum Abrahamo concesserat, anno ipsius Abrahami septuagesimoquinto, atque ex eo tempore aliquot anni fuerant elapsi, vt ex Historiæ sacræ serie constare potest. Nam post lustratam ab

ipso Abrahamo Cananæam, cogente fame & sterilitate, descendit cum Loto in Aegyptum: vnde reuersus cum amplißima familia coactus fuit optionem dare Loto, legendarum sibi diuersarum à se pastionum & sedium. Quare nulla ratione septuagesimum Abrahami annum proferre possumus, eius promißionis de qua agimus indicium. Ab ipsa autem de benedicto semine promißione, quam in annum Abrahami septuagesimumquintum conferimus ex Scriptura, quæ id tempus præcipuè notat, quo Deus ex Carris Abrahamum transtulit in Cananæam, anni sunt ad Legem promulgatam per Deum in monte Horeb, qui est in deserto Sina, 430. de quibus iam nobis est agendum.

Tempus à promissione facta Abrahamo de benedicendis propter eius semen Gentibus omnibus, vsque ad Legem à Deo promulgatam in Horeb, est annorum 430. Cap. III.



Romißiones illæ magnificæ & præmia ingentia Abrahamo proposita ab ipso Deo, quia ad nos qui per fidem in album posterorum Abrahami relati sumus pertinent, nequaquam debent leuiter præteriri. Quare si à nobis hoc loco repetuntur, non est quòd cuiquam mirum videri debeat. Sic vero habēt: Egredere de domo tua & de cognatione tua, & de domo patris

Gen.12.

patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi. Faciamque te in Gētem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictio. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. *Hæc eadem confirmantur ijs verbis:* Benedicam tibi, & multiplicabo semē tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicētur in semine tuo omnes Gentes terræ, quia obediuisti voci meæ. *Hæc sunt quæ propter Christū suum, quem Deus constituerat & designarat incarnandum ex genere Abrahami, promittuntur ipsi Abrahamo & eius posteritati, ei nempe quæ fidei ipsius vestigijs inhæret. Quæ ad nos pertinere ex eo intelligimus, quòd Genes. 17, dicitur in hæc verba:* Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. *Itaque temporis illius notatio & recordatio nobis est diligenter animaduertenda, qua se Abrahami seruatorem perpetuum, & eorum qui fide Abrahamo similes erunt, Deus professus est. Ab hac verò memorabili & insigni promissione, ad Legem ab ipsomet Deo promulgatam in monte Horeb, colligit Paulus Apostolus annos 430, inquiens:* Hoc autem dico: testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos lata Lex est, non

Gen. 22.

Gal. 4. 17.

facit irritum ad euacuandam promiſsionẽ. *Eadem etiam annorum ſumma poſita eſt* Exodi *cap.*12. 40. *quam ex* Hebræo *fonte proferre & repetere oportet, propter admiſſum in* Latina *interpretatione errorẽ.*
ישבו במצרים שלשים שנה וארבע מאות שנה
ea autem verba Latinè *ſic* ומושב בני ישראל אשר
ſunt reddita : Habitatio autem filiorum Iſrael, qua manſerunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. *Sed alio ſenſu ſunt iſta reddenda, quæ vt intelligantur, ita conuerti poterunt*: Peregrinatio verò filiorum Iſrael, qui quidẽ filij Iſrael habitauerunt in Ægypto, fuit annorum quadringentorum & triginta. *Debuiſſe autem in eam ſententiam conuerti & reddi locum iſtum, quò res accipiatur facilius, primùm docẽdum eſt, Iſraelitas nequaquam in Ægypto manſiſſe annis quadringentis triginta, quod tamen Latina videtur oſtendere & ſignificare interpretatio. quod etiam cenſent pleriq;, inducti eò, Latinæ interpretationis ratione, ſed tãtùm egiſſe in Ægypto annis* 215.

Iacob deſcendit in Ægyptum Leui iam grandi natu, quandoquidem tres de ſe iam ſuſtulerat liberos, nempe Gerſom, Caath, & Merari. Quemadmodum id confirmatur Geneſis 46.11. *Eſt autem Leui tertius filiorum Iacob, quum Ruben ſit primogenitus, & Simeon ſecundus, Simeonem autem conſequatur Leui, ſicuti proditur Geneſ.*29.34. *Ex quo, Leui fuiſſe grandem natu apparet tum, quum in Ægyptum deſcendit cum Iacobo patre ſuo. Ioſeph enim, qui liberorum Iacob fuit penultimus, eo tempore quo in Ægyptum conceſsit Iacob, an-*

num agebat trigeſimumnonum. Pharaoni enim ſiſtebatur productus è carcere, anno ætatis trigeſimo, vt eſt Gen. 41. 46. Nono autem poſtea anno in Ægyptum fuit accerſitus Iacob, cum omnibus ſuis liberis. Leui autem maior eſt natu Ioſepho, ipſumq; aliquot annis ſuperauit. Ita annum fortaſſe quadrageſimumtertium aut quartum agebat Leui, quum deſcendit in Ægyptum. Filius autem Leui, eſt Caath, à quo genus ducit Moſes: Caath verò tum pubertatis annos exceſſiſſe potuit, quia filiorum Leui ſecundus recenſetur. Sed quia de eius ætate quâ tum fuit certò nobis non conſtat, ſumatur in præſentia puerulus, atque adeò ſi quis velit, eſto in cunis, vt omnes anni vitæ illius veniant in numerum qui Exodi 6. 18, dicuntur fuiſſe 133. Ipſius autem Caath filius eſt Amram, pater Moyſis, ſicuti ibidem docetur his verbis: Accepit autem Amram vxorem Iocabed patruelem ſuam, quæ peperit ei Aaron & Moyſem & Mariam. Fueruntque anni Amram cētum triginta ſeptem. Iam Moſis ætas qua fuit tum quum legationem Dei iuſſu pro Iſraelitico populo obijt ad Pharaonem, ita deſcribitur Exodi 7. 7. Erat autem Moyſes octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti ſunt ad Pharaonem. Iſta igitur ex Scriptura conſtant, Caath deſcendiſſe in Ægyptum cum patre Leui & auo Iacob, ibique genuiſſe Amram, præterea autem Amram genuiſſe Moſem, qui Dei mandato Iſraelitas eduxit Ægypto, anno ætatis ſuæ octogeſimo. Nunc ſi Moſis annos iam dictos, item Caath & Amram, in vnam ſummam confera-

mus, & componamus, fient tantùm anni 350. neque poterit propositus in contextu Latino numerus, quadringentorum triginta annorum reperiri, in hac explicata habitatione siue peregrinatione, quum ne trecenti quidem quinquaginta ex dictis ætatibus repeti poßint, etsi eas integras sumemus: quibus tamen sunt aliquot detrahendi anni. Neq; enim Caath, neq; Amram extremo vitæ suæ anno sustulerũt istos liberos: nec ipse Caath primo vitæ suæ anno Aegyptum est ingressus, nec Amram prima ætate pater esse potuit. Et certè res est apertior quàm vt pluribus demonstrari egeat: præsertim quum Apostolus, sicuti est dictum, annos colligat 430, à promißione facta Abrahamo de benedicendis in eius semine Gentibus, vsque ad Legem promulgatam in monte Sina. quod tempus est liberationis Aegyptiacæ, à qua ad Legem datam in monte Horeb, dies numerantur solùm quinquaginta, quemadmodum mox declarabitur. Itaq; propositum contextum Hebraicum fuisse malè redditum, facilè est ex his videre. Quod ipsa quoque Græca Septuaginta interpretum docet conuersio, quæ 430 annos, qui hoc Exodi 12 loco commemorantur, non ad solam habitationem & peregrinationem Aegyptiacam refert, sed ad superiora tempora, quibus & ipsius Iacobi errores & Isaac quoq; complectitur. Israelitas enim qui fuerunt in Aegypto cum ipsorum maioribus in hãc peregrinationem, & vagationem tam diuturnam confert. Sic autem Græcè redditus est is de quo agitur versus à Septuaginta interpretibus, ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν ἰσραὴλ, ἣν κατῴκησαν αὐτοὶ, καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ἐν γῇ αἰγύπτῳ, καὶ ἐν γῇ χαναὰν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν τετρακόσια καὶ

τρια-

τριάκοντα ἔτη, *id est*, Habitatio verò filiorum Israel, quam ipsi & patres eorum habitauerũt & transegerunt in terra Ægypti & in terra Chanaan, ipsi inquam & patres eorum, fuit quadringentorum & triginta annorum. Ex *hac autem Septuaginta interpretum conuersione, animaduerti potest qui sit loci huius sensus, quem aperit perspicua oratio Pauli Apostoli. Quòd autem Mosab, peregrinationem dicimus pro habitatione, id eo facimus, quòd ea vox non habitationem modò & certas sedes significat, sed etiam incertas sedes, & errores vel peregrinationem, seu, vt Latinus alicubi in re simili conuertit, incolatum. quod arguit alia vox ab eadem deducta origine, quæ est Tosab. quæ incolam, item aduenam & peregrinum significat. Sunt autem à themate Iasab, quod est morari, siue habitare in suis sedibus, vel in aliena regione peregrè agere. Relatiuum autem Aser, quod Latinus interpres retulit ad habitationem, referendum esse ad Israelitas locus ipse & historia arguunt: vt errores Israelitarum, qui quidem certo tempore hæserunt in Aegypto, intelligantur fuisse annorum quadringentorũ & triginta.*

Hoc autem constituto, locus alter qui est Genes. 15. 13, eandemq; ad rem pertinet, nullo negotio potest expediri, qui est de quadringentis afflictionis seminis Abrahami annis. Deus autem illic sic agit cum Abrahamo: Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra nõ sua, & subijcient eos seruituri, & affligent annis quadringentis. Verumtamen gentem cui serui-

turi sunt ego iudicabo: & post hęc egredientur cum magna substantia. *Annos eo loco Deus proponit Abrahamo quadringentos, quibus eius posteri grauiter sint affligendi. Quia verò afflictionum omnium ea fuit grauißima, quam pertulerunt in Ægypto Israelitæ, de ea potißimùm agit. Peregrinum autem fuit Abrahami semen & vagabundum, nec vsquam certis constitit sedibus quietum aut sui iuris, nisi post acceptam à Deo Legem. Quamobrem ait Abrahamo Deus, ipsius posteros ad id vsque tempus futuros seruos. Id verò tempus eo loco definitur annorum quadringentorum spatio: quibus annis quadringentis addit annos triginta Apostolus: tempus annorum quadringentorum triginta, non ab hac denuntiatione deducens, sed à promißione iam dicta. Denuntiatio enim præsens, quæ annorū quadringentorum profertur, Abrahamo fuit declarata post fugatos reges victores, & recuperatum Lotum, atq; receptam à Melchisedeco benedictionem. Itaq; eo loco triginta anni, quos quadringentorum summæ adiunxit Apostolus, Galat. 3, & Exodi caput 12, nobis suggerit, prætereuntur, quia iam propè præterierant. Paulò enim ante ortum Isaaci denunciauerat ista Deus Abrahamo, instante & premente Dei iudicio Sodomā, Gomorrham, Seboim & Adama. Nec enim temporum ordinem semper obseruat Scriptura, in id intenta maximè, vt nos potißimùm earum rerum admoneat, quas nos præcipue conuenit habere notas.*

Sed quò quadringentorum istorum annorum certior constet ratio, finem eorum primùm spectare et annotare oportet, qui Exodi 12. 35, ostenditur. vbi dicuntur

Israe-

Iſraelitæ ſpoliaſſe Ægyptios Dei *iuſſu,aſportata ſecum plurima veſte,& vaſis aureis atq; argenteis. Sic enim egrediuntur cum magna ſubſtantia, quemadmodum futurum promiſerat* Deus. *Initium verò à primis annis Iſaac repetendum eſt:quia tum Abrahami ſemen cœpit affligi,& experiri contumelias atq; iniurias aduerſariorum Eccleſiæ* Dei. *Iſaac enim à quo verum Abrahami ſemen incipit puer adhuc ſenſit Iſmaelis iniurias et perſecutionẽ. Sic enim Apoſtolus riſum & ſannas Iſmaelis, de quibus agitur* Gen.21.9,*nominat Gal.4.29.* Nam quod in *Geneſi dicitur his verbis,* Cumq; vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo,dixit ad Abraham, Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac:*ſic interpretatur Apoſtolus:*Sed quemadmodum tunc is, qui ſecundum carnem genitus fuerat, perſequebatur eum qui natus erat ſecundum Spiritũ, ita & nunc.Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillã & filium eius:non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberę.*Ergo quod habemus in verſione Latina,*ludentem,*pro Hebræo* mezaheq,*diceretur ſignificantius* deludẽtem, & ſuperbè atq; contumelioſè tractantem Iſaac. *Quo ſenſu idẽ verbum ſumitur Gen.39.14,in hiſtoria Ioſephi.vbi eius hera,mulier impudens queritur adductũ à marito ſeruũ Hebræum qui ſibi illuderet,inquiẽs:*Lezaheq banu, quaſi dicat,qui nos dehoneſtaret, atq; indignis tractaret modis.*quũ igitur Iſmael cœperit perſequi Iſaac, id eſt, cũ malè tractare,& ſuperbè irridere,*

primis ipsius annis: iure inde sumitur afflictionis seminis Abrahami initium. Is enim qui secundum carnem natus erat, nempe Ismael, persequebatur eum qui natus erat secundum Spiritum, scilicet Isaacum. A primis igitur Isaaci annis, quadringenti illi anni, quibus affligendum erat semen Abrahami, incipiunt. qui desinunt in exitu de Aegypto, id est, discessu Israelitarum ex terra Cham, in qua Deus portentis & miraculis ingentibus eos iudicauit, qui Abrahami semen malè tractauerant.

Triginta verò anni, qui summæ quam proposuit Apostolus, & Exodi caput duodecimum declarat, quiq; quadringentis his annis adduntur, repetendi sunt à promißione vel discessu Abrahami ex Carris. Inde enim ad natum Isaac anni sunt vigintiquinque. quandoquidem nascitur Isaac Abrahamo annum agenti vitæ centesimum, vt est Genesis 21.5. Carris autem discesserat anno vitæ suæ septuagesimoquinto. annis autem septuagintaquinque, si addantur vigintiquinque, fient centum. Ita fit vt à promißione facta Abrahamo, soluenti Carris ad natum Isaacum sint anni 25. quibus si addantur quinque anni puerilis ætatis ipsius Isaaci, post quos fuit ab Ismaele tractatus contumeliosè Isaacus, anni triginta habebuntur. qui additi quadringentis iam dictis conficient summam errorum Abrahami, Isaaci, Iacobi & seminis ipsorum, vt dictum fuit. Hi igitur anni explent nobis summam illam quæ Galat. 3. & Exo. 12, ponitur, à promißione illa insigni Abrahamo facta, vsque ad exitum Israelitarum ex Aegypto, vel ad Legem in Sina promulgatam.

Quod verò diximus Israelitas mansisse tantùm in

Aegy-

Aegypto annis 215 ita facilè accipietur. A discessu Abrahami ex Carris, vel à promißione illi repetita apud Carras, quum illum inde transferret Deus in terram Canaan, vsq; ad natum Isaac anni sunt vigintiquinque, vt modò declarauimus. His vigintiquinque annis Abrahami addantur sexaginta anni Isaaci, vsque ad natum Iacob. Sexagenario enim Isaaco nascuntur Iacob & Esau, Genes. 25. 26. Ad hos annos si accedant Iacobi anni 130, quos egerat quum Aegyptum petiјt, vt habetur Genes. 47. 9. fient anni 215, qui à promißione fluxerunt, vsque ad descensum Iacobi, seu Israelis in Aegyptum. Deinceps autem Israelitæ incoluerunt Aegyptum vsq; ad id tẽpus, quo expletis 430 annis, inde iussu Dei per Moysem sunt educti. Complentur autem illi 430 anni, additis 215 ad illam priorem, quæ est huic par, summam. Bis enim ducenta quindecim, reddunt 430. Ex quo Israelitarum in Aegypto peregrinatio fuisse tantùm 215 annorũ dignoscitur.

Quod autem 430 annos istos definit Apostolus Legis promulgatione in monte Sina, & eosdem Scriptura terminat discessu Israelitarum ex Aegypto, Exodi 12, id eam ob rem fit, quòd vtrunq; istorum quum sit memorabile & illustre, eodem propè contigerit tempore. Nam quinquagesimo ab egressu ex Aegypto die Lex fuit promulgata Dei ore, in ipso monte Horeb. Est autem propriè Sina deserti nomen, in quo est mons Horeb, ad quẽ quinquagesimo die post liberationem ex Aegypto, Israelitæ Legem duarum tabularum acceperunt, & audierunt ab ipso Deo. Primo enim mense qui est Nisan ad vesperam diei decimiquarti, fuit mactatum Pascha, dies

insequens decimus quintus, si cum cæteris sumatur ad exactum mensem Nisan diebus, reddet nobis dies sedecim. Qui cum mensis insequentis qui dicitur Iiar diebus qui quidem erunt vigintinouem, fient dies quadragintaquinque. Prius autem id fuit demonstratum, Scripturam sacram mensibus vti lunaribus, qui alternis dies habent triginta, & viginti nouem. qua de causa mensi Nisan vel Abib, quum triginta tribuamus dies, insequenti mensi qui est Iiar, tribuimus tantùm viginti & nouem dies. Iam verò si ad eos quadragintaquinque dies qui sunt de mensibus Nisan & Iiar, accedant quinque alij dies, de mense tertio qui dicitur Siuan, fient quinquaginta, qui Pentecostem conficiunt. Est autem Græcis Πεντηκοστὴ, *quinquagesima dies: quæ vox, quia ex vsu nobis est familiaris, retenta est in Ecclesia, ad eam notandam diem, qua Lex à Deo promulgata est: cuius perpetua debet esse apud nos memoria. Tertio verò mense qui dicitur Siuan, decalogum ipsum, seu decem verba, id est, Legis diuinæ decem capita, duabus tabulis comprehensa, fuisse promulgata intelligimus: in Exodo scribitur his verbis:* Mense tertio egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai. nam profecti de Raphidim & peruenientes vsque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco. Ibique Israel fixit tentoria, è regione montis. *Deinceps explicatur euocatio Moysis in montem ad Deum: & quæ verba iusserat Deus referri ad populum. In hac legatione consumitur vnus & alter dies, ex quo fixerunt ibi tentoria. deinde responso populi per Mosem ad De-*

um relato, iubentur in tertium diem Israelitæ sese comparare ad audiendas & accipiendas Leges diuinas. Is dies tertius, quo sistere se ad accipiendam Legem iubentur Israelitæ, quintus est tertij mensis dies, vt ex historia ipsa apparet. Quamobrem bona ratione conscrimus in quintum diem tertij mensis ipsam Pentecostem, quæ festum hebdomadarum nominatur etiam in Scriptura, quòd altero à Paschæ die numerandæ essent septem hebdomades completæ, ad panes ex primitijs & nouis frugibus offerendos Domino. vnde festum quoque Primitiarum vocatur idem festum. sic vt huius festi & celebritatis institutæ, ne tanti beneficij obliteraretur memoria, plura sint nomina. Vt autem insigne fuit datæ Legis à Deo ipso, beneficium, quo certos nos de sua voluntate & nostro officio fecit Dominus, sic consignatam tanti boni memoriam oportuit esse in populo Dei, quæ festo Pentecostis, siue Hebdomadarum, siue Primitiarum, notata fuit. Ex his autem videmus liberationis Israelitæ ex Ægypto, et Legis in Horeb promulgatæ miracula & beneficia esse finitima: quò factum fuit vt vtrumque pro eodem sit scriptum tempore, quo seruitus populi Dei, & afflictio seminis Abrahami finem habuit in Ægypto.

Constituta autem post id tempus fuit in ipso Dei populo Respublica omnium præstantißima atq; optima, quam nobis Sacra Dei oracula proponunt, vt ab ipso summo, & vnico legislatore Deo fuit descripta. qua tertium nobis seculum definitur: quod pauciores habet quàm duo priora secula, quorũ annis definiatur, Patriarchas. Est enim primo seculo decimus ab Adamo Noe;

insequente autem decimus quoq; est à Sem Abrahamus: at his temporibus quibus promißionem veræ fœlicitatis renouatam exhibuit Abrahamo Deus, vsq; ad rempublicam in populo Dei ordinatam, sex tantùm Patriarchæ, quorum anni tempus illud expleant, proponuntur: scilicet Isaac, Iacob, Leui, Caath, Amram, Moyses, quorum anni digerendi sunt nobis ex Scriptura, cũ residuis Abrahami annis à septuagesimo quinto: vt historiæ varietas appareat, ex qua Dei prouidentia & sapientia recognoscatur à nobis, et Dei constet in Ecclesia sua cõseruanda veritas & potentia.

Abrahamus decimo postquam in terram Canaan venit anno, quemadmodum scribitur Genes. 16, hortatu & suasu vxoris Saræ, quæ liberorum nimis erat cupida, nec tempus expectare poterat, thori sociam adiunxit sibi Agar ancillam Aegyptiam, quum ætatis annum ageret octogesimumquintum. Ex ea ancilla statim pater factus est, & anno insequenti filium sustulit, cui dedit nomen Ismael: sicuti eodem cap. docetur: Octoginta & sex annorum erat Abraham quando peperit ei Agar Ismaelem. *Ab hoc autem Ismaele nomen est sortita gens Ismaelitica, quæ & ab ipsius Ismaelis matre Agar, dicta quoq; est Agarena, item Saracena, vt nonnulli volunt, quòd Sara vxore Abrahami velut autore, prodiit ex Abrahamo Ismael, gentis illius parens. Ea verò gens sedes habuit in Arabia, ab Heuila vsq; Sur, quæ respicit Aegyptum, vt est Gene. 25. 18. Eoq; tandem potentiæ euasit, vt Arabum populi, qui plures habuerunt suæ originis illustres patres, in Agarenorum & Saracenorum nomen concesserint. Quod ex historiis Græcis & La-*

& Latinis colligimus. Obliteratis interim nominibus Chus, Madian, Amalec, Edom, Moab, Ammon, Dedan, Hus, Cin, à quibus incolæ Arabiæ dicti sunt Chusæi, Madianitæ, Amalecitæ, Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, Dedanitæ, Husitæ, qui Iobi fuerũt gentiles in regione Hus, post montem Seir versus Sabæos & Euphratem. item Cinei cum multis alijs quoq; populis Arabiarum incolis, quos variis locis commemorat Scriptura, quorũ rara aut nulla extat in prophanorum autorum libris memoria. Pharanitas quidem memorat in Arabia Petræa Ptolomæus, qui nomen à deserto Pharan habeant, non autem à gentis autore vel parente. Pharanitæ autem, sunt Ismaelitæ. nam Ismael tenuit desertum Pharan.

Anno post natum Ismaelem decimotertio quum ageret Abrahamus annum nonagesimumnonum, vt est Genesis 17, 24, imperatur Circuncisio: quo anno Sodoma, Gomorrha, Adama et Seboim, igni cœlitus demisso sunt euersæ: vt eæ nationes quæ Deum securè contemnebãt, intelligerent Deum esse iustum, & vindicem scelerum: quemadmodũ has vrbium euersiones interpretatur iusto Dei iudicio accidisse Petrus Apostolus, Epistolæ suæ capite 2. 6. & Iudas Apostolus, vers. 7, Epistolæ suæ. Itaq; & eo loco relictus est lacus natura dirus, & horrorem spectantibus incutiens, è cuius cautibus circum littora exudat etiamnum bitumen hoc tempore, Asphaltites inde dictus, quòd asphaltos, id est, bitumen plurimùm antea in venis eius terræ extiterit, quum is ager fuisset anteà amœnißimus, Iordane amne per illas labente valles, quibus ad amœnitatem & fœcunditatem nihil deerat. Hunc lacũ Scriptura vocat, Iam hammelah, id est,

mare salis, *quod Latinus interpres dicit*, mare salsissimum: *tanta est enim eius lacus salsedo, & tantus amaror, vt nullum animal nutriat.* Ex quo *Pausaniæ dicitur in Eliacis*, νεκρὰ θάλασσα, *id est*, mare mortuũ. *Galeno verò in Simplicium libris vocatur* lacus Sodomæus, *cuius naturam longè à cæteris diuersam esse notat: quòd quum quis eo mergitur, statim vt inde emergit totus salsedine aspersus apparet. Quæ fortasse causa fuit Latino interpreti, vt id mare salsissimum dixerit. Nam et Salustius in historiis, mare Ponticum cæteris dulcius esse dixit, quum in salso, veluti in dulci, gradus quidam sint comparationum, & in mare Ponticum ingentia euoluantur & exonerentur flumina, quæ eius maris temperare possunt salsuginem. Memoratur tamẽ in Iosue cap. 15, 62,* Ir hammelah, *id est, vrbs vel ciuitas salis in tribu Iuda, proximè hunc locum, cui vicinum est* En-gaddi. *à qua vrbe fortasse lacui nomen illud dedit Scriptura: vt quemadmodum ab vrbe Adria fuit dictum mare Adriaticum, sic ab vrbe Salis, dicatur lacus Asphaltites, mare salis, quod Latinus vocat interdum mare salsissimum. Anno vno post euersas, & igne cœlesti consumptas eas vrbes quæ valles eas exornabãt, quas nunc complet lacus Asphaltites, vel mare salsissimum, nascitur Isaac Abrahamo, centesimum annum agenti, vt Genesis 21, 5 scribitur. Tum autem Sara vxor Abrahami & mater ipsius Isaaci nonagesimum agebat annum, vt Genes. 17, 17 habetur. Quo tempore ex Loti filiabus videntur nati Moab & Ammon: à quibus Moabitarum & Ammonitarum gentes sunt ortæ: quæ Pereæ, hoc est, Transiordaninæ regionis loca finitima tenuerunt,*

notæ

notæ ex multis Sacræ scripturæ locis.

Sara autem Abrahami coniux moritur Isaaco iam viro: vt qui tricesimum septimum annum ætatis ageret, quo tempore natus erat Abrahamus annos 138. Qui aliam vxorẽ nomine Ceturam asciuit, ex qua sustulit Madian, à quo sunt orti Madianitæ Arabes, Ismaelitis permixti, qui maximã Arabiæ Petrææ partem occuparũt.

Isaacus verò quadragenarius, vt est Genes.25,20, Rebeccam Bathuelis Syri filiam, sororem Laban vxorem accipit, Abrahami cura & prouisione, quòd externi generis matremfamiliâs in suam domum nollet admitti. Anno autem post id connubium decimo, moritur Sem, vt ex annorum collatione & temporum animaduersione colligitur, quũ annum explesset sexcentesimũ. Quem nonnulli existimant fuisse Melchisedecum, quia peruenit ad Abrahami atque adeò Isaaci iam mariti tempora. Sed quàm id verè censeant qui id affirmant, dicere non habeo, quum videam Apostolum in Epistola ad Hebræos cap.7,3, eum sine patre, sine matre, sine genealogia, sine initio & sine fine dierum affirmare productum fuisse à Scriptura. Genus autem Sem & ætas, atq; parentes produntur Sacris literis.

Decimo post Sem defunctum anno, nascuntur Iacob & Esau gemini Isaaco sexagenario, vt colligitur ex Genesi 25 cap. quibus iam adultis moritur Abrahamus, quum decimumquintum ætatis annum ageret, atq; ipse Abrahamus annos complesset 175, vt est Genesis 25,7. Quem quarto pòst anno cõsequitur Heber, à quo gens Hebræa nomen traxit, anno suæ ætatis quadringentesimo sexagesimoquarto. Ab hoc autẽ patriarcha Heber,

dictus fuit Abrahamus Hebræus, vtpote ab illo ortus: quo nomine Abrahami etiam posteri nominati sunt Hebræi, quorũ genus à Sem deducitur per Heber. Id enim Scriptura sacra notat, ad diuinas promißiones semper nos reuocans. Genesis enim 10.21, hoc dicitur: De Sem quoque patre filiorum Heber, (*id est, qui est parens gẽtis Hebrææ*) nati sunt liberi, est verò Sem frater Iapeti liberorum Noe natu maximi. *quẽ versum ex Hebræo ita reddendum fuisse admonuimus antea. Est igitur Sem parens gentis Hebraicæ, quæ postea Israelitica & Iudaica quoq; nominata est: quum soli Iudæi & Beniamitæ ab exilio Babylonico rediissent in Cananæam: idq; deducta per Heber patriarcham origine. ex quo errrare ij intelliguntur, qui gentis Hebrææ nomen & etymon aliunde deriuant & repetunt.*

Sequitur Iacobi historia, miraculorum atq; etiam ærumnarum & miseriarum plena, quam multis persequitur Scriptura, vt in ea tanquam in speculo Ecclesiam Dei, & piorum conditionem spectemus. Quæ etsi mortalibus misera videtur, habet nihilominus consolationis & fœlicitatis tantum, quantum debeat in hac vita quisquam exoptare, cui sit curæ vita æterna et verá, hoc est, nunquã desitura aut intermoritura fœlicitas, quæ fruenda nobis est in cœlo proposita.

Vt autem errorum Iacobi & temporum in eius historia constare poßit ratio, anni Iosephi & Iacobi sunt conferendi, quemadmodum describũtur in Genesi. Ex quib. & quo tempore venerit Iacobus ad Laban auunculum, Carras vrbẽ Mesopotamiæ, & qua ætate duxerit vxores, atq; postea redierit ad patrem in Cananæam, constare po-

re poterit. Hoc igitur primùm sumimus, Iosephum fuisse natum annos triginta, quum carcere eductus in conspectum Pharaonis productus fuit. Sic enim Genes. 41, 46 scribitur: Ioseph triginta annorum erat, quando stetit in conspectu Pharaonis. Tum verò statim ab eo tempore successerunt septem anni fertilitatis: deinde duo famis completi sunt, ad id vsq; tempus quo fratribus innotuit in Aegypto, ementibus ab eo triticum secundò. Sic enim agit cũ fratribus Genes. 45, 11, Adhuc quinque anni residui sunt famis. Septem autem annos ingens viguit in Aegypto & terra Canaan fames. Annis ergo triginta Iosephi, quos erat natus quum sistebatur Pharaoni, si addantur septem fertilitatis & duo famis, fient trigintanouem, quos attigerat quum ad illum pater ipsius Iacob descendit in Aegyptum. Quæ verò tum fuerit Iacobi ætas, intelligitur ex ipsius Iacobi ad Pharaonem oratione, quæ habetur Genes. 47, 9, in hæc verba: Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali, & non peruenerunt vsque ad dies patrũ meorũ, quibus peregrinati sunt.

Est igitur Iacobus annorum 130, tum quum Iosephus est annos natus 39. Hinc quo tempore natus sit Iacobo Iosephus apparet. Subductis enim annis trigintanouem, ex 130 patris annis, relinquentur anni Iacobi 91: qua ætate Iacobum fuisse videmus, quũ ex Rachele Iosephum sustulit. Est autem liberorum Iacobi postremus Iosephus, eorum quidem qui sunt illi nati in Mesopotamia. Ben-iamin enim qui duodenarium explet numerum marium, natus est in Cananæa ex Rachele, vt constat ex

Genes. 35,17. *Nato autẽ Iosepho expleuerat annos quatuordecim seruitutis* Iacobus, *pro duabus suis vxoribus. sic enim compellat Genes.* 30,26 *Labanum* : Da mihi vxores & liberos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam. Tu verò nosti seruitutem, qua seruiui tibi. *Seruierat autem Labano* Iacobus *annos septem pro Rachele, & fuit supposita Lia. Deinde exactis septem conuiuij diebus, Rachelem accepit, pacta septem aliorum annorum seruitute, quemadmodum id docetur* Genes. 29.

Quia verò Iosephus *est vltimus liberorum, quos in Mesopotamia* Iacobus *sustulit apud* Labanum, *qui natus est illi annum agenti nonagesimum & vnum, videmus* Iacobum *duxisse vxores anno suæ ætatis octogesimo quarto. atq; inde intra annum septimum fuisse auctum liberis maribus vndecim. Detractis autem septem annis, quibus seruierat apud* Labanum *ante ductas vxores, ex annis* 84 *relinquuntur* 77 *anni, qui tempus notant, quo ad* Labanum *venit* Iacobus: *qua ætate illũ fuisse colligimus, quando hortatu matris* Rebeccæ, *& iussu patris* Isaaci, *domum paternam reliquit tanquam profugus, petijtq; Carras maternam patriam. Quam postea relinquit, ex ea discedens, quatuordecim seruitutis annis exactis pro vxoribus, & sex præterea annis pro suo peculio. Ita enim cum* Labano *de suis miseriis & dura conditione quã apud illum pertulerat, agit* Iacobus *Genes.* 31, 41: Sicque per viginti annos in domo tua seruiui tibi, quatuordecim pro filiabus & sex pro gregibus tuis. Immutasti quoque mercedem meam decem vicibus. *Hinc colligimus*

mus discessisse ex Mesopotamia Carris relictis Iacobum, anno post natum Iosephum sexto, quum annum ageret nonagesimumseptimum. Inde conciliato sibi Esau fratre, & muneribus placato, superato Iordane, repetijt Cananæam: atq; apud Sichimam aliquandiu moratus, coactus est postea solum vertere, propter Sichimitas malè acceptos & trucidatos, autoribus Simeon & Leui, ratione Dinæ sororis eorum, cui vis illata fuerat à Sichem filio Hemor. Ex Sichimis autem Luzam, quæ dicta est Beth-el contendit. à qua Vere insequente soluens, dum non longè abesset à Beth-lehem Iuda, vxore Rachele destituitur. quæ ex partu, filio tamē superstite, cui Beniamin fuit nomen, vitam cum morte commutauit. Postea ad patrem Isaac, & liberis maribus auctus duodecim, et amplo peculio cumulatus à Deo, peruenit, qui tum Hebron morabatur. quo verò ætatis suæ anno accesserit ad patrem Isaacum Iacobus, affirmare non possumus, quia id à Scriptura reticetur. Ceterùm Iosepho spoliatur Iacob, patre adhuc Isaaco superstite, quē ex ipsa annorum quos illi Scriptura tribuit ratione, mortuum intelligimus anno decimo, ante Iacobi descensum in Aegyptum.

Et quòd ad Iosephum attinet, quàm fuerit eius conditio dura, constat ex longo & diuturno à patria domo exilio, & misera seruitute, in quam fuerat coniectus fratrum conspiratione acerba et crudeli. Annos enim vigintitres caruit aspectu patris sui charißimi, è quibus annos quatuordecim seruitutem pertulit grauem, & periculorum plenam. Nam, vt est Genes. 37, 2, Iosephus erat annorū sedecim, quum sua profert apud patrem & fratres somnia. quæ causa, fratrum illi

conciliauit inuidiam. qua permoti vendiderũt eum mercatoribus Madianitis. qui abductum illũ in Aegyptum, Putiphari *aulico cuidam* Pharaonis *vendiderunt.* Libertate autem fuit donatus, & è seruo non modò factus liber, sed summus post regem factus magistratus, ætatis anno tricesimo. Ita quatuordecim annis seruus fidelitatis tandem & pietatis suæ pretium à Deo tulit, liber factus, atq; Aegypti princeps designatus, Alumnus patris & familiæ paternæ à Deo constitutus. Fruitur autem patris conspectu nono anno pòst, quum exactis septem fertilitatis annis, & duobus famis, patrem cum tota familia ipsius ad se euocat, & traducit.

Descendit autẽ Iacobus in Aegyptum anno famis tertio, ibiq; annos agit 17. vita enim functus est in Aegypto, annos natus 147, vt scribitur Genes. 47, 28. Iosephus autem moritur anno post Iacobum patrem suum vita functum, quinquagesimoquarto. discedit enim ex hac vita anno ætatis centesimo & decimo: Genes. 50, 22. Eum verò aliquot pòst annis consequitur Leui, qui annos 130 vixit, vt docetur Exodi 6, 16. Ita anno vigesimosecundo aut tertio à morte Iosephi, moritur Leui, Deo ad centesimum & eo plus annum suis quietem & otium in Aegypto tribuente: vt interim dum Ioseph est superstes, & ipsius fratres, cresceret Iacobi seu Israelis familia, & repleret terram, quemadmodum scribitur Exodi cap. 1. Moyses enim post obitũ Leui nascitur, anno quadragesimo & vno, quum cœpisset iam seruitus, qua plusquam tyrannica premebantur Israelitæ. Moysis autem anno octogesimo liberantur iugo regum Aegyptiorum, & ergastulo Aegyptiaco Israelitæ, expletis

errorum & peregrinationum annis, qui antea fuerunt declarati, qui sunt quadringēti & triginta. qui quidem in annum mundi conditi, bis millesimum quingentesimum decimumtertium incidunt. Hinc *quàm futiles sint, qui bis mille annos inani, id est, tempori quod* Legem *antecesßit tribuunt, intelligi potest, & vanitas eorum qui* Elianam Rabinicam *scholam sequuntur, detegitur. qua de re pluribus est dictum lib.2.cap.3.*

Tempus quod ab exitu seu discessu Israelitarum ex Aegypto fluxit ad fundatum à Salomone templum, est annorum quadringentorum octoginta. Cap. IIII.

QVID *Israelitis Aegyptiaca seruitute liberatis acciderit, & quo pacto se res eorum habuerint, vsq; ad templi Salomonici iacta fundamēta, pluribus* Scripturæ *sacræ libris describitur. Nam res eorum temporum exponuntur libris* Exodi, Leuitici, *Numerorū,* Deuteronomij, *Iosue,* Iudicum, Ruth *& Samuelis: quorum annos summatim* Scriptura *nobis in hunc modum explicat:* Factum est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egresßionis filiorum Israel de terra Aegypti, in anno quarto, mense Zio, ipse est mensis secundus regni Salomonis super Israel, ædificare cœpit domum Domino. 3.Reg.6. *Hæc annorum summa ab egressu filiorum* Israel *de* Aegypto, *vsq; ad iacta* Templi Dei *fundamenta per* Salomonem, *quod*

anno regni eius quarto factum fuisse dicit Scriptura, admonet & innuit qua ratione nodi qui in historia horum temporum occurrunt, dissolui poßint. In quibus *occurrunt primùm quadraginta errorum anni, qui sub Mose in desertis Arabicis squalentibus, & horrorem ipso aspectu incutientibus, effluxerunt & sunt transacti. Cuius temporis res gestas si quis vellet persequi, & quæ paucis verbis comprehendit Scriptura dilatare, finem vix esset habitura oratio. Dei autem bonitas immensa & electio populi gratuita facilè in hac historia peruidentur, tum iusta eius indignatio, & in nocentes, qui nullum peccandi finem faciunt, seuera animaduersio intelligitur & agnoscitur. Prætereà quale sit hominum ingenium, & quàm procliue ad peccandum, & contemnendum Deum, exemplis animaduertitur propè infinitis: quæ annis quadraginta contigerunt, qui desinunt in ipso terræ Canaan ingressu, rempublicam Israeliticã Dei iussu procurante Iosue.*

Mortuo enim Moyse, designatus à Deo reipublicæ Israeliticæ Imperator Iosue, eius curam suscepit: cuius quot annos imperium durauerit, non memorat Scriptura. Colligitur nihilominus facilè, quum supputatis aliorum temporibus, & in vnam summam coactis, viderimus quid summæ illi iam dictæ deerit. Intelligitur autem rempublicam Israeliticam rexisse annis octodecim, etsi nostri aliter sentiunt: quorum quàm sit incerta ratio, ex differentibus ipsorum opinionibus animaduerti potest.

Iosuam in administranda Republica consecutus est Othoniel, cuius administrationi tribuuntur anni quadraginta.

Post

Post Othonielem datus est rector populi Dei is qui Hebraicè dicitur Ehud. Græcis tamen Septuaginta interpretibus nominatur Ἀὼδ, qua voce nos ex ea tralatione vtimur, eúmque nominamus Aod: cui tribuuntur anni octoginta, quibus rexit Israeliticam Rempublicam.

Huic Aodo adiungitur Samgar, qui sexcentos occidit Palesthinos fuste, seu pertica aculeo armata, qua boues aguntur, cuius magistratus confertur in tempus Aod.

Deinceps sequuntur Barac & Debora, quibus anni tribuuntur quadraginta.

Hos consequitur Gedeon, qui annis etiam quadraginta præfuit Israeliticæ Reipublicæ.

Abimelech post Gedeonem præfuit summæ rerum tribus annis.

Post Abimelech Thola res administrauit annis vigintitribus.

Tholam sequutus est Iair, qui rexit Rempublicam annis vigintiduobus.

Deinde Iephthe imperium tenuit sex annis.

Iephthen sequutus est Abesan, qui rebus præfuit annis septem.

Successorem habuit Abesan Elonem. Elon autẽ præfuit rebus gerendis populi Dei decennio.

Abdon succeßit Eloni: annis autem octo populum iudicauit Abdon.

Abdonem sequutus est Samson, qui viginti annis ius dixit populo Dei.

Samsonem sequutus est Heli, Iudicũ postremus, id est,

vltimus eorum rectorum, quos nominat Scriptura Sophetim, id est, Iudices, siue Censores, aut Imperatores populi Dei. Is Heli annis quadraginta ius dixit Israeli.

Post Heli, datur Israelitis rector & censor Samuel, cognomine Propheta. Nam qui ante illum ius populo dixerunt, & bella pro tuenda Dei familia gesserunt, dicti sunt Iudices post imperium Iosue.

In Samuele autē desinit ea Reipublicæ forma, in qua non successione aut creatione summus legebatur magistratus, sed Dei voce & autoritate, quā certis argumentis patefaciebat suo populo Dominus.

Post Samuelem autem sequuti sunt reges ad Babylonicam vsque transmigrationem. Quandiu verò populo ius dixerit Samuel, non commemorant libri qui dicuntur Samuelis aut Regum: quibus neq; Saulis, disertis aut expreßis verbis definitur imperium, id est, tempus quo
Cap.13.21. regnauerit: sed in Actis Apostolorum definitur id tempus annis quadraginta, qui anni ad Samuelis & Saulis intelliguntur pertinere tempora.

Post Saulem primum Israelitarum regem, sequutus est Dauid, qui per annos quadraginta regnum tenuit. Dauidem sequitur Salomon, qui anno quo pater ipsius Dauid mortuus est, regnum adiit, & patre superstite regnauit: quare Salomonis primus in regno annus, est vltimus Dauidis. Inde primum annum Salomonis non numeramus seorsum aut per se, ne bis idem sumatur à nobis annus.

Quarto autem anno regni Salomonis ipsius, iacta sunt Templi fundamenta Dei iussu in monte Moria, eo loco quem parauerat Dauid, quemq; illi demonstraue-

rat

rat Deus, in area Ornan Iebusæi, vt est 2.Paralip.3,1. Ita ex quatuor Salomonis annis tres tantùm sumimus à Dauide, ad Templum Domini fundatum: quibus annis explentur anni 480 à discessu & liberatione Israelis ex Aegypto, vsque ad Templum Domini, primum in monte Moria fundatum anno Salomonis quarto.

Et quò res sit apertior, & comprehendantur hi numeri faciliùs, ordine per ipsos magistratus, quemadmodum ab ipsa Scriptura commemorantur, tempora persequimur, subnotatis tantùm annorum numeris & locis Scripturæ, in quibus quæ posuimus explicantur.

In annis tamen Iosue, quia nusquam ij memorantur in Scriptura certis verbis, locũ nullum citare possumus. Nihilominus tamen eos rectè definitos, ex eo poterit intelligi, quòd eos annos illi attribuimus, qui summæ præsenti annorũ quadringentorum octoginta alioqui deessent, quiq; ad eam summam explendam necessarij esse intelligi possunt.

A Moyse autem incipimus, cui quadraginta annos in magistratu attribuimus, qui colliguntur cum ex eius ætate, tum ex populi per Arabiæ deserta erroribus. Octogenarius enim Moyses Dei iussu Pharaonem adijt cũ his mandatis, vt populum Israeliticum missum faceret, & liberum abire permitteret, Deo suo sacra facturum, quæ Deus ipse imperarat. Sic enim Exodi 7,7 dicitur: Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octogintatrium, quando locuti sunt ad Pharaonem. Discessit autem ex hac vita Moyses annos natus centum & viginti, vt scribitur Deuter.34,7. Moyses centum & viginti annorũ erat, quan

do mortuus est, non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt.

Errasse autem populum per Arabum deserta annis quadraginta, docetur Iosue 3,5, & Actorum 13,18, atq; alijs pluribus Scripturæ locis.

Moses præest populo Dei seruitute Aegyptiaca liberato annis quadraginta	40.	
Iosue præest annis octodecim	18.	
Othoniel annis quadraginta	40.	Iudic. 3, 11.
Aod vel Ehud annis octoginta	80.	Iudic. 3,30.
Barac et Debora annis quadraginta	40.	Iudic. 5, 31.
Gedeon annis quadraginta	40.	Iudic. 8.28.
Abimelech annis tribus	3.	Iudic. 9,22.
Thola vigintitribus annis	23.	Iudic. 10, 2.
Iair annis vigintiduobus	22.	Iudic. 10,3.
Iephthe annis sex	6.	Iudic. 12, 7.
Abesan annis septem	7.	Iudic. 12,9.
Elon annis decem	10.	Iudic. 12,13.
Abdon annis octo	8.	Iudi. 12,14.
Samson annis viginti	20.	Iudic. 16,31.
Heli annis quadraginta	40.	1. Sã 14,18.
Samuel & Saul annis quadraginta	40.	Act. 13, 21.
Dauid annis quadraginta	40.	2. Sam. 5,4.
Salomon annis tribus vsq; ad fundatum templum	3.	3. Reg. 6.

Hi numeri summam eorũ annorum quos ex 3. Reg. 6 proposuimus, conficiũt, nempe 480, qui tempus continent quod effluxit à discessu vel liberatione Israelitarum ex Aegypto, vsq; ad templi iacta per Salomonẽ fundamenta. Atq; hæc quidẽ tempora rectè esse constituta,

summa

summa illa annorũ quæ hic redditur, & à Scriptura exponitur, docet apertè. Quod idẽ arguũt alia Scripturæ loca hic annotata: ex quibus ordine summi magistratus agnoscuntur, qui populo Dei præfuerunt à Moyse ad Salomonem vsq;, adiunctis singulorum ex ipsa Scriptura temporibus.

Primùm autẽ ad scrupos, qui his annis occurrunt eximendos, id primùm statuendũ est, sub Iudicum temporibus comprehendendos esse tyrannorũ & calamitatũ ab his in Ecclesiam Israeliticam inuectarũ annos: quibus voluit afflictum populum suum Deus, propter idololatriã, & alia quæ in eo vigebãt scelera: vt malis & plagis admoniti Israelitæ redirẽt in viam, qui Deũ suis maleficijs offenderant. Itaq; quũ dicitur sub hoc aut illo iudice vel rectore terra quieuisse per aliquot annos, ita illud est accipiendũ, defunctos suis miseriis Israelitas, et ope diuina liberatos huius aut illius Iudicis ministerio, deinceps vsos fuisse quiete & sua libertate. Eos verò annos qui dicti sunt afflictionũ siue calamitatũ, itẽ eos quib. pax et libertas viguit et valuit in populo Dei, includi numero eodẽ, atq; tẽpore illo finiri, quo terra dicatur vsa quiete.

Videtur autem Scriptura sacra sæpe eadem iterasse tempora, & veluti confudisse in Iudicum libro, quia de certa temporum illorũ ratione constabat, ex Regum libris. Quamobrem octo illi anni quibus primùm dicuntur Israelitæ oppreßi à Chusan-Rasathaim rege Mesopotamiæ Iudic. 3, 8, intelligẽdi sunt comprehendi sub ijs quadraginta annis, quibus postea dicitur terra quieuisse sub Othoniele. Sic decem & octo anni quibus dicuntur Israelitæ seruiuisse Egloni regi Moab, Iudic. 3, 14,

referendi sunt ad insequentia tempora, & iterum comprehendendi sub octoginta annis, quibus terra quieuisse dicitur sub Aod *vel* Ehud. *Quæ ratio seruanda est in cæteris magistratuū libri* Iudicum *temporibus. vt quum dicitur* Deus *tradidisse populum suum in manus* Palestinorum *annis quadraginta,* Iudic.1,1, *& promittitur postea* Manue *filius, qui asserat populum in libertatem, & vindicet à tyrannide* Palestinorū. *Quadraginta illi anni partim ad magistratum* Samsonis, *partim ad aliorū magistratum referendi sunt.* Itaq; *etiam dicitur* Samson *iudicasse* Israelem *annis viginti,* Iudic.16,31. Et *vt certior in hoc magistratu, temporis esset ratio, cap.15. libri* Iudicum, *vers.20, vt intelligeretur quò referēdi essent hi anni, ita dicitur:* Iudicauitq; Israel *in dieb.* Philistiim *viginti annis.* Ita *viginti alij anni pertinere ad alterius vnius, aut plurium magistratum intelligendi sunt: quum ex magistratuum temporibus constet nobis annorum ipsorum quadringentorum & octoginta summa, quâ, vt certâ, reliqua ista tempora dirigenda sunt & constituenda.*

Temporum autem istorū recta per magistratus quos nobis Scriptura *proponit ordinatio, locum etiam obscurum qui est in historia* Iephthe *aperit, & perspicuum reddit: quo alioqui nonnulli sunt in errorem inducti, dum numerum incertum pro certo propositum fuisse putauerunt. atq; ex eo, temporum sub prioribus* Iudici-

Iudic.11.26. *bus rationem ineundam esse crediderunt.* Locus *ita habet:* Quando habitauit (Israel) in Hesebon & viculis eius, & in Aroer & villis illius, vel in cunctis ciuitatibus iuxta Iordanem, per trecentos annos: quare tanto tempore nihil su-

per

per hac repetitione tentastis? Quo loco Iephthe iniustam & iniquam postulationem regis Ammonitarum arguit. Quia primũ ea repetat, quæ nihil ad ipsum attineant, deinde serò veniat res illas repetitum, nempe post trecentos annos, qui iam propè præterierant, ex quo eas regiones insederint Israelitæ Dei iussu, cuius quoque beneficio eas obtinuerint et occupauerint, quas nunc sibi reddi postulet. A Moyse autem sub quo terras eas quæ sunt inter Arnonem & Iabocum fluuios, vsq; ad Iordanem occupauerunt Israelitæ, ad vsq; Iephthe tempora, præterierant tantummodo anni 266. Quòd ergo possessionem trecentorum annorũ opponit iniustæ postulationi regis Ammonitarum Iephthe, id facit numero certo pro incerto proposito. Sic, vt dicat, annum agi propè trecentesimum ex quo nullus litem ea de re mouerit Israeli, pro qua iam bellum intentet Ammonita, præter æquum & bonum, & contra iura omnia, & leges tùm diuinas tum humanas.

Anni autem illi 266 ita intelliguntur: post Moysem, sub quo Seon & Og Amorrhæorum reges sunt victi & deleti, quorum terras Israelitis largitus est Deus, Iosue tenuit imperium annis 18: deinde Othoniel rebus præfuit per annos 40. Pòst, Aod Rempubl. administrauit annis 80. Deinde Barac & Debora annis 40. Quibus successit Gedeon per annos 40. Abimelech postea triennio rebus præfuit. Deinde Thola annos 23. Pòst, Iair annis 22. qui anni vnà iuncti, summã explent annorũ 266: qui à Moyse vsq; ad Iephthe imperatorem populi Dei effluxerũt. Nam post Iairum summæ rerum præfuit Iephthes, qui Ammonitas repressit, & domitos coegit in

summas angustias, liberatis eorum tyrannide Israelitis.

Est & alius longè difficilior locus in Actis Apost. de annis Iudicum, de quo nobis est dicendum in præsentia, quum propter loci necessariam explicationẽ, tum propter nostrorum plurimos, qui ausi sunt, & audent quoque loci illius permutare numeros, nulla veterum codicum autoritate, aut alio certo vel diserto Scripturæ loco edocti, aut subnixi, cuius fide moueri debeãt. Coniectura quidem duci videntur, cui tamen quàm parum fidei sit habendum mox apparebit, deductis ordine singulis Iudicum libri locis, qui de istis temporibus aliquid annotatum habent. Is autem locus de quo agimus ita Græcè habet, καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, ἔδωκε κριτὰς ἕως σαμουὴλ τοῦ προφήτου. id est, Et postea annis circiter quadringẽtis quinquaginta dedit Iudices, vsque ad Samuelem Prophetam. Quo loco pro τετρακοσίοις, id est, quadringentis, legendum censent τριακοσίοις, hoc est, trecentis. quòd facilis fuit lapsus ex priore dictione in posteriorem: et numeri ipsi annorum, quemadmodum quidem eos constituunt, & sumendos isto loco putant, non videantur conuenire. Nam à Iosue vsq; ad Samuelem anni reperientur tantùm 357, inspicientibus in eam quæ iam dicta est in Iudicibus supputationem. Quia autem septem ad eũ numerum collati exiguam contineãt summam, omissi sunt, aut detracti ab Apostolo, vt aiunt, eamq; ob rẽ dixit 350. Quòd si quis vellet legere 450, nullo modo quadraret is numerus temporibus Iudicum. Hæc est eorũ ratio, qui putant hunc locũ ita restituendũ, quem interim corrumpunt, vera commutata & peruersa lectione, cùm Græca

tum

tum Latina, quã consentientibus & Græcis & Latinis codicibus hactenus habueramus, & Dei bonitate adhuc habemus. Nonnulli autem qui certiora & vero propiora videntur afferre, id aiunt, ab exitu de Aegypto ad diuisionem terræ, annos esse 46, & à Samuele ad inchoatum Templum 84, qui si eximantur à summa 480, quæ est 3. Reg. 6, residui fient anni 350, quod oportet scribi in Actis: quia hæ summæ iam sibi consentiũt. Sed hi quid facient exemplaribus cùm Græcis, tũ Latinis, & autoribus antiquis, qui hãc lectionem annorũ 450 germanam quũ agnoscerent, plurimũ se torserunt in eius interpretatione? Adhæc ijs illud pernegamus quod pro confesso sumunt, annos illos à distributa statim terra sibi constare, & ab anno 85 Caleb, qui Iosue 14. cap. proponitur, inchoãdam istam supputationem. Estq; cur omnium illorum & diligentia & prudentia requirẽda veniat hac in re: quia in hunc annorum numerum includunt tempora Iosue, quæ esse excludenda, ea quæ proximè antecessit periodus apertè demonstrat, quæ sic habet: Et destruens gentes septẽ in terra Canaan, sorte distribuit eis terram eorum. Deinde id adiungitur, de quo est quæstio, quod Latinus permutata oratione Græca ita reddidit: Quasi post quadringentos quinquaginta annos, & post hæc dedit Iudices vsq; ad Samuel Prophetam. Declarat igitur versus, deletos à Deo fuisse per Iosuam Cananæos, & per eum atq; Eleazarum pontificem, sortitò fuisse distributam terram Canaan Israelitis, sicuti narratur Iosue capite 14. post quod tempus, ait Apostolus, Deũ dedisse populo Iudices per annos 450, vsq; ad Samuelem prophetã. Ex quo apparet

annos illos sumendos esse post distributam sorte & occupatam atq; possessam sub Iosue terram promissam, et post collocatos in promissis sedibus Israelitas: quod non statim omnino accidit post sortes ductas, quemadmodum id ipsum arguit historia. Sunt ergo anni post Iosuam defunctum, & possessam ab Israelitis terram ad Samuelem vsq;, tot repetendi quot numerat Apostolus. ὡς autem particula Græca, non dubitationis sed affirmationis est, vt ex eorum contextu liquet. Qui verò 450 annos, quos sub iudicibus proponit Apostolus, consentientibus Græcis & Latinis codicibus reperire aut explicare non potuerunt, debuerunt fateri quod res erat: nempe, se rem ipsam non assequi, & agnoscere ingenij sui tenuitatem: neq; propterea fuit eò veniendum, vt dicerent locum esse corruptum, eumq; sua autoritate priuata & arbitrio censerent immutandum.

Esse autem à Iosue temporibus, quum sub Iudicibus cœpit esse Respub. Israelitica, vsq; ad Samuelē tot annos quot recenset Apostolus, docet nos Dominus ex sua Sacra scriptura. Quomodo verò, euntibus per singula capita libri Iudicum, in quibus temporum perscribitur ratio, additis ex Samuelis lib. 1 annis Heli, poterit facilè intelligi. Quod ita demonstramus: Post destructas septem gentes in terra Canaan, & terram sorte distributam, Deus dedit Iudices populo, inquit Apostolus. Quare præterito Iosue venimus ad Iudices: de quorum nomi-
Cap. 3. 8. ne titulum habet liber Iudicum. In quo primùm dicitur Deus tradidisse Israelem in manus Chusan-Rasathaim, regis Mesopotamiæ octo annis. postea dicitur Deus dedisse populo suo Othonielē vindicē & assertorē liber-
tatis

tatis publicæ, & terram quieuisse annis quadraginta. *Præterea ver. 24 habetur:* Seruieruntq; filij Israel Egloni regi Moab decem & octo annis. *Deinde ver. 30 dicitur:* Et quieuit terra octoginta annis à præliis (post cæsum Eglonem per Aod, qui est Ehud Hebraicè.) *Ex hoc capite tertio annos iam habemus 146.*

Quarto verò capite docentur ista. vers. 3 dicitur Iabin rex Asor per Sisaran ducem copiarum suarum vehementer oppreßisse Israelitas per annos viginti.

Quinto capite, vers. 31 dicitur terra quieuisse per annos 40, sublato Sisara per Barac & Debora. Ex his duobus capitibus quarto & quinto annos habemus 60: nempe 20 Sisaræ, & quadraginta Barac: qui additis superioribus 146: fiunt 206.

Redijsse postea dicuntur ad ingenium Israelitæ, cap. 6, 1, atq; ex eo traditi fuerunt in manus Madian septem annis.

Deinde cap. 8, 28, dicitur terra quieuisse deuictis Madianitis per Gedeonem annis 40. In qua historia annos habemus 47: qui additi superiori summæ annorum ducentorum sex, annos reddunt 253.

Capite 9, vers. 22 dicitur post Gedeonem regnasse in Israele tribus annis Abimelech. Decimo capite, versu 2, dicitur Thola iudicasse Israelem annis 23. Versu 3 dicitur illi succeßisse Iair, qui iudicarit Israelem annis 22. Versu 8 dicuntur Ammonitæ oppreßisse Israelitas per annos 18. Duodecimo postea capite, vers. 7 dicitur Iephthe victis Ammonitis iudicasse Israelem sex annis. Versu 9 dicitur Abesan iudicasse Israelem septem annis.

Versu 11 dicitur Elon *iudicasse Israelem decem annis. Vers.14 dicitur* Abdō *iudicasse Israelem octo annis. Ex iis capitibus 9, 10 & 12, annos habemus 97. qui additi annis superioribus 253, conficiunt annos 350.*

Capite deinceps 13, 2 dicitur Deus *tradidisse Israelitas in manus* Palesthinorum *annis quadraginta. Capite 15, 20 dicitur* Samson *iudicasse Israelem annis viginti, quod idem reperitur cap.16, 31. atque in Samsone tempora* Iudicum *recensere & numerare desinit liber ipse* Iudicum. *Restat nihilominus* Iudex *vnus, nempe* Heli, *de quo 1.Samuelis capite 4,18 dicitur:* Ipse iudicauit Israel quadraginta annis. *Hi anni quadraginta Palesthinorum quibus oppresserunt Israelitas, deinde viginti Samsonis quibus iudicauit Israelem, & quadraginta* Heli *quibus Israelitis ius dixit, fiunt in totum centum, qui additi ad superiores 350 annos, reddunt eam summam annorũ, quam post imperium Iosue ad Samuelem vsq; recensuit in Actis* Apostolus, *nempe 450.*

Post Heli *autem sequitur* Propheta Samuel, *qui populum in officio continuit, quandiu rebus præfuit. In Samuele verò desinit iudicandi, id est, regendæ* Reipublicæ *ratio, qua qui à* Deo *lectus erat summus in Israele magistratus, & certis miraculis atq; indubitatis signis & argumentis confirmatus, agenda populo præscribebat ex verbo* Dei, *& ius populo dicebat, nullo vsurpato sibi regni aut imperij iure, quod ad suos postea transferret. Quamobrem* Gedeon *oblato sibi & posteritati suæ imperio per populum, Iudic. 8,22 ita respõdet vers. 23,* Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis

Domi-

Dominus. *Et quum Israelitæ postulant sibi designari à Samuele regem, 1.Samuel.13, id grauißimè fert Samuel, cui* Deus *istud subijcit, versu eius capitis* 7: Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. *Samuel autem post hanc populi insani rogationem, abdicat se magistratu, & suarum actionum in magistratu reddit rationem, coram tota populi congregatione, & delecto rege Saul, 1.Sam.12,5, vt quia defunctus sit magistratu, tota potestas imperandi collata in regem Saul intelligatur.*

Ex *hac autem annorum & temporum sub Iudicibus notatione, quã modò recensuimus, intelligimus certum esse Apostoli dictum, de quadringentis quinquaginta annis, à distributa sorte terra Canaan, & possessa post Iosue imperium sub Iudicibus vsq; ad Samuelem: et eum locum bene habere, nec deprauatum esse, vt quidam non satis consideratè censuerunt.*

Restat tamen scrupulus & nodus in hac annorum ratione dissoluendus: nam si damus Iudicum temporibus annos 450, & Moysis atque Iosue annos quibus præfuerunt Ecclesiæ Dei, *adiungamus huic summæ: item addamus Samuelis & Saulis, præterea Dauidis & Salomonis tempora, quibus præfuerunt Reipublicæ vsque ad fundatum Templum, longè plures annos reperiemus à discessu Israelis ex Aegypto ad fundatum à Salomone Templum, quàm definierit Scriptura 3.Regum 6, vt anteà proposuimus. Verùm vt ea tollatur difficultas, statuendum est, de summa constituta 3.Reg.6, non posse ambigi, nec de annis magistratuũ prius expositis, quum Scripturæ autoritate sint definiti. Et vt Apostoli me-*

morata supputatio intelligatur, id quoque animaduertendum est, quosdam annos bis repeti, & iteratò dici; quemadmodum afflictionum anni dicti sunt comprehendi debere, & ad eam summam referri, qua dicatur pax fuisse, & quieuisse terra à prælijs. De quo nihil sollicitus Apostolus eam summam retulit, quā sigillatim sumpti omnes isti numeri quos exposuimus, eundo per singula capita libri Iudicum, constituunt: quo modo summa quadringentorum annorum confecta est, quæ ponitur Actor. cap. 13, vers. 20.

Sunt & historiæ aliquot, quæ ad Iudicum tempora referuntur, nec satis constat in quod tempus conferendæ sint, de quibus aliquid videtur dicendum, antequā huius ætatis historiam missam faciamus, vt ijs lucis aliquid afferatur. Initio libri qui Ruth inscribitur, istud habetur: In diebus vnius Iudicis, quādo Iudices præerant, facta est fames in terra, abiitque homo de terra Beth-lehem Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide cū vxore sua ac duobus liberis. *Istud autem accidisse nonnulli aiunt temporibus Abesan Iudicis, quem volunt esse Boos, quòd Iudicum 12, 8 dicatur post Iephthe iudicasse Israelem Abesan de Beth-lehem: qui ornatur hac prærogatiua, quòd habuerit triginta filios & totidem filias, quas maritis foris locarit, totidem acceptis nuribus, quas domum suam induxerit, iisq; filios suos copularit. Sed congruere tempora vix possunt, quandoquidem Abesan ducentis quinquaginta annis, aut eo plus Iosuam consequitur, vt ex superiore Iudicum tabula constat. Sed, vt tota res clarius accipiatur, genus Iuda ex Euangelistæ Matthæi*

primo capite recenseamus, sicut etiam extremo Ruth libro explicatur. Sic autem habet Euangelista: Iudas genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autē genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Boos de Raab. Boos autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autē genuit Dauid regem.

Cæterùm ex Genes. cap. 46, 12 intelligimus Esron natum ipsi Phares, antequam Aegyptum peteret Iacob. nam Esron cū auo Iuda & patre Phares, Iacobo abauo eos deducente, adijt Aegyptum, vbi postea nascuntur Aram, Aminadab & Naasson. Est autē egreßis de Aegypto filiis Iuda princeps Naasson, vt constat ex Num. 7, 12. Salmon autem filius Naasson terram promissam ingreditur cum Iosua, qui solus cum Caleb ex sexcentis Israelitarum ætatis militaris millibus Aegypto egreßis, Cananæam est ingressus. vt est Num. 14, 30. Ita Naasson cum cæteris ætatis virilis Aegypto liberatis obijt in deserto, cuius filius Salmon terram promissam ingressus est cum Iosue. Salmon verò postea vxore Raab ducta, filium Boos sustulit, vt ex Euangelista Matthæo audiuimus. Raab autē Ierichunte excisa, propter fidem suam, quam exceptis exploratoribus mißis Iericho per Iosue, iisq; conseruatis declarauerat, recepta est in Ecclesiam Dei, cum parentibus & cognatis, quemadmodum explicatur Iosue 6, 25. Inde Boos natum esse sub Othoniele, aut paulò post Othonielem, verisimile est. Fames autē,

cuius mentio ſit in libello Ruth, ſub Boos contigiſſe, & cætera omnia quæ illo exponuntur libello, apparet ex narrationis ſerie. Quæ omnia reſerenda videntur ad tempora Aod vel Ehud: Obed autem natum fuiſſe ipſi Boos ex Ruth ſub tempora Barac, vel paulò poſt ſub Gedeonis tempus exiſtimare poſſumus. Certò autem de his ſtatuere vix poſſumus, vt tempus ipſum rerum geſtarum & annos notemus, quia quibus annis iſta contigerint non definit Scriptura. Atq; hæc de tempore quo hiſtoria Ruth contigerit, dicta ſint, quam poſſumus reſerre ad tempora Aod Iudicis, qui eſt Hebraicè Ehud.

Idoli etiam Michæ, atq; eius vi ſublati per Danitas hiſtoria pertinet ad tempora Iudicum, quæ cap. 17 & 18 exponitur: de qua aliquid etiam dicendū videtur, quòd ſtatim à morte Samſonis, quæ cap. 16 lib. Iudicum deſcribitur, continuò capite 17 inſequente dicatur: Fuitq; eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas, qui dixit matri ſuæ, Mille & centum argenteos quos ſeparaueras tibi, & ſuper quibus me audiente iuraueras, ecce ego habeo, & apud me ſunt. Quæ videntur ita dici vt cum ſuperioribus coniungenda veniant: quemadmodum etiam cenſent plerique, eo moti quòd iſta ſint ita ordine collocata, & poſita in Scriptura. Huc accedit, quòd eodem cap. verſ. 6, & cap. 18, 1 dicatur: In diebus illis nō erat rex in Iſrael. Quaſi illa acciderint paulò antè quàm daretur rex Iſraelitis. Verū iſta alio tempore accidiſſe, rerum quæ in illa hiſtoria exponuntur, cōditio & circunſtantiæ demonſtrāt. Et ne quid de narrationis ordine ſcrupuli poſſet moueatur, hæc

regula

regula, quæ interpretibus Sacrarum literarum frequenter est in ore, retinenda & recolenda est memoria: Res non ſemper ſuo ordine aut loco recenſeri in Scriptura. *quod Hebræi ſolent ita dicere,* אין מאוחר ומוקדם בתורה׃ En meohar vmucdan batora. *id est,* non eſt prius aut poſterius in Scriptura. *Quaſi dicerent, in explicandis rebus, Scripturam non ſemper ſequi aut obſeruare ſolere ordinem temporũ, quæ prioris & poſterioris ratione cõſtãt.*

Cæterùm iſtam idoli Michæ fabricam paulò poſt Ioſue tempora contigiſſe apparet. quòd, vt ſcribitur Iudicum 1, 34, Danitæ in anguſtum & arctum coacti ab Amorrhæis, quos habebant ſibi affuſos, coacti ſunt nouas ſedes quærere extra ſuam ſortem, quum non haberent ſatis virium ad hoſtes ſuos pellendos ex ſuis finibus, nec poſſent omnes qui eiuſdem Gentis erant, terminis ijs nimium anguſtis quibus erãt incluſi, cõtineri. Qua de cauſa de colonia longius emittenda ſtatuerunt. Itaq; in ipſo monte Libano ad fontes amnis Iordanis agros ſibi quæſiuerũt, exciſis et ſublatis incolis vrbis Lais ſiue Leſem, quam poſtea nominarunt Dan, de ſui parentis nomine.

In ſuis autem ſedibus ſinguli Iſraelitæ collocati fuerũt ſub Ioſue, & poſt etiam Ioſuam, vt apparet ex initio libri Iudicũ. Non enim cõtinuò ſedes ſibi à Ioſua aſſignatas obtinuerunt Iſraelitæ, ſicuti ea de re monuerat eos Deus Exod. cap. 23, 29, inquiẽs: Non eiiciã eos à facie tua anno vno, ne terra in ſolitudinẽ redigatur. Paulatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis, & poſsideas terrã. *Quòd ſi quis temporis huius certiorem requirit rationem,*

eam ex Ionathan *sacrifico idoli Michæ & Leuita reperiet. Idolum autem non passurum fuisse Iosuam in sua præsertim tribu* Ephraimitica, *si eo viuo istud contigisset, nemo vt opinor ambigit: præsertim quum dicatur* Iosue *cap.*24,1, Seruiuitq; Israel Domino cunctis diebus Iosue, & seniorum qui longo vixerant tempore post Iosue, qui nouerát omnia opera Domini quę fecerat in Israel. *Quod idem repetitur* Iudic.2,7. *Videmus autem eodem* 2.*cap. libri* Iudicum, *vt Angelus, siue nuncius, siue propheta, missus ad locum flentium, arguat Israelitas, quòd quum fuerint in promißis collocati sedibus, neglexerint tamen Dei præceptum de euertendis idôlis Cananæorum, sic vt eorum nulla extaret in posterum memoria, & de fugiendo Cananæorum consortio & societate. Quæ post mortem Iosue acciderunt, populo negligentiùs agente, & contaminante se idololatria & coniugijs Cananæorum.*

Quòd autem ad Ionathan *attinet, is fuit filius Gersom, filij Moysis, vt extat scriptum* Iudicum *cap.*18,30, Posueruntque (Danitæ) sibi sculptile, & Ionathan filium Gersom, filij Moysis, ac filios eius sacerdotes in tribu Dan, vsque ad diem captiuitatis suæ. Mansitq; apud eos idôlum Michæ omni tempore quo fuit domus Dei in Silo. *Moses autem dum ageret in terra Madian, accepta vxore Sephora filia* Iethro, *sustulit primũ filium Gersom, deinde alterum nomine* Eliezer, *vt est* Exodi *capite* 2, 21. *Ex quo intelligimus Gersom natum ipsi Moysi ante eius in Aegyptum reditum, ad populum Isreali-*

Israeliticum inde abducendum, & liberandum Dei mandato. Obijt verò in deserto Gersom cum cæteris ætatis militaris viris, qui Aegypto fuerant egreßi. Nam, vt antè monuimus, ex Numer. cap. 13, 30, soli Caleb & Iosue, ex omnibus Israelitis ætatis virilis, qui censi fuerant ab anno vigesimo & supra, ingreßi sunt terram Canaan. Nisi quis existimare velit Gersom & Eliezer, filios Moysis non fuisse egressos Aegypto, quòd cum matre Sephora repetijssent patriam ex itinere, dum peteret Aegyptũ cum sua familia Moyses, vt scribitur Exodi cap. 4, 26, quod factum fuisse colligimus etiam ex capite Exodi 18, 2, vbi Iethro dicitur tulisse Sephoram vxorem Moysis, & duos ipsius filios, & venisse ad Moysem in desertum, vbi castra fixerant Israelitæ, iuxta montem Dei. Præstat autem, meo quidem iudicio, sic statuere hac de re, vt dicantur Gersom et Eliezer cũ cæteris virilis ætatis obijsse in deserto, propter ea quæ dicuntur Numerorum capite 14, 22: Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto & solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ non videbunt terrã, pro qua iuraui patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. Huc accedit quòd qui erãt ex familia Leui mares ab vno mense censi sunt. Numer. 26, 62, quorum nullus extitit in secundo censu, eorum quos in deserto Sinai primùm retulerant in censum Moyses & Aaron Numer. cap. 3 & 26. Obierant ergo Gersom & Eliezer. Itaque dicimus Ionathan filium Gersom filij Moysis, ingressum terram promissam

cum Iosue & cæteris in deserto natis. Iosue autem mortuo quum religionem negligerent Israelitæ, nec sua Leuitis redderent alimenta, coactus est alio loco sibi victum quærere Ionathan quàm quo decimam accipere debuerat, vt Iudic.cap.17 dicitur. Fuit igitur Ionathan virili ætate tum quum Danitæ locorum angustia pressi, vt declaratur Iudicum cap,1,34, deliberarunt de quærendis parti suorum nouis sedibus. Quod fuisse factum docetur capite decimooctauo Iudicum, abducto ad eas sedes Ionathan Moysis nepote. Cuius posteri tandem illic idolo seruierunt, quandiu fuit domus Dei in Silo. Qua de re aliquid etiam dicendum est, quia pertinet ad insequentes historias.

Primùm autem arca Domini posita fuit Galgalis, vt est Iosue cap.4, vers.19. Inde fuit translata in vrbem Silo, quemadmodum Iosue cap.18,2 scribitur: Congregatiq; sunt omnes filij Israel in Silo, ibiq; fixerunt tabernaculum testimonij. *Mansit autem arca Domini in Silo vsq; ad extrema tempora Iudicis Heli, sicut potest intelligi ex 1.Samuel.cap.1, vers.3, vbi pater Samuelis Elcana docetur solitus statis diebus petere Silo, vt adoraret & sacrificaret Domino in Silo. Ex quo loco postea, Palesthinis instantibus Israeli, aduecta fuit Arca in castra, de communi omnium sententia, vt explicatur 1.Samuel.cap.4, his verbis:* Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum, sedentis super Cherubim. Erantq; duo filij Heli cum Arca fœderis Domini, Ophni & Phinees. *Sed, vt sequentibus explicatur, cæsi sunt Ophni & Phinees*

nees à Palesthinis, & Arca ipsa fuit capta, quæ postea varias habuit sedes, donec eam David cum populo traduxit Ierosolymam. Sub Samuele autem, vt est cap. 7, 1. Samuelis, quem nostri dicunt primum Regum, abstulerunt filij Israel Baalim & Astaroth, & seruierunt Domino soli. Ita eo tempore videtur sublata ex Israele idololatria, ad quod vsq; tempus iam inde à morte Iosue, videntur Danitæ idololatria se contaminasse, sacra illis procurante Ionathan, & filijs eius deinceps idem sacerdotium tuentibus.

Vrbs verò Dan sita est in extrema sorte tribus Aser, post Sidonem, ad montem Libanum in agro Rohob: vt scribitur Iudicum capite 18, versu 28. Habet autem ager vrbis Dan, Iordanem de se manantem, ex quo nonnulli fluminis Iordanis etymologiam petũt, affirmantes Iordanem, qui est Hebraicè ירדן Iarden, *sic dici quasi* יורד מדן Iored midan, *labens & descendens ex Dan. Sed amnis Iordanis appellatio, longè est antiquior vrbe Dan. Multis enim post Moysem annis vrbs Dan fuit instaurata, & nominata à Danitis. Notus est autem iam inde à primis Patriarcharum temporibus de Iordanis nomine fluuius is, qui nouem tribus et dimidiam Manasse distinguit à Peræa, id est, transiordanina regione recedente in Arabiam: quam incolunt duæ tribus Ruben & Gad cum dimidia Manasse. Vulgata ergo Iordanis etymologia ne cuiquam imponeret, id quoque monendum putauimus.*

Restat ex Iudicũ libro historia de Ben-iaminitis, hoc est, Gabaitis; qui sunt de Gabaa vrbe tribus Ben-iamin; quorum scelus, & propter id cædes atque internectio

describuntur capitibus 19 & 20 & 21. Gabaon autem vrbs, à qua dicuntur Gabaonitæ, alia est ab hac de qua agimus Gabaa, ex qua Gabaitas dicimus illius ciues & incolas. Est tamen vtraq; vrbs cùm Gabaa tùm Gabaon in sorte tribus Ben-iamin: sed diuersa est vtriusq; vrbis orthographia, & situs diuersus. Vnde vrbes nõ esse easdem intelligimus. Tempus autẽ quo scelus Gabaitarum, & bellum contra eos susceptum, factum fuit, indiscretè proponitur, nempe quo non esset rex in Israel, & quo vnusquisq; quod rectum videbatur sibi, faceret. In libro autẽ Iudicum, vbi ait Scriptura, nõ fuisse regem in Israel, id vult significare nullum fuisse summum magistratum, qui omnibus agenda præscriberet, & cunctos gladio, hoc est, pœnis & supplicijs legitimis cogeret ad officium. Habebat autem vnaquæq; tribus suos magistratus, scilicet principes & censores qui tribui suæ præerant, & ius è verbo Dei dicebant. Sed fieri poterat, vt quum ijs summus aliquis magistratus Imperatoris more aut dictatoris non præesset, particulares tribuum magistratus, res parum commodè gererent. Quod aut ipsi negligenter suum munus obirent, aut subditis vterentur præfractis, aut vtrumq; etiam accideret, vt essent contumaces subditi, & magistratus negligentes ac parum soliciti de suo munere. Eo autẽ rerum statu ad Pontificem maximũ, de agendis ferè referebatur. Vnde Pontifices tũ iudicare Israelem dicebantur: sicuti quouis tempore de rebus consulebantur grauioribus & arduis, quas ex ore Domini, & responsis diuinis componebant & iudicabant: quemadmodũ ea de re præceptũ extat Deut. 17, 8, in hæc verba. Si difficile & ambiguum apud te

iudi-

iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & Iudicum inter portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum quē elegerit Dominus Deus tuus, Veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis: qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunq; dixerint, qui pręsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te Legem eius. Interim autem quum sine summo magistratu populus Dei ageret, res dici poterat rediisse ad interregnum. Ita eo tempore quo Gabaitæ tantum scelus, quātum declarat Scriptura, designarunt, erat interregnum, de quo statuere nobis certi aliquid liceret, si de ætate Phinees constaret, qui patri Eleazaro successit in Pontificatu. Eleazarus autem paulò post Iosuam, aut eodem tempore quo Iosuas: vita defungitur: cui succedit Phinees. Iosue verò capite 24. obitus Eleazari post mortem Iosue describitur, vt vtrumq; temporibus iisdem ex hac vita cōmigrasse ad Deum intelligamus. Eleazari autem filium, Phinees, summum sacerdotem, consultum fuisse ab Israelitis bello isto Gabaitico docetur Iudicum 20. 28. Gabaiticum ergo bellum, quo ad internecionem propè funditùs deleta fuit tribus Ben-iamin, gestum fuit sub Phinees: de cuius ætate dicuntur ea per Rabinos, quæ nullo Scripturæ loco queant confirmari, suntq; prorsus absurda: quamobrem illa missa facimus. Possumus autem id pro certo affirmare, longè ante regum tempora, bellum istud Gabaiticum fuisse gestum, contrà quàm sentiant

nonnulli. Quòd Saul, cuius ætate res Ben-iaminitarum florebant, primus rex Israelitarum fuit de Gabaa, vt intelligitur ex 1. Reg. 10. 26. vbi dicitur istud: Et dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam, sed & Saul abijt in domum suã in Gabaa. *Inde licet colligere, quemadmodum & ex alijs locis, tribum Ben-iamin ex eo paruo numero, qui restiterat ex tam funesto bello, quod extremo Iudicum libro describitur, restitutam fuisse priori dignitati eo tempore: vt id bellum multis annis ante illa tempora verè poßit dici confectum fuisse. Atque hæc de Iudicum temporibus, ad Salomonis annum vsq; quartum sunt dicta.*

Tempus à fundato Salomonico Tẽplo ad transmigrationem Babylonis, siue ad captum Ioacim patrem Iechoniæ per Nabucodonosorem, est annorum quadringentorum & octo. Cap. V.



Equitur nunc sub regibus qui Salomonem sunt consequuti, paulò difficilior temporum ratio, quàm Babylonica includit transmigratio. In qua nostram diligentiam voluit exerceri Deus, quòd ea tempora nusquam in vnam summam collegerit Scriptura, ijs quidem libris, quos ad nostras manus per suos Prophetas & Apostolus peruenire voluit Dominus. Ea enim per singulorum regum imperia, in quibus pleraque tempora repetuntur,

tuntur, explicata habemus. In quibus tamen ne incerti hæreremus cauit Scriptura sacra, collatis temporibus regum Iuda, cum tempore regum decem tribuum, quos nominat à portione familiæ Israeliticæ maiore, reges Israel. Nam in hac historia notandum illud est; hactenus quidem Israelis appellationem pertinuisse ad vniuersum Dei populum, & duodecim illas tribus seu gentes seu familias ab Abrahamo per Iacobum, qui etiam dictus est Israel, deductas & proseminatas. Post Salomonis autem imperium, duodecim ipse tribus Israeliticæ, quæ vnius populi & regni corpus constituebant distractæ sunt in duas factiones, quæ in duas Monarchias aut duo regna abierunt. Quorum vnum mansit in Dauidis familia, quod dictum est regnum Iuda, quia tribus Iuda, cuius præter cæteras potentia & nobilitas clara fuit, adiũcta tribu Ben-iamin, reges habuit ex suo corpore & ex suis tribulibus seu gentilibus, de familia Dauidis, idq; Deo eius rei autore, vt ijs alios reges habere non licuerit. Cæteræ autem tribus Israeliticæ, fastidito posterorum Dauidis imperio, reges sibi ex alijs tribubus legerunt, nulla certa regum serie aut familia designata, è qua peterentur reges. Qui autem earum tribuum fuerunt reges, dicti sunt reges Israel. Quorum idololatriã, & quæ comitantur idololatriam scelera, exosus Deus, iactari variè Israeliticum regnum voluit, donec id funditus sustulit: Israele ipso, id est, decem illis tribubus pulsis terra Canaan, & per varias mundi oras disiectis, et sparsis illis Israelitis, quo tempore apud Iudæos regnabat Ezechias, adempta illis omni spe reditus in terram, quam Dei benignitate prius obtinuerant.

Regnum verò Iuda post Salomonem intelligitur regnum duarum tribuum, nempe Iuda et Ben-iamin, quibus præfuerunt Dauidis posteri, è quibus secundum carnem est ortus & natus Dominus Iesus Christus. At regnum Israel, accipiendum est regnum illud quod reliquæ tribus decem constituebant. Quibus ex varijs & diuersis familijs præfuerunt reges, populo factionibus diuiso, & studijs modò in hunc modò in illum inclinantibus, sicuti prolixè docent Sacra scripta in Regũ libris: ex quibus regnorum & rerum publicarum conuersiones & excidia quamobrem accidant, in horum regum Iuda & Israel historijs clarè licet cernere.

In hac autem notatione temporum, in qua variè est erratum & ab Hebræis & à nostris, nodi omnes dissolui poterunt, animaduersa Scripturæ ratione, quam in his temporibus explicandis obseruat. Confert enim regum Iuda & regum Israel tempora inter se, vt quoto cuiusque regis anno quisque rex imperauerit animaduertatur: atque etiam intelligatur quinam reges socios imperij sibi asciuerint, & quos habuerint consortes in imperio, ne abundantes anni, id est, qui pluribus eodem tempore quo simul regnarunt, tribuuntur, veniant in numerum. Adhæc vt quænam interregna fuerint in his Monarchijs notetur, non absque ratione constituta fuit regnorum istorum inter se comparatio. Quibus animaduersis, temporum istorum perspicua futura est numeratio & recensio, quæ alioqui perquam difficilis esset atque impedita. Sed antequam ad istorum temporum rationem ex Scriptura sacra explicandam veniamus, duo nobis recognoscenda & repetenda sunt:

quorum

quorum vnum, & si est iam certum & constitutum, nihilominus hoc loco repetendum venit, nempe is annus à quo temporis huius summam ordimur. Quarto autem anno Salomonis prius conclusimus tempus: quò fit vt à quinto Salomonici regni anno inchoanda nobis præsens sit supputatio. De qua nemo est qui dubitare possit, quum nobis ordine à Scriptura definito procedant tempora regni Salomonici, in quo versamur.

Alterum est, de quo inter autores, qui de temporibus scripserunt, non conuenit, qui finem huius temporis non eodem retulerunt. Quidam enim Sedeciæ regis annum vndecimum, finem horum temporum constituunt: quo regnum Iuda sublatum, & templum Salomonicum solo æquatum fuit cum ipsa vrbe Ierusalem, per Nabucodonosorem Babylonium monarcham. Sic enim censent, transmigrationem populi Dei inde esse inchoandam, quòd vrbe funditus euersa, & Templo solo æquato, gentis Iudaicæ & regni Iuda fuit sublata autoritas: regione relicta vacua, & feris incolēda, vt sua Sabbata celebraret, sicuti loquitur Scriptura, quum id sæpius populo, nisi resipisceret, interminati essent Prophetæ.

Alij putant referendum huius ætatis extremum tempus, ad regis Ioachin, qui etiam dicitur Iechonias, exilium, quod in annum octauum regni Nabucodonosoris incidit, vt est 4. Reg. 24, vbi multis verbis eius temporis explicatur calamitas, vasorum sacrorum parte sublata, & primarijs vrbis traductis Babylonem, tenuioribus tantùm relictis, ne deserti manerent agri, aut tam ferax regio relinqueretur incolis vacua, & victori

esset inutilis, si nullum ex ea censum referret. Alij aliter.

Cæterùm captiuitatem siue transmigrationem Babylonicam *intelligunt omnes, & fatentur horum temporum esse terminum, sed vnde sit illa inchoanda transmigratio, & ad quod tempus referenda, non idem censent scriptores.* Nos *autem ex Sacris oraculis intelligimus eam esse conferendam in primum annum* Nabucodonosoris, *qui fuit annus quartus* Ioacim *patris* Iechoniæ, *qui quidem* Hebræis *est* יהויקים Iehoiaquim: *vt* Latinis *pro* Ioacim *dictus esset voce cōmodiore* Ioaquim *quia* Coph *litera* Hebraica, *respondet* Latinorum Q. Quod *& ex forma literæ ipsius* Quoph *apparet, quæ est* ק, *refertq; inuersum q. item ex nomine quoq; literæ ipsius* Hebraicæ, *quæ multis* Grāmaticis *dicitur* Quuph. *è qua voce, detracta litera vltima, confectum est, vel deriuatum potius nomen* Quu *literæ. Sed ad nostram* Babylonicam *redeamus transmigrationem, quæ doctorum magnæ parti visa est incipere à deuicto* Iechonia.

Transmigratio Babylonica. *Sed qui ita existimant, vt exilium* Ioachin *siue* Iechoniæ, *filij* Ioacim, *sit initium transmigrationis* Babylonicæ, *id est, captiuitatis populi* Iudaici, *traducti* Babylonē *per* Nabucodonosor, *etsi habent quod pro se dicant, tueri tamen & retinere thesim suam nequeunt.* Nam *transmigratio illa, quæ* Babylonica *dicitur, quæque annis septuaginta definitur, omnino inchoanda est à primo* Nabucodonosoris *anno, qui incidit in extremum annū tertium* Ioacim, *& quartum eiusdem annum consequentē: atq; ob eam rem* Ieremias *confert annum quartum* Ioacim *cum primo* Nabucodonosoris, *vt pòst intelligetur.*

Daniel

Daniel autem historiæ suæ initio tempus illud notat, atq; ita rem ipsam describit, vt apertè doceat Deum populo *suo iure iratum propter idololatriam & alia scelera, ab eo anno qui primus fuit* Nabucodonosoris*, & quartus* Ioacimi*, damnasse exilij populum suum, quum victorem exterum illum regem effecerit vrbis* Ierusalem*, quam spoliarit, & regis* Ioacimi*, quem vinctum catenis captiuum abduxerit, & templi sui, quod tanquam à se derelictum, permisit potestati regis* Chaldæi. *Qui vasa sacra inde abstulerit & in* Babylonem *asportarit, atque etiam nobilitatē abductā ex Iudæa seruire sibi coegerit.* Daniel *enim,* Ananias, Misael*, &* Azarias*, delecti ex captiuarum nobilium familiarū numero, ministrio victoris regis* Nabucodonosoris *destinati fuerunt.* Ioacim *aūt post id tempus quo in manus* Babylonij *monarchæ* Nabucodonosoris *venit, sustulit* Iechoniam*, quemadmodū id ex* Historia *sacra, &* Scripturæ *verbis colligitur.* Eius *verò rei fidem nobis facit* Euangelista Matthæus*, qui natum ait* Iechoniam *tempore transmigrationis* Babylonicæ*,* Quòd *si natus est* Iechonias *ipso exilij* Babylonici *tempore, quomodo potuit sub eo rege incipere transmigratio* Babylonica*? præsertim quum post patrem regnarit, atq; eius pater aliquot annis post ipsam transmigrationē regnū tenuerit precariò, data & obligata fide sua* Nabucodonosori*: à quo fuerat suæ dignitati redditus?* Neq; *verò sunt obscura* Matthæi *Euangelistæ verba, quæ ita habent*: Iosias autem genuit Ioacim: Ioacim autem genuit Iechoniam & fratres eius, in trāsmigratione Babylonis. *Sic enim textus is ex fide veterū codicum* Græcorum Latinè *&* Græcè *quoq;* Cap.1.11.

restituendus est: ἰωσίας δὲ ἐγέννησεν ἰωακείμ, ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησεν ἰεχονίαν: *quemadmodum Faber Stapulensis annotauit suis in Euangelia commentarijs. Hanc quoq; lectionem confirmat editio Roberti Stephani. Sed in hac legitur* ἰακεὶμ *voce contracta, & idem valente cũ* ἰωακείμ. *Iosias autem genuit Ioacim, Ioacim autem genuit Iechoniam. Cæterùm Iechonias filius Ioacim, id est* ἰωακείμ, *di-*
2. Par. 36. 9. *citur etiam Hebraicè* יְהוֹיָכִין *Iehoiachin, qui est in communi seu vulgata translatione Latina Ioachin per n in fine, & ch. quum pater eius sit Ioacim* יְהוֹיָקִים *per m in fine, & per c, vt est anteà quoque dictum, pro quo fuerit dicendum Ioaquim. Iechoniam verò nominat*
Cap. 22. 24. *etiam Euangelistæ more Ieremias.* Viuo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioacim regis Iuda, annulus in manu dextra mea inde euellam eum.

Sub Ioacim ergo patre Iechoniæ, transmigratio inci-
2. Paral. 36. *dit Babylonica, quod Scriptura ita docet:* Vigintiquinque annorum erat Ioacim quum regnare cœpisset, & vndecim annis regnauit in Ierusalem, fecitque malum coram Domino Deo suo. Contra hunc ascendit Nabucodonosor rex Chaldæorum, & vinctum cathenis duxit Babylonem. Ad quam & vasa Domini transtulit, & posuit ea in templo suo. *Huic testimonio Danielis historia consentiens est. Quamobrem à Ioacimo, transmigrationem Babylonicam incipere dicimus, vnde historiam suam orditur Daniel.*

Qui quidem Ioacim etsi vinctus Babylonem abductus

ctus fuerat, postà tamen remissus fuit in regnum, data fide Nabucodonosori, cui triennio fidem seruauit, vt est 4. Reg. 24: In diebus eius ascendit Nabucodonosor rex Babylonis, & factus est ei Ioacim seruus tribus annis: & rursus rebellauit contra eum. *Postà verò fide fracta quum rebellasset, bello fuit à Nabucodonosore repetitus & victus: fuit abiectus insepultus, laniandus feris & volucribus relictus, periurij causa. Quò vaticinium* Ieremiæ *compleretur, quod quidem tale est:* Proptereà hęc dicit Dominus ad Ioacim filium Iosiæ regis Iuda: Non plangent eum, væ frater & væ soror, non cõcrepabunt ei væ Domine, væ inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefractus & proiectus extra portas Ierusalem. *Eodem pertinet cõminatio quoq; illa quæ eadem de re extat* Ieremiæ *cap.* 36.30, *his verbis*, Prætereà hæc dicit Dominus contra Ioacim regem Iuda, Non erit ex eo qui sedeat super solium Dauid, & cadauer eius proijcietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem. Et visitabo contra eum, & contra semen eius iniquitates suas, & adducam super eos, & super habitatores Ierusalem, & super viros Iuda, omne malum quod locutus sum ad eos, & non audierunt. *Quòd verò dicit Euangelista* Lucas *Iechoniam & fratres eius natos ipso transmigrationis* Babylonicæ *tempore, consentit cum his, quæ dicuntur* 2. Paralip. 36. Octo annorum erat Ioachin quum regnare cœpisset, & tribus mensibus ac decem diebus re-

Cap. 22. 18.

gnauit in Ierusalem, fecitque malum in conspectu Domini. *Ex hoc loco natum esse Iechoniam possumus colligere anno quarto patris eius Ioacim, quo anno venit in potestatē Babyloniorū. Annos enim vndecim regnauit Ioacim, cui successit Iechonias annos octo natus. Octo si addamus tribus, fiet vndecim, quot annos regnauit ipse Ioacim. Post tres autem annos quibus ipse Ioacim regnauit, natus intelligitur Iechonias, nempe quarto anno patris, quo fuit translatus Babylonem, & postea remissus, atq; ita fit octo annorum ipse Iechonias anno patris vndecimo. Post quem annum, patre regno exacto, adsciscitur in regium thronum filius, annum agens octauum. Gentis ergo Iudaicæ captiuitas, quæ Babylonica dicitur transmigratio, & Iechoniæ natiuitas, ad eadem tempora referri debere, ex his intelligitur. Vnde colligimus non esse incipiendam transmigrationem Babylonicam à Iechonia per Nabucodonosorem abducto Babylonem, sed à quarto anno Ioacimi patris Iechoniæ.*

Quòd autem ad Sedeciæ regnum attinet, id Babylonio regi fuisse obnoxium scimus, quòd fuerit Sedecias rex institutus à Nabucodonosore, & ab eodem postea meritò propter perfidiā affectus supplicio. à quo propterea non potest transmigratio Babylonica inchoari. Atque ex horum regum successione, Ioacim, Iechoniæ, Sedeciæ, sæpius Iudæos à Nabucodonosore bellis appetitos & afflictos intelligimus propter sua scelera, & tandem ea regione exactos, quam diuina promißione acceperant, vt ipsi Deo, cuius in eos infinita extabant beneficia, seruirent in sanctitate & iustitia. Quod quia

facere

facere neglexerunt, primùm sub Ioacim filio Iosiæ missi sunt sub iugum à rege Babylonico anno quarto ipsius Ioacim, atque inde incipit ipsa quæ dicitur transmigratio Babylonica. Deinde iterum propter perfidiam bello appetitus Ioacim, abiectus fuit insepultus: postea sub Iechonia sunt victi & subiugati Iudæi. quartò quum rebellassent sub Sedecia, ab eodem rege Babylonio superati, pœnas suæ impietatis dederunt, euersa vrbe Ierusalem, & Templo solo æquato, & toto populo Babyloniam traducto, Regio nomine obliterato & sublato in posterum in ipsa tribu Iuda. Nam post Sedeciam externis imperiis semper paruit & obnoxia fuit gens Iudæorum, vt sequentes aperient historiæ.

Occurritur autem nobis hoc loco à nonnullis, qui Ezechielis vtuntur testimonio, ad suam confirmandam sententiam de transmigratione Babylonica, quam censent incipiendam à Iechoniæ regno. Quibus respondemus, Ezechielem quidem locis aliquot, annos captiuitatis enumerare à capto Iechonia, cum quo ipse Propheta Ezechiel fuit abductus in captiuitatem. Sed eam temporis notationem negamus pertinere ad eorum temporum quæ tractamus rationem. Ezechiel autem annos à suo exilio numerat, eodem modo quo & vaticiniorum suorum initio, eosdem ab inuentione libri Legis sub Iosia, aut certè à proximo exacto Iubilæo repetit. Nam quum ait, Et factum est in tricesimo anno, quarto mense, quinta eiusdem mensis die, quum essem in medio captiuorum iuxta flumen Chobar: aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei: *eum annum trigesimum refert ad*

ad annum Iubilæi, proximè exactum, aut ad eum annū quo sub Iosia liber Legis fuit repertus, qui incidit in annum captiuitatis Ioachin siue Iechoniæ. Quamobrem subiungit: In quinta mēsis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioacim. Sed ista nequaquam refert ad initium annorum septuaginta, qui Babylonicæ transmigrationi destinati erant à Deo. Quemadmodum id factum à Daniele videmus, in quo potißimùm spectantur hi anni, sicuti & hebdomades septuaginta, quæ his captiuitatis Babylonicæ annis septuaginta sic respondent, vt eam summam septies referant: qua totius Iudaicæ gentis siue Ecclesiæ Dei continetur status, vsque ad Domini nostri Iesu Christi mortem, pro nobis in cruce obitam. Licet autem cuiuis annos à quacunque re illustri volet numerare: quemadmodum videmus & à mundo condito, interdum annos repeti & à diluuio, & à vocatione Abrahami, & à descensu in Aegyptum, & à discessu ex Aegypto, atque alijs infinitis rebus memorabilibus, quas nostri literarum meliorum & historiarum verarum ignoratione, Aeras dixerunt. Qua ratione licuit Ezechieli Prophetæ annos exilij sui, à capto Iechonia recensere, sicuti eosdem quoque annos annotauit à reperto Legis libro sub Iosia, quod anno regis Iosiæ decimooctauo cōtigit. In quo quia nullam habuit rationē capti Ioacim, nihil est quòd eius supputatione vtamur in annis transmigrationis Babylonicæ supputandis.

Hoc ergo sit positum, annum quartum Ioacim filij Iosiæ, vel annum primum Nabucodonosor, transmigrationis Babylonicæ initium statuere, in quo desinit hoc

hoc tempus, quod post annum Salomonis quartum numeramus, & definimus annis 408: quod ita ex Scriptura colligimus. Salomon regnauit annis quadraginta, vt est 3. Reg. 11. 42. De his autem annis detrahimus quatuor, quos priori ætati tribuimus, ita de his 40 annis restabunt 36.

Post Salomonem schisma fit regni Israel, id est, ipsius Dei populi, qui nomine Israelis hactenus census fuit. Duæ autem tribus, nempe Iuda & Beniamin posteritati Dauidis seruantur, sortiunturq; nomen regni Iuda, in quo post Salomonem regnauit Roboam filius Salomonis annis septemdecim, vt est 3. Reg. 14. 21.

Roboam reliquit successorem filium suum Abiam, qui annis tribus regnum Iuda tenuit, vt est 3. Reg. 15. 1.

Asa filius Abiam posteà regnauit in Ierusalem annis quadraginta & vno, vt scribitur 3. Reg. 15. 9. Sed ex his 41 annis, vnum eximere oportet annum, quo cum patre Abiam regnauit Asa, quemadmodum ex collatione regum Israel intelligitur. Anno enim vicesimo Ieroboam regis Israel Asa regnum adit, qui annus erat tertius Abiam, quum is decimooctauo anno Ieroboam cœpisset regnare, vt locis citatis docetur.

Iosaphat posteà filius Asa regnat in Ierusalem, annis vigintiquinque, vt habetur 3. Reg. 22. 41. Ex his etiam vigintiquinque annis vnus eximendus est, quòd vltimus annus Asa, est primus Iosaphat, qui anni incurrunt in quartum annum Achab, sicuti regum istorum collatio monstrabit.

Horum autem regum anni.

Salomonis 36

Roboam——————17
Abiam——————3
Asa——————40
Iosaphat——————24

Summam annorum centum & viginti explent.

Ioram *filius* Iosaphat,*regnauit annis octo, vt est* 4. Reg. 8. 16. *At ex his annis detrahendi sunt quatuor, quibus socius in patris regno fuit.* Nam *filius* Iosaphati Ioram *ipse, dicitur inisse regnum anno quinto* Ioram *filij* Achab *regis* Israel, *qui annus erat* Iosaphat *vicesimussecundus.* Quod *regnorum* Israel & Iuda *patefaciet comparatio.*

Ochozias *filius* Ioram *regnat vno anno in* Ierusalem 4.Reg.8.25.*sed hic annus,in annũ patris ipsius vltimũ incurrit,quo regni consors fuerat lectus à patre. Vterq; autem annus, vltimus* Iorã & *primus* Ochoziæ *incidũt in duodecimum annũ* Ioram *filij* Achab,*regis* Israel, *vt citatus* 4.Reg.8, *locus arguit,& ipsi regũ* Iuda & Israelis *anni collati monstrabunt.* Ochozias *autem filius* Ioram *regis* Iuda,& Ioram *filius* Achab,*occiduntur eodẽ tẽpore*,4.Reg.9.v.24. et 27,*à* Iehu,*designato rege* Israel *à* Deo,*ad excidendam & tollendam funditus familiam* Achab.

Post Ochoziam *regnat in* Iuda,*per summũ scelus & audaciam occupato regno,* Athalia *mulier impia & factiosa,sex annis* 4.Reg.11.3.*Erat aũt* Athalia *mater* Ochoziæ,*filia verò* Amri *regis* Israel,*patris* Achab,*impia & scelesta ex impijs prognata,quæ nepotes suos* Ochoziæ *liberos,quos potuit, per summum scelus iugulauit: seruato interim & erepto ex eius manib.* Ioas Ochoziæ

filio,

filio, prudentia & astu Iosaba filiæ Ioram regis, quæ soror erat Ochoziæ, vt ex iam dicto 3. Reg. 11, constat.

Hic autem impudens commentum & mendacium à Philone Iudæo de Abisarim, quos fratres Principis nēpe Salomonis interpretatur, qui genere ipsius Salomonis deficiente, ad imperium erant asciscendi, ex Dauidis ordinatione. Cuius hæc sunt verba, vt Latinè extant, in secunda parte libri primi de temporibus: Orta lite inter filios Dauid, quos ex Bersabee genuerat, quis regno præcederet, Dauid edicto statuit à minorib. inchoari, & vt alteri succederet, vbi posteritas naturalis deficeret. Itaq; à Salomone minimo cœptum est, & à Nathan illi natu proximiore filio, dicto Ahiasar & Matat, & posteris eius Ahiasarim atq; Matatim, id est, vt omnes dicerentur & essent fratres Principis, & donati tempore ad succedēdū. Hinc vsq; ad Iosaphat & Ochoziam, posteritas Nathan semper dicta est Ahiasarim. Nam quos occidit Iorā posteros Nathan, quos pater in tribu Iuda præter decretum honorauerat, filij Iosaphat, fratres Ioram dicti sunt. Similiter infantes eorū quos Iorā liberos quidem, sed reditu vacuos in tribu Iuda reliquerat, dicti sunt fratres & filij Ochozię, quū tamēOchozias vnicus solus ex Iorā & Salomone superstes esset: quo perēpto, omnē stirpē regiā Ahiasarim Athalia conata est delere, nisi prouidētia Iosabet sororis Ochozię ex Ahiasarim seruatus fuisset minimus infās Ely,

qui & Eliacim. Nam synonyma sunt Syris & Ægyptijs Ely, Eliacim, Ioaquin. Cognominatus autem infans Ely, fuit Ioas, primus ex domo Dauid, & posteritate Nathan, pro quo mizmor à dextro & læuo choro decantatus fuit, qui à Septuaginta senioribus septuagesimus quartus positus est. Et sub Ioiada institutus, ne disperderet Deus funditùs domum Dauid, vbi finierat proles Salomonis. *Hæc Philo inquit, & alia nugatoria & commentitia, cuiusmodi sunt ea quæ sunt commemorata, quibus posteritatem Salomonis desijsse in Ochozia vult intelligi et credi: quò factum fuit vt regnum Dauidis penè internecione deletum, ad familiam Nathan deueniret: nempe seruato vno Ioas ex ea familia quem vult esse Abiasarim. Habet autem suæ vanitatis, vt leuißimè dicam, plurimos asseclas Philo, qui eius autoritate moti, putant Ochoziam vltimum fuisse regum è prosapia Salomonis. Sed homini illi Scripturæ sacræ opponendum est testimonium. Et vt omittamus cætera nimis impudenter prolata de Dauidis èdicto & mizmor septuagesimo-quarto, & de ipso Ioas agamus. Ex Scriptura autem Ioas intelligitur esse legitimus Ochoziæ regis Iuda filius. Id verò plura Scripturæ sacræ loca arguunt, è quibus proferatur is qui scriptus extat 4. Reg. 11. 2, qui ita habet:* Tollens autem Iosabet filia regis Ioram, soror Ochoziæ, Ioas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, & nutricem eius de triclinio, & abscondit eum à facie Athaliæ, vt non interficere-

ficeretur: eratque cum ea sex annis clàm in domo Domini. Porrò Athalia regnauit super terram septem annis. Anno autem septimo misit Ioiada, & assumens centuriones & milites, introduxit ad se in templum Domini, pepigitque cum iis fœdus, & adiurãs eos, ostendit eis filium regis. *Ex his verbis videre licet Athaliam regnasse sex annis iis quibus latuit Ioas apud Ioiadam summum Pontificem: ineunte autem anno septimo Athaliam postea fuisse interfectam opera Ioiadæ, vt regno Iuda redderetur legitimus hæres, nempe Ioas filius Ochoziæ, quem Athalia cum cæteris Ochoziæ liberis sublatum existimabat. Quam ob causam 4. Reg.11,1 dicitur Athalia surrexisse & interfecisse omne semen regium. Eadem de ista re habentur in eandem sententiam 2.Paral.22,9, his verbis*: Nec erat vltrà spes aliqua vt dè stirpe quis regnaret Ochoziæ. Siquidem Athalia mater eius, videns quòd mortuus esset filius suus, surrexit & interfecit omnem stirpem regiam domus Iuda. Porrò Iosabet filia regis tulit Ioas filium Ochoziæ, & furata est eum de medio filiorum regis quum interficerentur, abscondit que eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum. Iosabet autem quæ absconderat eum, erat filia regis Ioram, vxor Ioiadæ Pontificis, soror Ochoziæ, & idcircò Athalia nõ interfecit eum. Fuit ergo cũ eis in domo Domini absconditus sex annis, quibus regnauit Athalia super terram. *Hæc dicuntur in Parali-*

pomenwn libris, respondentia ijs quæ narrantur libris Regum de historia Ioas filij Ochoziæ, cuius totam stirpem ab Athalia sublatam, quemadmodum ea censebat, & vulgò credebatur, dicit Scriptura. Fuisse tamen sua spe & opinione falsam Athaliam exitus demonstrauit. Ioas enim filio Ochoziæ adolescere incipiente, restare vltores infandæ ab ea commissæ cædis sensit, & experta est. Apparet autem ex his amplis narrationibus, Philonem falsò contra manifestum Scripturæ testimonium asserere, posteritatem Salomonis in Ochozia defecisse. Vnde & quæstiones alienæ à Scriptura manarunt, & opiniones stultæ de genealogia & genere virginis Mariæ, quibus ea sunt obseruata, quæ Matthæus Euangelista & Lucas de Christi Domini prosapia tradiderunt. qua de re aliàs commodiùs agere poterimus.

Post Athaliam reginam impiam & scelestam, regnauit Ioas filius Ochoziæ in Ierusalem. annis quadraginta, vt est 4. Reg. 12, 1.

Deinde Amasias filius Ioas regnat Ierosolymis annis vigintinouem, vt est 4. Reg. 14, 1. Ex his autem vigintinouem annis tres sunt tollendi quibus cum patre fuit in imperio, regni eius socius. Nam Amasias cœpit regnare anno secundo Ioas filij Ioachas, regis Israel, qui est annus Ioas filij Ochoziæ, patris Amasiæ tricesimusoctauus. Quod regnorũ Israel & Iuda monstrabit comparatio.

Amasia defuncto, res ad interregnũ rediere, propter turbas quas excitabãt coniurati, qui Amasiã occiderant. Interregnum autẽ illud fuit annorũ 11, quemadmodum ex temporibus Ieroboam filij Ioas, regis Israelitici intelligitur, quod etiam regum Israel & Iuda collatio arguet.

Filius

Filius Amasiæ Azarias, qui & Ozias dicitur 2. Paralip. 26, 1. interregno finito, regnat in Ierusalem, annis quinquagintaduobus: vt est in Paralipomenis loco iam dicto, & 4. Reg. 15, 2.

Iungantur iam anni Ioram	4:
Ochoziæ	0
Athaliæ	6
Ioas	40
Amasiæ	26
Interregni	11
Azariæ	52

fient 139: qui additi superioribus 120, annos efficiũt 259.

Azarias autem siue Ozias successorem regni Iuda, reliquit filium Ioathan, qui 16 annis regnauit in Ierusalem, vt est 4. Reg. 15, 33.

Achas filius Ioathan, postea regnat annis 16, 4. Reg. 16, 1. è quibus annis vnus eximendus est, quòd vltimus annus patris ipsius, & primus quo regnum adijt, incurrant in annum 17 Phaceæ regis Israel, sicut ex tabella regum Iuda & Israel intelligitur.

Ezechias filius Achas sequitur, qui regnauit annis 29 in Ierusalem, vt habetur 4. Reg. 18, 1. Ex his autem annis 29, duo tollendi sunt, quibus socius paterni regni fuit. Eius enim regni primus annus incurrit in quartum Osee regis Israel, qui erat annus Achas 15. regnauit autem, vt dictũm est, annis 16.

Manasse Ezechiam patrem consequitur, qui regnauit in Ierusalem annis 55, vt est 4. Reg. 21, 1.

Amon filius Manaßis postea regnat in Ierusalem duobus annis, vt habetur 4. Reg. 21, 19.

Iosias filius Amon regnat post patrem annis 31 in Ie-rusalem, vt est 4.Reg.22,1.

Ioachas Iosiæ filius regnat post patrem tribus mensibus, 4.Reg.23,31. Sed eos menses tres conferimus in annum primum Ioacim, quē loco Ioachas Regem instituit Pharao Nechao, vt est 4.Reg.23,34.

Ioacim verò qui est, vt monuimus prius, ἰωακείμ, *siue contractum* ἰακείμ, *filius fuit regis Iosiæ, & frater Ioachas. Is autem Ioacim quum tres annos regnasset, venit in potestatem Nabuchodonosor, anno regni sui quarto: quo anno incipit Babylonica transmigratio, quemadmodum satis fuit à nobis antea declaratum.*

Horum autem regum anni, nempe

Ioatham	16:	*Amon*	2:
Achas	15:	*Iosiæ*	31:
Ezechiæ	27:	*Ioacim*	3:
Manasses	55:		

summam annorum conficiunt 149: qui additi priori summæ annorum 259 eos annos reddunt, quos à fundato Salomonico Templo ad Babylonicā transmigrationem vsq; proposuimus, qui sunt 408.

Annos autē istos licet in sequenti tabula recognoscere vnà cū regni Israelitici statu, quē hîc præterijmus, ne longiores essemus in tam longa regū serie commemoranda, & difficultatibus, quæ hîc sunt expressæ, enodandis.

Præter eas verò difficultates quas habet explicatas sequēs tabula, tres sunt quæ egent sapientiæ cœlestis afflatu, vt aperiri et intelligi possint. Prima est 2.Paralip. 16,1: Ascendit aūt tricesimo sexto regni eius, nempe Asæ, anno Baasa rex Israel in Iudam,

&

& muro circundabat Rama. *Altera est* 2.*Paral.* 22,2, Quadraginta duorũ annorũ erat Ochozias quum regnare cœpisset, & vno anno regnauit in Ierusalem. *Tertia habetur* 4.*Reg*.24,8, Decem & octo annorum erat Ioachin quum regnare cœpisset, &c. *Nam quæ afferũtur à nostris ex commentarijs Rabinorum, nihil faciunt ad hæc illustranda. Et quàm sint ista perplexa, vt intelligatur, in prima difficultate, illud à Scriptura notatur* 3.*Reg*.16, 8, Anno vicesimosexto Asa, regis Iuda regnauit Ela filius Baasa super Israel. *Ela autẽ successerat patri defuncto, vt eodem cap. vers.6 docetur: ita obierat Baasa anno ipsius Asa 26. In secunda verò difficultate, istud quoq; ex Scriptura animaduertitur, Ioram patrẽ Ochoziæ vixisse tantùm annos 40. nam vt est 2. Paral.21,20, annorũ xxxij. fuit Ioram quũ regnare cœpisset, & 8 annis regnauit in Ierusalem. Iam quòd ad tertiam difficultatẽ attinet cõtra ea quæ dicuntur de annis 18 Ioachin, quod disertè habetur* 2.*Paralip*.36,9, Octo annorum erat Ioachin quũ regnare cœpisset. *Quæ tamen temporũ nostrorum rationem non perturbant. sed horum temporũ historiæ videntur obscuritatis plurimũ afferre, quam omninò notam & apertam esse cuperemus. Sed Deus sua quando, & quibus vult reuelat, à quo postulanda est sapientia, vt Spiritus sui luce hæc quoq; obscura suis aperiat. Iam autem tabula regum Iuda & Israel nobis inspicienda est, è qua facilius quæcunq; iam sunt dicta, recognoscentur.*

Iosias filius Amon regnat post patrem annis 31 in Ierusalem, vt est 4.Reg.22,1.

Ioachas Iosiæ filius regnat post patrem tribus mensibus, 4.Reg.23,31. Sed eos menses tres conferimus in annum primum Ioacim, quẽ loco Ioachas Regem instituit Pharao Nechao, vt est 4.Reg.23,34.

Ioacim verò qui est, vt monuimus prius, ἰωακείμ, siue contractum ἰακείμ, filius fuit regis Iosiæ, & frater Ioachas. Is autem Ioacim quum tres annos regnasset, venit in potestatem Nabuchodonosor, anno regni sui quarto: quo anno incipit Babylonica transmigratio, quemadmodum satis fuit à nobis antea declaratum.

Horum autem regum anni, nempè

Ioatham	16:	Amon	2:
Achas	15:	Iosiæ	31:
Ezechiæ	27:	Ioacim	3:
Manasses	55:		

summam annorum conficiunt 149: qui additi priori summæ annorum 259 eos annos reddunt, quos à fundato Salomonico Templo ad Babylonicã transmigrationem vsq; proposuimus, qui sunt 408.

Annos autẽ istos licet in sequenti tabula recognoscere vnà cũ regni Israelitici statu, quẽ hîc præterijmus, ne longiores essemus in tam longa regũ serie commemoranda, & difficultatibus, quæ hîc sunt expressæ, enodandis.

Præter eas verò difficultates quas habet explicatas sequẽs tabula, tres sunt quæ egent sapientiæ cœlestis afflatu, vt aperiri et intelligi poßint. Prima est 2.Paralip. 16,1: Ascendit aũt tricesimo sexto regni eius, nempe Asæ, anno Baasa rex Israel in Iudam,

&

& muro circundabat Rama, *Altera est* 2.*Paral.* 22,2, Quadraginta duorũ annorũ erat Ochozias quum regnare cœpisset, & vno anno regnauit in Ierusalem. *Tertia habetur* 4.Reg.24,8, Decem & octo annorum erat Ioachin quum regnare cœpisset, *&c. Nam quæ afferũtur à nostris ex commentarijs Rabinorum, nihil faciunt ad hæc illustranda.* Et *quàm sint ista perplexa, vt intelligatur, in prima difficultate, illud à Scriptura notatur* 3.Reg.16, 8, Anno vicesimosexto Asa, regis Iuda regnauit Ela filius Baasa super Israel. *Ela autẽ successerat patri defuncto, vt eodem cap. vers.6 docetur: ita obierat Baasa anno ipsius Asa 26. In secunda verò difficultate, istud quoq; ex Scriptura animaduertitur, Ioram patrẽ Ochoziæ vixisse tantùm annos 40. nam vt est 2. Paral.21,20, annorũ xxxij. fuit Ioram quũ regnare cœpisset, & 8 annis regnauit in Ierusalem. Iam quòd ad tertiam difficultatẽ attinet cõtra ea quæ dicuntur de annis 18 Ioachin, quod disertè habetur 2.Paralip.36,9,* Octo annorum erat Ioachin quũ regnare cœpisset. *Quæ tamen temporũ nostrorum rationem non perturbant. sed horum temporũ historiæ videntur obscuritatis plurimũ afferre, quam omninò notam & apertam esse cuperemus. Sed Deus sua quando, & quibus vult reuelat, à quo postulanda est sapientia, vt Spiritus sui luce hæc quoq; obscura suis aperiat. Iam autem tabula regum Iuda & Israel nobis inspicienda est, è qua facilius quæcunq; iam sunt dicta, recognoscentur.*

Sequitur Tabula Chronologiæ Regum Iuda & Israel.

REGVM IVDA.		ANNI MVNDI.	REGVM ISRAEL.
6	Quintus annus Salomonis.	2994	
7			
8			
9			
10			
11		3000	
12			
13			
14			
15			
16			
17			
18			
19			
20			
21		3010	
22			
23			
24			
25			
26			
27			
28			
29			
30			
31		3020	
32			

REGVM IVDA.			ANNI MVNDI	REGVM ISRAEL.		
33			3022			
34						
35						
36						
37						
38						
39						
40						
41						
1		Roboam regnat annis 17. 3.Reg.14,21.	3030	Ieroboam filius Nabat regnat an.20. 3.Reg.14,20.		1
2						2
3						3
4						4
5						5
6						6
7						7
8						8
9						9
10						10
11			3040			11
12						13
13						14
14						15
15						16
16						17
17						18
1	*1	Abiam filius Roboam incipit regnare anno 18. Ieroboam, &regnat annos tres. 3.Reg.15.1.				19
2	2					20
3	3			Nadab incipit regnare anno 2 Asa, & regnat an.2. 3.Reg.15,25.	1	21
		*Asa incipit regnare anno			2	22

REGVM IVDA.			ANNI MVNDI.	REGVM ISRAEL.		
	3	20 Ieroboam, & regnat annos 41. 3.Reg.15,9.	3050	Baasa incipit regnare anno tertio Asa, & interfecto Nadab, regnat annis 24. 3.Reg.15,28.	1	22
4					2	
5					3	
6					4	
7					5	
8						6
9						7
10						8
11						9
12			3060			10
13						11
14						13
15						14
16						15
17						16
18						17
19						18
20						19
21						20
22			3070			21
23						22
24						23
25						24
26				Ela filius Baasa incipit regnare anno 26 Asa. & regnat 2. ann. 3 Reg.16.8.	1	*1
27					2	2
28				Zambri occiso Hela, regnat diebus septem anno Asa 27. 3.Reg.16.15.		3
29						4
30				* Interregnum ann.4.		1
31				Amri regnare incipit anno Asa 31. & regnat ann. 12. 3.Reg.16,23.		2
32						3

REGVM IVDA.			ANNI MVNDI	REGVM ISRAEL.		
33		Asa.	3080	Amri.		4
34						5
35				Samaria conditur ab Amri. 3 Reg. 16.23.		6
36						7
37				Achab filius Amri regnare incipit anno Asa 38. & regnat annis 22. in Samaria. 3.Reg.16,29.	1	8
38					2	9
39					3	10
40					4	11
41	1	Iosaphat incipit regnare anno 4. Achab, & regnat ann.25. 3.Reg.22.42.			5	12
	2				6	
	3		3090	ELIAS.		7
	4					8
						9
5						10
6						11
7						12
8						13
9						14
10						15
11						16
12			3100			17
13						18
14						19
15						20
16				Ochozias filius Achab incipit regnare anno 17 Iosaphat, & regnat annis duobus. 3.Reg.22.52.	1	21
17		Ioram prorex relinquitur à patre Iosaphat, qui ibat latū suppetias Achab inde dicitur Iorā filius Achab regnasse anno 2. Ioram filii Iosaphat. 4.Reg 1.17			2 *1	22
18					2	
19				*Iorā frater Ochoziæ incipit regnare anno 18 Iosaphat, & regnat annis duodecim. 4.Reg 3.1.		3
20						
21						4

REGVM IVDA.			ANNI MVNDI.	REGVM ISRAEL.	
22	1	Ioram filius Iosaphat incipit regnare anno 5 Iorã filii Achab, & regnat annis 8. 4. Reg. 8, 16.	3110	ELISAEVS.	5
23	2				6
24	3				7
25	4				8
5					9
6					10
7					11
8	1	Ochozias filius Ioram incipit regnare anno 12 Iorã filii Achab, & regnat 1 anno: quo anno fuit à patre confirmatus. 4. Regum 8, 25			12
*1				IEHV sublato Ioram & tota familia Achab, regnat annis 28. 4. Regum 10, 35.	1
2					2
3			3120		3
4		*Athalia mater Ochoziæ regnat an. 6. 4. Reg. 11, 3.			4
5					5
6					6
1		Ioas filius Ochoziæ regnare incipit anno Iehu 7, & regnat an. 40. 4 Regum 12, 1.			7
2					8
3					9
4					10
5					11
6					12
7			3130		13
8					14
9					15
10					16
11					17
12					18
13					19
14					20
15					21
16					22

REGVM IVDA.			ANNI MVNDI.	REGVM ISRAEL.		
17		Ioas.	3140	Iehu.		23
18						24
19						25
20						26
21						27
22						28
23				Ioachaz filius Iehu regnare incipit anno 23. Ioas filii Ochoziæ, & regnat annis 17. 4 Reg. 13, 1.		1
24						2
25						3
26						4
27			3150			5
28						6
29						7
30						8
31				Olympiadum initium.		9
32						10
33						11
34						12
35						13
36						14
37			3160	Ioas filius Ioachaz regnare incipit anno 37 Ioas filius Ochoziæ, & regnat annis 16. 4. Reg. 13, 10.	1	15
38	1	Amasias filius Ioas regnare incipit anno 2. Ioas filii Ioachaz, & regnat annis 27. 4. Reg. 24, 1.			2	16
39	2				3	17
40	3					4
4						5
5						6
6						7
7						8
8						9
9						10

REGVM IVDA.		ANNI MVNDI.	REGVM ISRAEL.		
10	Amasias.	3170	Ioas.		11
11					12
12			Elisæus moritur sub Ioas 4.Reg.13,20.		13
13					14
14					15
15			Ieroboam filius Ioas incipit regnare anno 15 Amasiæ, & regnat annis 41. 4.Reg.14,25.	1	16
16					2
17					3
18	ROMA conditur.				4
19					5
20		3180			6
21					7
22					8
23					9
24					10
25					11
26					12
27					13
28					14
29					15
1	Interregnum annorum 11. in Iuda, propter turbas, quas coniurati excitabant, à quibus Amasias fuerat interfectus.	3190			16
2					17
3					18
4					19
5	Interregnum in Iuda.		Ieroboam filius Ioas.		20
6					21
7					22
8					23
9					24
10					25

REGVM IVDA.		ANNI MVNDI.	REGVM ISRAEL.	
11		3200	Ieroboam.	26
1	Azarias qui & Ozias filius Amasiæ, incipit regnare anno 27. Ieroboam filii Ioas. & regnat annis 52. 4.Reg.15,1.			27
2				28
3				29
4				30
5				31
6				32
7				33
8				34
9	Amos prophetat in diebus Oziæ regis Iuda & Ieroboam filii Ioas regis Israel. Amos 1.			35
10		3210		36
11				37
12				38
13				39
14				40
15	Osee prophetat. dieb. Oziæ Ioathan. Achaz & Ezechiæ regũ Iuda, & Ieroboam filii Ioas regis Israel. Osee 1.			41
16			Interregnũ in Israele annorum viginti duorum.	1
17				2
18				3
19				4
20		3220		5
21				6
22				7
23				8
24				9
25				10
26				11
27				12
28				13
29				14

REGVM IVDA.			ANNI MVNDI.	REGVM ISRAEL.	
30			3230		15
31					16
32					17
33					18
34					19
35					20
36					21
37					22
38				Zacharias filius Ierobοam regnat anno Zachariæ 38, mensibus 6. 4.Reg.15,8. Sellum cæso Zacharia, anno Ochoziæ 39 regnat mense 1. 4.Reg.15,15. Manahem cæso Sellum anno 39 Oziæ regnat an. 10. 4.Reg.15,17.	1
39					2
40			3240		3
41					4
42					5
43					6
44		Asarias filius Amasiæ.			7
45					8
46					9
47					10
48					
49				Interregnum vno anno.	1
50			3250	Phaceia filius Manahem regnat ann.50 Azariæ, 2 ann. 4.Reg.15,23.	1
51					2
52		Esaias anno quo mortuus est Ozias videt gloriam Dei. Esa.6,1.		*Phacee occiso Phaceia anno Oziæ 52 incipit regnare, & regnat ann.20. 4.Reg.15,27.	1
*1					2
2		*Ioathan filius Azariæ regnare incipit anno 2 Phacee, & regnat annis 16. 4.Reg.15,32.			3
3					4
4					5
5					6
6		Michæas prophetat in diebus Ioathã Achaz, & Ezechiæ regũ Iuda. Mich.1.			7
7					8

REGVM IVDA. ANNI MVNDI.

8			3260		9
9					10
10					11
11					12
12					13
13					14
14					15
15					16
16	1	Achaz filius Ioathan incipit regnare anno 17 Phacee, & regnat annis 16. 4.Reg.16,1.			17
	2				18
	3		3270		19
4					20
5				Osee cæso Phacee regnare incipit anno 20 Ioath. id est, anno 20 ex quo regnare cœperat Ioath. vt est quarto Reg.15 30 Quia verò septẽ primis annis est tributarius regis Assyrii Salmanassar nec verè rex est: excusso iugo regis Assur, tũ quia sui iuris est, dicitur 4.Regum 17,1 regnare cœpisse anno 12 regis Achaz. & regnasse super Israel ann. 9.	1
6					2
7					3
8					4
9					5
10					6
11					7
12					*1
13			3280		2
14					3
15	1	Ezechias filius Achaz dicitur regnum adiisse anno 3. Osee. 4.Reg.18,1. sed is annus accipiẽdus est desinens, vt in quartum sequentem incidat. Nam 4.Reg.18,9. annus 4 Ezechiæ dicitur septimus Osee, quo Salmanassar ascendit cõtra Samariam.			4
	2			*Osee.	5
	3				6
4					7
5				Samaria euertitur, & abducuntur in Assyrios decem tribus.	8
6					9
7					
8				Regnum Israel stetit annis 258.	

REGVM IVDA.		ANNI MVNDI.	
9	Deinde vers. 10. post tres annos dicitur capta Samaria anno 6. Ezechiæ, qui erat nonus Osee.	3290	
10			
11			
12			
13	Ezechias.		
14			
15	Sennacherib ascendit contra omnes vrbes Iuda. 4.Reg.21,1.		
16			
17			
18			
19		3300	
20			
21			
22			
23			
24			
25			
26			
27			
28			
29		3310	
1	Manasses filius Ezechiæ regnat ann.55. 4.Reg.21,1		
2			
3			
4			
5			Tarquinius Priscus.
6			
7			
8			
9			

REGVM IVDA. ANNI MVNDI.

10	Manasses.	3320	——	
11	——		——	
12	——		——	
13	——		——	
14	——		——	
15	——		——	
16	——		——	
17	——		——	
18	——		——	
19	——		——	
20	——	3330	——	
21	——		——	
22	——		——	
23	——		——	
24	——		——	
25	——		——	
26	——		——	
27	——		——	
28	——		——	
29	—— Manasses. ——		——	
30	——	3340	——	
31	——		——	
32	——		——	
33	——		——	
34	——		——	
35	——		——	
36	——		——	
37	——		——	
38	——		——	
39	——		——	

REGVM IVDA.		ANNI MVNDI.	
40	Manasses.	3350	Olympias 50.
41			
42			
43			
44			
45			Seruius Tullus.
46			
47			
48			
49			
50		3360	
51			
52			
53			
54			
55			
1	Amon filius Manaßis reg		
2	nat 2. annis 4. Reg. 21. 19.		
1	Iosias filius Amon regnat		
2	ann. 31. 4. Reg. 22. 1.		
3		3370	
4			
5			
6			
7			
8			
9			
10			
11	Destruuntur Baalim a Io-		
12	sia. 2. Paral. 34. 3.		

REGVM IVDA.		ANNI MVNDI.	
13	Iosias.	3380	
14			
15			
16			
17			
18			
19	Liber Legis reperitur. 2.		
20	Par.34.8,& 4. Reg.22.3.		
21			
22			
23			
24		3390	
25			
26			
27			
28			
29			
30			Tarquinius Superbus.
31			
1			
2	Ioacim Iosiæ filius regnat annis 11. 4.Reg.23 1.		
3		3400	
	Quartus annus Ioacim est primus Nabucodonosor, vnde incipit Babylonica transmigratio, septuaginta annorum.		

Hunc autem regum Iuda & Israel chronologiam, necessariò adiungendam huic loco putauimus, tanquam in tabula, ne de temporibus prius dictis quisquam dubitaret, quum singula ante oculos exposita, vt à Scriptura proponuntur, cerneret. Collatio autem & comparatio regnorum istorum duorum, non modò tempora regum Iuda explicat, sed varium Israeliticæ reipublicæ statum sub regibus ferè idololatris aperit. In quorum explicandis rebus & temporibus fuissemus longiores, si voluissemus ea persequi, quæ paucis comprehensa subijciunt istæ superiores tabulæ: quæ horum regum seditiones & conatus factiosos notant.

Tempus quod est à primo Nabucodonosoris anno, aut à captiuitate Ioacim patris Iechoniæ, & Danielis atq; sociorum eius, vsque ad annum primum monarchiæ Cyri: per quem seruitute Babylonica liberatur populus Dei, continet annos septuaginta. Cap. VI.



Væ deinceps à quarto Ioacimi anno, vsque ad Sedechiæ annum vndecimum cõtigerunt Iudæis, patrio solo tum exactis & depulsis, ea pertinent ad id tempus quod attribuitur transmigrationi Babylonicæ: quæ cum Nabucodonosoris incipit imperio, desinitq; vnà cum generis ipsius interitu & excidio, quod annos septuaginta floruit. Tandiu enim staturum hoc imperium ex Ieremia

remiæ vaticiniis prius docuimus.

Post Nabucodonosorem Euilmerodach ipsius filius, deinde post Euilmerodachum, Balsasar Nabucodonosoris nepos rerum est potitus apud Babylonios. Collapsum est autem cum Balsasare Babylonicum imperiũ, quemadmodum Danielis declarat historia, quod futurũ tam longo antè tempore denunciarant ad piorum consolationem Esaias capitibus 13.21. & 47: item pluribus similiter locis Ieremias, sed maximè c.51. Qui vt tempus quo vigere & stare debebat illa monarchia definiuit, sic etiã quot numero habitura esset reges aut imperatores expreßit & recensuit. Qua de causa ferendi non sunt, qui cõtra Scripturæ sacræ dicta perspicua & manifesta, plures tribus recenseant reges, sub transmigratione Babylonica: scilicet Nabucodonosor, Euilmerodach, Ragasar, Labasardach Balsasar. In quibus est Metasthenes Persa: quem ne nominandũ quidem hoc loco putarẽ, nisi plerisq; illo vti, atq; illi fidei plus tribuere viderẽ quàm deceat, aut patiatur Oraculorum diuinorum autoritas.

Nabucodonosoris autem & Balsasaris satis est frequens in Danielis scriptis mentio. De Euilmerodacho verò 4.Reg.25.27, ita agitur. Factũ est verò in anno tricesimoseptimo transmigrationis Ioachin regis Iudæ, mense decimo, vigesimaseptima die mensis, subleuauit Euilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Ioacim regis Iuda, de carcere super thronum regum, qui erant cũ eo in Babylone. Ex his colligimus quot annos tenuerit imperiũ Nabucodonosor: quia enim triceßimoseptimo anno, ex quo

fuerat captiuus abductus Ioachin siue Iechonias, obijt Nabucodonosor, & anno octauo sui regni captiuum Iechoniam abduxerat, vt est quarti Regum capite vicesimo quarto, certè 45 annis tenuisse Nabucodonosorē imperiū necesse est, quū octo et triginta septē efficiant 45.

Quot autem annos tenuerint imperium Euilmerodach aut Balsasar, non perinde pro certo affirmare possumus: nā de imperio & rebus Euilmerodachi nihil amplius, quàm ex Regum libris & Ieremia citauimus, ex Scriptura discimus. Et quòd ad Balsasarem attinet, æquè est incertum regni ipsius spatium: memoratur quidem annus eius tertius, Dan. c. 8. 1. quo visio & reuelatio est ipsi Danieli oblata, de Persarum & Macedonū imperio, item de tyrannide Antichristi aduersus Ecclesiam Dei. Quod Susis agenti Daniel, & procuranti regis Balsasaris negotia contigit. Ex quo Persas quoque & Medos, Babylonijs tum fuisse obnoxios & subditos animaduertimus, quemadmodum id quoq; vaticinijs Ieremiæ fuerat prædictum. Quia verò ex ipsa Danielis historia, Medos & Persas ijs adiunctos, scimus Babylonem obsedisse eamq; cepisse, atque eius ad se transtulisse dominatum, oportuit post illud tempus quo regia procurabat Balsasaris negotia Susis Daniel, defecisse Medos & Persas à Babylonijs, neque eam rem celari potuisse, quum copiæ maximæ fuerint contra Babylonem cogendæ, & vi aperta Persis & Medis agendum fuisse, vt se tyrannica illa dominatione liberarent. Quo tempore non licuit Balsasaris procuratoribus & præfectis tutò agere inter capitales Babyloniorum hostes. Quare tertius ille Balsasaris annus extremus esse regni ipsius videri non potest,

quum

quum Babylone capta, iugulatus sit intra regiæ ipsius parietes, & longo tempore fuerit obsessa Babylon. De Medorum autem contra Chaldæos prælijs & victorijs hæc habet Esaias. Ecce Suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint. *Item:* Ascēde Aelam, obside Mede. *Item:* Veniet super te malum, & nescies ortū eius, & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare: veniet super te repente miseria quam nescies. Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescētia tua, si fortè quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorū, stent & saluent te augures cæli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, vt ex ijs annuntiarent ventura tibi. *Hæc quidem ita sunt aperta, præsertim exitu comprobata, vt autores prophani dicant à Persis & Medis euersum imperium Babylonicum. quando verò id contigerit, non satis perspicuè definiunt. Eò verò res hæc est incertior, quod tēpus nequaquā annotarit Daniel, quo de Balsasaris agit insolentia, quā eius cædes continuò est consequuta: etsi certum est & confessum Balsasarem cæsum fuisse anno Babylonicæ monarchiæ septuagesimo, quo illa concidit, translataq; fuit ad Persas & Medos, Deo ita statuēte, & versante imperiorū vices. Quia igitur Balsasaris annus tertius procurationem regiorum negotiorum habet liberam, et multo fuit opus tempore ad res tam multas Persis & Medis conficiendas, demus Balsasaris regno decem*

Cap.13.17.

Cap.21.2.

Cap.47.11.

annos. qui additi annis Nabucodonosoris quadragintaquinq;, annos reddent quinquagintaquinq;. Ex quo intelligetur Euilmerodacho annos quindecim esse tribuendos: vt septuaginta anni Babylonicæ monarchiæ constent & agnoscantur.

Hac igitur ratione Septuaginta anni monarchiæ Babylonicæ digeri poterunt.

Nabucodonosor imperium Babylonicum tenuit annos ———————————————— 45.

Euilmerodach eius filius, videtur id tenuisse annis ———————————————— 15.

Balsasar filius Euilmerodachi id dicatur tenuisse annos ———————————————— 10.

qua ratione fient anni ———————————— 70.

De quibus possemus certius disserere, si veras Persarum & Medorum haberemus historias, ad quas nos vt suo tempore notas & vulgi manibus tritas videtur remittere Cap.5.o. *Daniel dicens, Occiso Balsasare ea nocte, qua sacra Dei vasa prophanauerat, Deumq; verum apertè contempserat, Darium Medum successisse in regnum annos natum sexaginta duos. Idem quoq; videtur agere capite nono, inquiens:* In anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum, qui imperauit super regnum Chaldæorum, anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam Prophetam: vt cōplerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni. *Darij autem huius Medi neque ætas, neque genus vllo alio loco Scripturæ recensetur, nec scire ex Scriptura ipsa sa-*

cra possumus, quid Dario *huic Medo, de quo tam multa in Daniele postea memorantur, contigerit, post eum primum annum, quo deuictis Chaldæis imperij tenuit gubernacula. Quæ enim alij partim ex Herodoto, partim ex alijs prophanis historijs afferunt, talia sunt vt ea potius silentio prætereunda, quàm memoranda videantur. Nam & nomina Scripturæ sacræ ignota, & alienas à Propheticis historias, præterea etiam fabulas indoctas & aniles proferunt. Et in hac historia captam à Cyro Babylonem, qui continuò tenuerit imperium, summamque potestatem gesserit, affirmant: quum tamen ex Daniele discamus Darium Medum successisse in regnum Chaldæorum, ipsiq; Babyloni dominatum fuisse, & successorem posteà habuisse Cyrum. Adhæc videmus in Esaia præcipuas partes dirutæ Babylonis attribui Medis quum inquit;* Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: sed sagittis paruulos interficiẽt, & lactentibus vteri non miserebuntur, & super filios non parcet oculus eorum. Et erit Babylõ illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham. *Huc accedit quod Ieremias dicit:* Acuite sagittas, implete pharetras, suscitauit Dominus spiritum regum Medorum, & contra Babylonem mens eius est, vt perdat eam, quoniam vltio Domini est, vltio Templi sui. *Iam verò neq; illud est obscurum quod Daniel Balsasari denunciat:* Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis. *Ex quo ap-*

Cap.13.17.

Cap.50.16

Cap.5.28.

paret Medos in euertenda Babylone fuiſſe principes, qui Perſas aſciuerint ſibi ſocios & adiutores.

Itaque Herodoti hiſtoriæ, quæ expugnationem Babylonis, & expeditionem aduerſus eam vni Cyro tribuunt, concidant neceſſe eſt. Similiter quæ habet Xenophon in Cyri pædia, deducto à Cyro aduerſus Babylonios exercitu, vt iure ſuſpecta ſint & ficta, facile videre eſt. Xenophontis autem Cyrus, non ad hiſtoriæ veritatem, ſed ad iuſti & legitimi imperij imaginem ſcriptus dicitur, quo poteſt excuſari Xenophon. Eius autem hiſtoriæ veritas ſic habet, Darium Medum euertiſſe imperium Babylonicum ſiue Chaldaicum, qui opera fortè Cyri Perſæ ea in re præcipuè ſit vſus. Quamobrem, fortaſſe Cyrum ſucceſſorem eius imperij quod ipſe Darius Medus conſtituerat, reliquit poſteà. Nam Danielis cap. 6, videmus, vt res conſtituantur de ſententia Darij Medi, quando quidem ſic iſta dicuntur à Daniele: Placuit Dario, & conſtituit ſuper regnum Satrapas centum viginti, vt eſſent in toto regno ſuo. Et ſuper eos, principes tres, ex quibus Daniel vnus erat, vt Satrapæ redderēt illis rationem, & rex non ſuſtineret moleſtiam. *Vnde hoc imperium dictum eſt in Græca hiſtoria, & Medicū & Perſicum, ratione Medorum qui primi hoc tenuerunt, & Cyri Perſæ, cuius res geſtæ fuerunt illuſtres. Quem Deus ad eum principatum euexerat, vt populum ſuum captiuitate liberaret, & remitteret in patriam à qua fuerat abductus, vt pòſt dicetur. Itaque, cur Græci ſcriptores bellum apud Marathonem geſtum duce Miltiade contra Perſas, dicant Medicum, item cur bella ad*

Salaminē & Platæas gesta, vocent Medica, facile est animaduertere: nempe quòd Medorum potentia in Monarchia Persica nequaquā obscura esset: idq; imperium viribus Medorum quemadmodū etiam Persarum, potissimùm niteretur & fulciretur. Est igitur notandum illud hoc loco, anno extremo Babylonicæ Monarchiæ, quum tamen is nondum esset exactus & completus, Darium ipsum Medum, Medicam & Persicam postà nominatam inchoasse Monarchiam, in qua primus summum imperium tenuerit: cuius successor fuerit Cyrus maior, exempto fortasse rebus humanis Dario Medo, anno septuagesimo monarchiæ Babylonicæ iam exacto: vt complerentur Esaiæ vaticinia de hoc ipso Cyro, multis antè seculis pronunciata, de quibus agetur capite insequenti.

Ne quid autem de historia Ioacim & Sedeciæ, postremorum regum Iuda, videamur præterijsse, agè, tempora illorum componamus cum annis Nabucodonosoris, sicuti eos proponit nobis Scriptura. Ioacim fuerat constitutus in sede regia à Pharaone Nechaone, Ioachaz eius fratre iuniore depulso regia dignitate, quam inuaserat: eodemque captiuo, abducto in Ægyptum, vt scribitur 4. Reg. 23. 34. Tribus autem annis regnauit Ioacim, Pharaonis Nechaonis fretus potentia. Sed hunc Nechaonem Ægypti Monarcham fudit fugauitque Nabucodonosor, anno quarto Ioacim, vt ex Ieremiæ cap. 46. vers. 2 prius admonuimus. Quo anno venit in potestatem ipsius Nabucodonosoris Ioacimus, quum primum annum regni sui ageret is Babyloniorum imperator: qua ratione annum quartum Ioacim & primum Nabucodonosoris composuimus. An-

nos autem tres deinceps paruit Nabucodonoſori Ioacimus,*vt docetur* 4.Reg.1.*his verbis*: In diebus eius aſcendit Nabucodonoſor rex Babylonis, & factus eſt ei Ioacim ſeruus tribus annis, & rurſum rebellauit contra eum. *Quæ verba ita ſunt accipienda, vt intelligatur* Ioacimus *captus à Nabucodonoſore, quum primùm aſcendit contra* Ieruſalem,*& abductus fuiſſe* Babylonem,*vt eſt* 2.Paralip.36. 6.*Vnde poſteà remiſſus fuit in regnum, certis conditionibus,qua ratione poſteà regnauit in* Ieruſalem *ipſe* Ioacimus*, & tribus annis manſit in fide quam* Nabucodonoſori *dederat.Sed* Ioacim,*vt* Dei *ſecurus erat, ita fracta fide poſteà deſciuit à rege* Babylonio,*cuius tamè beneficio redditus fuerat priori dignitati, & reſtitutus fuerat in integrum. Itaque eam perfidiam & impietatem vltus eſt ſeuerè* Deus,*Chaldæis, Syris,* Moabitis *&* Ammonitis *prædonibus per* Iudæam *dimißis,vt docetur* 4. Reg. 24. 2. *à quibus miſerè laceratum & labefactatum fuit regnum* Iuda. *Quinetiam poſt multas miſerias rex infœliciſsimus, qui malum fecerat coram* Domino *iuxta omnia quæ fecerant patres eius, honore ſepulturæ caruit, inhumatus feris & volucribus laniandus relictus extra vrbem ipſam* Ieruſalem: *vt diuinorum oraculorum conſtaret veritas, quæ fuerant illis denunciata per* Ieremiam,*vt ea iam ex eius* Prophetæ *cap.* 22. 18, *citauimus.Quibus ſimilia apud eundem* Prophetam *dicun-*
Cap.36.3. *tur in hæc verba*:Proptereà hæc dicit Dominus Deus, contra Ioacim regem Iuda, Non erit ex eo qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & cadauer eius proijcietur ad æſtum per diem, & ad gelu

gẽlu per noctẽ. *Huius filius est Iechonias, qui patri successor relictus, tertiò mense regni sui exacto, venit in manus Nabucodonosor, & Babylonem captiuus abductus, coniectus est in vincula: in quibus toto Nabucodonosoris imperio consenuit. In cuius locũ rex Babylonius anno sui regni octauo, suffecit Sedeciam patruum ipsius Iechoniæ, Iosiæ autem filium, vt scribitur Ieremiæ tricesimoseptimo capite. Nihilo verò melior, aut Dei reuerẽtior fuit Sedecias Ioacimo, aut Iechonia, eorum insistens vestigijs, vt scribitur 2. Paralip. 36. 12. his verbis:* Fecit malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Ieremiæ Prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini: à rege quoq; Nabucodonosore recessit, qui adiurauerat eum per Deum & indurauit ceruicem suam, & cor suum vt nõ reuerteretur ad Dominum Deum Israel. *Pœnas igitur tantæ nequitiæ Deum ab illo exegisse, mirum non est, quas describit Ieremias hoc modo:* Cumque comprehendissent regem (Sedeciam) adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath. Et locutus est ad eum iudicia, & iugulauit rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis eius, sed & omnes principes Iuda occidit in Reblatha. Et oculos Sedeciæ eruit, & vinxit eum compedibus, & adduxit eum rex Babylonis in Babylonem, & posuit eũ in domo carceris vsque ad diem mortis eius. *Id verò futurum etiam prædixerat Ezechiel.* Et extendam rete meum super eum, capietur sagena mea, & adducam

Cap. 52. 9.

Cap. 12. 13.

eum in Babylonem in terram Chaldæorum, & ipsam non videbit, ibique morietur. *Sedecias verò, & qui cum eo erant Iudæi, fiducia auxiliorum Ægypti, contemnebant Chaldæos, vt est Ierem. 37, & Ezechiel. 17. Ad hæc, eius ætatis homines, vt erant Dei contemptores ex Prophetarum monitis & verbis, committere Prophetas inter se studebant, & prophetiarum fidem pessimis rationibus eleuare conabantur, quò Deum & eius ministros iure contemnere viderentur. Captiuitas autem Sedeciæ & cum eo Ierusalem ruina, simulque Templi excidium, conferuntur in annum Nabucodonosoris decimumnonum, 4. Regum 25.8, qui est annus Sedeciæ regis vndecimus, vt ex eodem capite apparet. Quia verò qui fuerant in Iudæa relicti occiderant per fraudem Chaldæorum præsidia, & partim metu pœnarum, quas erant commeriti, profugerant in Ægyptũ, partim verò restiterant, tandem Nabucodonosoris anno vigesimotertio, gentis Iudaicæ improbitate id postulante, Nabuzardan præfectus copiarum Nabucodonosoris, animas Iudæorum 745, transtulit Babylonem, vt est Ieremiæ 52. 29. Quæ postrema fuit populi Iudaici manus captiua Babylonem abducta. post quam feris deserta & vacua relicta est Iudæa, vt sua sabbata conficeret vsq; ad annum primum Monarchiæ Cyri Persarũ regis.*

Quid verò intereà Babylone fuerit expertus sub Nabucodonosore Dei populus, vtque in suis gloriosus apparuit Deus, scriptorum suorum monumẽtis Daniel prodidit. Cùm autem superstitio & impietas summa vigeret in Chaldæa, eo maxime tempore quo homines rerum sibi prosperè succedentium flatu vterentur, & existima-

istimarent sibi pro sua prudentia & consilio atq; impietate res ita accidere, irretitis & dementatis ita omnium Chaldæorum animis à Satana: cœpit tamen sibi suoque regno Satanas metuere, quòd eò loci ageret Dei ecclesia, quæ Dei seruos & pios permultos habebat, quos cane peius & angue Satanas exosos habet. Sua enim pij vita & oratione, diaboli mendacia coarguunt, eiusq; præstigias & technas aperiunt, nec patiũtur eum miseris mortalibus illudere. Itaq; & si populi Dei victor videbatur esse Satanas, triumphatis tam multis virorum piorum millibus: in hac tamen sua victoria, vidit se de suo statu & regno periclitari: quum in ea loca Dei vox & verbũ penetrassent, in quibus altum de Deo vero fuerat silentium. Nullum igitur non mouet lapidem, vt regem sibi addictum impellat ad stabiliendam edicto eam religionem impuram quam profitebatur, in qua suos contineri volebat atque exerceri. Quam ad rem conficiendam nihil eorum est prætermissum, quibus aut incogitantes irretiri, aut constantes, vt dimoueantur de sententia, percelli possunt. Colossus enim aureus altitudinis sexaginta cubitorum, & latitudinis sex cubitorum erectus fuit, qui ab omnibus adoraretur: Simulachrum & monumentum, omnium quæ vnquam fuerunt apud prophanos & idololatras magnificentissimum, & fidem penè superans, cuius splendore & æstimatione nemo non fuisset permotus & attonitus. Accesserunt pœnæ graues, & exquisita supplicia constituta ijs, qui tam nobile & sumptuosum contempsissent idolum. Sed talibus in rebus quid potentissimi terræ Monarchæ et astuta satellitum Satanæ posſint consilia, cer-

Colossus aureus.

nere est in hac præclara et illustri historia. Tres enim viri pij Ananias, Azarias, & Misael in media populi maximi & exercitus ferocissimi turba, id est, multitudine infinita, & idolorum studio insana, sua fide tyrannum superbissimum, populum immanissimum, & pietati veræ infensissimum, flammam deniq; maximam non contempserunt modò, sed etiam superauerunt, ac Dei præsenti ope & præsidio, tyrannum ipsum impotentissimum, cædes & incendia spirantem, coegerunt ad palinodiam: re illi oblata, quam ne cogitatione quidem vnquam concepisset, scilicet fide & constantia seruorum Dei, ignis & flammæ maximè vim domari. Quamobrem contrario postea edicto veram religionem coactus est comprobare Nabucodonosor, quo multorum fidem auxit, simulq; Dei populum in vera perseuerantem religione recreauit: quemadmodum ex tertio Danielis capite possumus colligere. Effusa autem Dei in eos quos est complexus & elegit, benignitas declaratur primo capite, quòd eò sapientiæ promouit Danielem Deus, cum ipsius socijs, vt pares regio ea non habuerit, quæ tamen studijs artium Mathematicarum & Philosophiæ in primis floruit.

At secundum caput historiæ Danielis, breuem totius mundi continet historiam, & miseram huius vitæ scenam aperit, quam varia subinde imperiorum & regnorum affert mutatio. Sed istam rerum mundanarum conuersionem, posteà pluribus visionibus Danieli patefacit & declarat Dei Spiritus. Non est autem prætereundum, quod de anno secundo regni Nabucodonosor dicitur eo capite, quo Deus patefacit & sub visione declarat

clarat ipsi Nabucodonosori, quæ futura esset imperiorum mundanorum conuersio. Multi enim secundum illum annum referunt ad nescio quem Nabucodonosorem commentitium, & ignotum Sacris literis. Quare non idem Nabucodonosor captiuos abduxerit Danielem & eius socios, iusseritq; eos doceri linguam Chaldæam, & eas artes quæ apud Chaldæos erant in pretio; idemq; Danielem de somnij sui interpretatione interrogarit. Neq; est quòd hìc diutius moremur in refutandis eorum rationibus, qui sicuti Metasthenem, confinxerũt nobis Nabucodonosorem nescio quem maiorem, & alium minorem. Quod quidem historia Iudith, commentitia et fabulosa, videtur confirmare. quæ inducit cap. 1, 6, Nabucodonosorem quendam Assyriorum regem regnantem in Niniue, qui deuicerit Arphaxad. Sed librũ esse nugatorium satis arguit ipsa narratio, de qua alio loco plurib. agetur. Satis etiã intelligitur ex Scriptura, idem fuisse Nabucodonosor, qui Aegyptios vicerit & Iudæos, sicuti ex Ieremia confirmatũ fuit. Secundus ergo Nabucodonosoris annus intelligitur à constituta Babylonica monarchia, superatis & sub iugum mißis ijs gentibus quas illi Dei voluntate Ieremias denunciarat obnoxias, & seruas futuras. Somnium enim quod eo capite explicatur, nõ est existimandum secundo regni eius anno accidisse, quum Daniel eius sit interpres, qui iam cum socijs relatus erat in numerum sapientium, & doctorum regiorum. Quod factum fuerat triennio pòst, quàm deuenerant Babylonem. Nam vt scribitur cap. 1, vers. 18, exactis tribus annis, qui dati fuerant eis ad artes percipiendas, & linguam Chaldæam ediscendam, fuerũt

postea deducti ante Nabucodonosorem; qui eos cæteris suis doctoribus longè præstantiores reperit.

Quod verò quarto capite de Nabucodonosoris mania, & vita cum quadrupedibus & feris per aliquot annos acta commemoratur, sæpe memoria cùm nobis, tum regibus repetendum est, vt nos esse homines meminerimus, Deumq; ipsum timeamus, qui deponit potentes de sede, & de gradu in quo illos collocauerat deijcit, ad illorum minuendam arrogãtiam, quemadmodum ea Balsasari proponit Daniel cap.5,18, & sequentibus. In ea quoq; historia propter prophanos historicos, cùm Græcos tum Latinos, licet illud animaduertere, Babylonem ad eam amplitudinem fuisse perductam opera Nabucodonosoris vt omnibus miraculo fuerit, & eius muri inter septem orbis miracula fuerint relati. Sic enim de se & extructa à se Babylone cap.4,27 prædicat ipse Nabuco donosor: Nónne hæc est Babylon, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitu dinis meæ, & in gloria decoris mei? Ex quo intelligimus eos errare, qui Babylonem aiunt esse opus Semiramidis, quum neq; sit ab illa Babylon condita, neq; etiam instaurata magnificè, quemadmodum vulgò nugantur historici prophani. Nam quòd ad eius amplitudinem pertinet, habemus hoc loco satis amplum de illa testimonium: quemadmodum & de illa condita centesimo & vno post diluuium anno Genesis vndecimo edocemur, deq; nominis illius ratione, sicuti prius est à nobis illud declaratum. Mendacibus autem historicis, cùm Græcis, tum Latinis, hominis quoq; prophani hac de re testimonium opponere possumus, scilicet Berosi Chal-

dæi,

dei, qui, vt memorat Iosephus libro primo contra Appionem, arguit Græcos scriptores, qui quidem retulerunt Babylonis structuram ad Semiramidem, & ea quæ posteri sunt admirati Babylonica ædificia, quæ ex veteribus Chaldæorum monumentis docet, ad Nabucodonosorem esse referenda. Et vt de condita Babylone mentiti sunt Græci, ita & de ea victa, quam vado Euphratis siccato, immissis militibus captam ferunt. Sed ex Ieremia longè aliud discimus, dicente: Hæc dicit Dominus exercituum, Murus ille Babylonis latissimus, suffossione suffodietur, & portæ eius excelsæ igne comburentur, & labores populorũ ad nihilum, & gentium in ignem erunt, & disperibunt. Et vt Babylonem à Semiramide conditam fuisse mentiti sunt historici rerũ prophanarum, sic etiam Niniuem pari vanitate à Nino conditam prodiderunt. Scimus autem ex Sacris oraculis Babylonem, prima sui fundamenta sub Nemrod habuisse, deinde eiusdem æmulam Niniuem ab Assur filio Sem fuisse conditam. Qui ex Oriente profectus cum reliqua familia Noe, quæ breui tempore mirum in modum aucta fuerat, concesserat in terram Sennaar, vbi nepotes & posteri Noe consilia contulerant de ædificio vanitate illorum digno construendo, quo suam ad posteros perpetuarent memoriam, priusquam illinc habitatum in varias colonias discederent. Hæc autem Genesis capite 10 & 11 docentur. Cap. 51. 58.

In Imperiorum verò successionibus, & Monarchijs maximè illustribus videmus, vt se permulti torqueant, qui Sacrorum scriptorũ ignoratione, vera falsis permi-

ſcentes, & tempora & hiſtorias miſerè confundũt. Quæ in Danielis ſcriptis ita ſunt ordine poſita & digeſta, vt non melius aut facilius in depicta cerni poßint tabula. Qua in re illud animaduertendum eſt, Danielem nihil de priorum ætatum conditione dicere, quia de conſequentium ætatum & ſeculorũ, quæ poſtea futura erant, ſtatu & conditione agat. Priora enim ſunt expoſita ſcriptis Vatum & Prophetarum, qui Danielem anteceſſerunt: qua de cauſa nihil fuit neceſſe Danieli dicere de illis. Inde fit vt quũ ante Babylonium imperium, florentißimum præter cætera fuerit Aſſyriorum imperium, vt cenſent prophani hiſtorici, nulla tamen eius fit in Daniele mentio: quia illud iam fuerat à Chaldæis euerſum. De hoc autem Aſſyrio imperio nugantur egregiè, cùm Græci, tum Latini ſcriptores, quemadmodum & de cæteris, quæ in commentarios retulerunt, tanta mentiendi libertate, vt nullam veritatis curam habuerint, quam in hoc imperio Aſſyrio euerſo poſſumus ex Ionæ & Nahum vaticiniis recognoſcere. Ex Iona quidem diſcimus Deũ excidium ipſi Niniue & Aſſyriorum imperio eſſe interminatum, niſi reſipiſceret. quod quidem ex Propheta Nahum effectum per Chaldæos intelligimus. Quærit enim Propheta, num Niniue fuerit melior, aut pluris facienda No Aegyptia populoſa, quã Thebas Aegyptias, centum portarum, vel Dioſpolim fuiſſe, bonis rationibus colligere poſſumus. Quamobrem Niniuem fuiſſe exciſam poſt Thebas Aegyptias animaduertimus. Aegypti autem regnum & vrbes Aegyptias datas à Deo fuiſſe Nabucodonoſori laborum præmium, quos ſuſceperat in euertendo Tyriorum regno docet Ezechiel, in- Cap.28.20.
quiens:

quiens: Fili hominis, Nabucodonoſor rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum. omne caput decaluatũ, & omnis humerus depilatus eſt, & merces non eſt reddita ei, neque exercitui eius de Tyro, pro ſeruitute qua ſeruiuit mihi aduerſus eam. propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabucodonoſor regem Babylonis in terra Aegypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitui illius, & operi pro quo ſeruiuit aduerſus eam, dedi ei terram Aegypti, pro eo quòd laborauerint mihi, ait Dominus Deus.

Quantum autẽ fuerit Nabucodonoſoris imperium, & quàm latè patens, licet ex his colligere quæ habentur Ieremiæ 25, 27, quum illum victorem futurum commemorat regnorum, quæ complecteretur Syria regio ampliſsima. Item Arabiarum domitorem, præterea Perſarum & Medorum, item Aegyptiorum & Aſſyriorum. Quare non iniuria Babylonicum illud ſub Nabucodonoſore imperium, dicitur aureum, Daniel 2, 38. Nam vt fuit ampliſsimum & florentiſsimum, ita ſequentium comparatione omnino cenſeri debet præſtantiſsimum. Quatuor imperia.

Poſt quod, Perſicum nominatur argenteum, quia fuit priore illo minus: etſi, vt conſtat ex hiſtoria Eſter, 127 prouincias haberet ſibi obnoxias.

Tertium autem quod eſt deinceps conſequutum, ſcilicet Macedonicum, aut Græcum ſub Alexandro Ma-

gno, & eius successoribus dicitur æreum.

Quartum verò quod fuit Romanum, appellatur ferreum, rebus ita sensim collabentibus, & in deterius relatis ratione ipsorum imperiorum, & Ecclesiæ Dei, cuius status fuit semper deterioris conditionis, mutatis illis imperijs. Ex quibus ita nobis à Scriptura propositis & figuratis, Poetæ Græci & Latini secula confinxerũt aurea, argentea, ærea & ferrea. Quæ à quánam origine repetenda sint, ex Daniele intelligimus. Ex quo & illud apparet, Hesiodum & Homerum his temporibus fuisse posteriores, qui vsurparunt, & inter gentes sparserunt hæc secula. Pro Seculis autem dicenda fuerant Imperia nationum, quæ Christi Domini regno augustißimo & longè fœlicißimo atq; amplißimo sint obruenda & delenda Ecclesiæ ipsius fœlicitate & potentia. Qua de re ita Daniel. 2, 44 agitur: In diebus autẽ regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternũ non dissipabitur, & regnum eius alteri populo nõ tradetur. Comminuet autem & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Similia his etiam dicuntur cap. 7, 17 in hæc verba: Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quę consurgent de terra. Suscipiẽt autem regnum sancti Dei altissimi, & obtinebunt regnum vsq; in seculum, & in seculum seculorum.

Hæc quidem de terrenis Monarchijs Daniel, quia nihil est diuturnum, in quo sit aliquid extremũ. Itaq; regna ista mundana, quãuis steterint multis seculis, & Romani adhuc imperij vigeat nomen & appellatio, tamen

ea breuia sunt censenda, & nullius æstimāda temporis, si cum æternitate conferantur, quæ regno Christi data est. Vnde qua ratione nouißima dicantur ea tempora, quæ Christi Iesu Domini nostri doctrina & aduentu in carnem illustrata sunt, facile est colligere. Quũ nouißimus iam & supremus dies mundi sit nobis expectandus, neq; vlla alia à iam dictis imperia vel tempora essent expectanda piis, ante restitutam & suo ordini redditam per Christum Dominum Ecclesiam. Post Christi verò Domini aduentum in carnem, cogitare tantùm nos oportet de eius ad nos glorioso reditu, quo suos in suum regnum & fœlicitatem recipiet, quæ pijs est constituta ante iacta mundi fundamenta.

Hæc autẽ breuiter ex Nabucodonosoris historia memoranda iudicauimus: vt vera ex Sacris scriptis repetenda esse antiqua historia intelligatur. Raræ enim sunt prophanæ veteres historiæ veræ ante Cyrũ Persarũ regem, qui 80 demũ Olympiade floruit, non autem 59, quemadmodum id annotatũ habent prophanæ historiæ, ex Diodoro, Thallo, Castore, Polluce & Phlegone repetitæ. Quanquam horũ nonnulli volunt Cyrum regnasse Olympiade 55, sicuti Africanus ex nostris scriptoribus Ecclesiasticis maximè celebris, annotatum reliquit in suis Chronicis, vt cõstat ex Eusebij lib. 5. cap. 10, de Præpar. Euangel. Imò non nisi longo post Cyrum tempore, veri aut certi quicquam habent Græci & Latini. Certiora enim post Xerxis in Græciam transitum, vel potius post Alexandri Magni obitum, prophani historici tradere incipiunt. Quorum scriptis eo iuuamur, quòd multa eorum, quæ postremis Danielis capitibus compen-

diose sunt dicta, declarantur & aperiuntur fusius, Dei *prouidentia res ita temperante, vt quum exilio* Israelis *&* Iudæ Sacra Dei *oracula per omnes propè orbis partes cognita & patefacta essent, deinceps succederent autorum prophanorum monumenta, quæ comprobarent veritatem prædictionum propheticarum, de totius orbis statu, &* Ecclesiæ Dei *perpetua conseruatione.*

Nunc ad Cyri nobis veniendum est tempora, cuius laus eo nomine præcipua est, quòd Ecclesiam Dei, *quam Assyrij primùm, deinde &* Chaldæi *miserè afflixerant, recreauerit. Quod multis expressum in historiis* Regũ,
Cap.50.17. *paucis comprehendit Ieremias in hanc sententiã:* Grex dispersus Israel, leones eiecerunt eum. Primus comedit eum rex Assur, iste nouissimus exossauit eum Nabucodonosor rex Babylonis. Propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel, Ecce ego visitabo regem Babylonis, & terram eius, sicut visitaui regem Assur. *Vnde Assyriorum imperium à Chaldæis euersum fuisse, sicuti* Nahum *vaticinatus erat, animaduertimus: vt deleto Assyriorum imperio, florentißimum fuisse* Nabucodonosoris *& Chaldæorum imperium, per annos septuaginta intelligamus. Cui succedit* Medicum *&* Persicum *eodem comprehensum nomine imperium.*

Tempus

Tempus quod à Cyri maioris Monarchia incipit, finiturq; Domini nostri Iesu Christi morte, pro nobis in cruce obita, quod hebdomadibus Danielis septuaginta continetur, annos habet 490. Cap. VII.

Historiæ sacræ veritas, vt est indubitata, sic non modò nobis, Christiana pietate imbutis, sed hominibus quoq; prophanis, sæpius intellecta fuit & cognita, annotato, & in monumenta relato earum rerũ euentu, quas multis antè seculis quàm accidissent, futuras denunciauerant Prophetæ. Quod in præsenti monendum videtur historia, Cyri causa, qui edictis suis Dei beneficia quæ in ipsum extabant infinita, nõ dißimulanter tulit, sed apertè prædicauit. Etsi is, sicuti declaratur in Esaia, ne Dei quidem veri prius nomen audisset, quàm agnouisset se à Deo, in eum dignitatis gradum ad quem peruenerat, sublatum fuisse sola ipsius bona voluntate, & arcano consilio. Hic Cyrus multis prius quàm natus esset seculis, tutor & Ecclesiæ liberator fuerat à Deo designatus, & nominatim per Esaiam declaratus: ducentis nempe & eo amplius annis, quàm eius nomen fuisset in Dei populo auditum, vel cognitum. Qua de causa iure optimo edita de se per Esaiam oracula, tam multis retrò seculis admiratus est Cyrus, quæ vera esse & certa ex rebus quas Deo propitio gesserat, animaduertit. Præsentem enim Deum sibi adfuisse ex victoriarum insperatarum magnitudine agnoscebat. Quænam autẽ sint Sacris literis de illo pro-

Cap.44.28. *dita oracula, videamus. Apud Esaiam hæc de illo dicuntur*: Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnẽ voluntatem meam complebis. Qui dico Ierusalem, Ædificaberis: & Templo, Fundaberis. *Item*, Hæc dicit Dominus Christo suo Cyro, cuius apprehẽdi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius Gentes: & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo: portas æreas cõteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorũ, vt scias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel. Propter seruũ meum Iacob, & Israelem electum meum: & vocaui te nomine tuo, cognomine etiã designaui, & non cognouisti me. Ego Dominus, & non est alius, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.

Cap.45.

Ab hoc autem Cyro, quem Scriptura sacra Persam cognominat, autores verò prophani Cyrum maiorem dicunt, (propter alterum Cyrum Artaxerxis Mnemonis fratrem, quem vocarũt minorem) ea tempora incipiunt, quæ Danieli hebdomadibus concluduntur, sicuti in eo desinunt captiuitatis Babylonicæ anni septuaginta. Desinere autem captiuitatis Babylonicæ annos in Cyro, & cum eius imperio populi Dei liberationem incipere, docent Esdras, & 2. Paralip. cap. 36, in quo eadem recitantur, quæ initio Esdræ in hæc verba: Anno primo Cyri Persarum regis, ad explendum sermonem

Domini,

Domini, quē locutus fuerat per os Ieremiæ, suscitauit Dominus spiritum Cyri, Persarum regis, qui iussit prædicari in vniuerso regno suo, etiam per Scripturam, dicens: Hæc dicit Cyrus rex Persarum, Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarē ei domū in Ierusalem, quæ est in Iudæa. Quis ex vobis est in omni populo suo, sit Dominus Deus suus cum eo, & ascēdat. *Apud Ieremiam verò hæc dicuntur:* Quū cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonū, vt reducam vos ad locum istum. *Illa autem verba*, quum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, *ex Hebraismo significant, instante tempore, quo cōplendi erūt anni septuaginta transmigrationis Babylonicæ, Deum visitaturum populum suum, & ei missurū liberatorē, superatis prius & sub iugū missis Babylonijs. Quod per Darium Medum fuisse perfectum à Deo, ex historiis Danielis intelligimus. Dario autem Medo succedit Cyrus Persa, qui populum Dei suæ restituit libertati. Itaque ex dictis Scripturæ locis, exilio Babylonico fuisse destinatos septuaginta annos, eosdémque completos videmus eo tempore quo Cyrus adit imperium. Liberationem verò Babylonicam excipiunt Danielis hebdomades, quas nec ab imperio Darij filij Hystaspis, nec à monarchia Artaxerxis Longimani cognomine repeti oportere, licet iam intelligere. quod etiam perspicuum fiet ex Danielis supplicibus ad Deum precibus, sub Dario Medo fusis pro* Cap. 29.10

restitutione populi, quam instare præsentiebat, ex ea quam pertulerat captiuitate, & ex Ieremiæ vaticinijs, collatis cum eo tempore quo Babyloniorum vires corruerant. Quia verò ferè omnes, annos septuaginta destinatos captiuitati Babylonicæ, non inde cœperunt vnde oportuit, id est, à quarto anno Ioacim, aut à primo anno Nabucodonosoris, fit vt eos non reperiant in monarchia Cyri incipiente finitos, etsi hoc Scriptura satis apertè docet. Sed vt non sibi proposuerunt Scripturæ sacræ loca quæ oportuit, in definiendis superioribus temporibus, ita neq; hac parte quid tenere debeant satis perspiciunt: quo factum fuit, vt partim ad quædam Zachariæ Prophetæ loca respexerint, partim ad Nehemiæ historiam nihil ad præsentia tempora pertinentem. Itaque quod ad illa attinet, quæ vulgò proferri solent ex Zacharia Propheta, & ex Nehemia, quibus se tuentur qui vel à Dario Histaspis, vel ab Artaxerxe Longimano repetunt horum temporum initia, talia sunt, vt nullo negotio refelli poßint. Quæ ne cui faciant negotium, non pigebit breuiter exponere, quò morosioribus quoq; satisfiat, & tollantur hac parte omnes nodi. Zachariæ quidem 1. cap. docetur anno secundo Darij regis, verbum Domini factum fuisse ad ipsum Prophetã, de Templi diuini ædificatione. Eum autem annum interpretantur septuagesimum euersi Templi, aut septuagesimum captiuitatis, quia versu cap. illius 12 ita habetur: Et respondit Angelus Domini, & dixit, Domine exercituum, vsque quo tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es: iste 70 annus est. *Verùm non posse eum locum ita intel-*

ligi

ligi, ex historia Esdræ constat, quæ docet anno 70 captiuitatis expleto, rediisse Iudæos in patriam, duce Zorobabele. Sub quo iacta quoq; Templi fuerint fundamenta, Cyri iussu & mandato, qui populum Dei suæ libertati restituerat. Postea verò Templi fuit impedita structura, sub Assuero Artaxerxe, omnibus diebus Cyri regis Persarum, & vsq; ad regnum Darij regis Persarum, sicuti Esdræ 4,3 scribitur. Cyrus enim absens à Syria, & bello fortasse Scythico implicatus, domi regni vicarium reliquerat Assuerum, tanquam imperij consortem. Is nihilominus contemptis aut dissimulatis vel ignoratis edictis Cyri, & sollicitatus ab hostibus populi Dei, Iudæos vetuit quod cœperant peragere. Certo verò post tempore, Dario rebus Iudæorum fauente & imperante, intermissa iam diu Templi ædificatio repetita fuit. Ex quo apparet annum captiuitatis septuagesimum non posse dici eum, quo verbũ Domini fit ad Zachariam, aut quo Zacharias audit Angelum deprecantem pro Ierusalem & Iuda. Quamobrem locus ille 1. cap. Zachariæ, vbi dicitur, Iste septuagesimus annus est, debet ita accipi, quasi diceret Angelus: Domine exercituũ vsquequo tu non misereberis Ierusalem & vrbiũ Iuda, quibus iratus es, septuaginta iam annis exactis? Et tu quidem iræ tuæ modum spatio annorũ septuaginta definieras, at illi iam dudum præterierunt: quem ergo finem laborum Ecclesiæ tuæ statuere vis? Cur non exactis iam diu septuaginta annis, quibus statueras supplicia & pœnas de tuis sumere, propitium te populo tuo & sanctuario præbes? Hic loci illius videtur esse sensus. At nostri, qui minus diligenter locum istum, & historiam præsentem conside-

rant, neq; notant tempus quo prophetabat Zacharias; istud continuò arripiunt, in quo audiūt fieri mentionem annorum septuaginta, atq; inde statim pro certo & confesso statuunt, annum septuagesimum Babylonicæ captiuitatis compleri anno secundo Darij Assyrij, sub quo prophetat Zacharias, nominantes illum Darium, filium Histaspis: quum tamen ea de re nihil expressum reperiant in Sacra scriptura, contenti sola Hieronymi sententia, apud quem tale aliquid legitur, quemadmodū apud Theophilum libro ad Autolycum tertio: ex quo alij etiam errores sunt à nostris desumpti, dum autorum illorum dicta non conferunt cum Historia sacra, neq; ea ad regulam diuini Verbi expendunt.

Iam quod ad Nehemiæ legationem attinet, quæ anno Artaxerxis pij vicesimo fuit impetrata, vt scribitur Nehemiæ cap.2.&8, nihil est cuius causa debeamus inde initium Hebdomadum repetere. Nam neque id Nehemias agit, vt eo tempore doceat restitutum suæ libertati fuisse populum Iudaicum, aut tum primùm in patriam rediisse demonstret, quia tum captiuitatis anni essent exacti. Quos nequaquam repetēdos esse ab eius Artaxerxis pij anno vigesimo, Zachariæ iam dictus locus facilè arguit. Ex quo anni captiuitatis, qui septuaginta designati fuerant à Deo, intelliguntur prius exacti fuisse, quàm Darius imperaret, sub quo Aggæus & Zacharias prophetauerunt. Darium autem illum, cuius anno secundo populum ad intermissam Templi ædificationem cohortantur Aggæus & Zacharias, consequitur Artaxerxes is, à quo mittitur Hierosolymam Nehemias. Qui longè alius est ab Artaxerxe, quem nostri Longimanum dixerunt, quòd

quòd is à Græcis μακρόχειρ cognominatus sit. Nam hic fuit filius Xerxis, qui Græciam immensis copiis inuasit. At Artaxerxes is à quo & Esdras in Iudæā legatus est, & Nehemias postea missus est Ierusalē ad res componendas, longè ætate prior est & antiquior Artaxerxe Longimano, vt posteà sumus demōstraturi in historia regum Persicorum. Cur autem legationem impetrauerit Nehemias ad suos ab Artaxerxe, quē Pium cognominamus ad aliorū monarcharum Persicorum discrimen, quibus est idem nomen, docetur Nehemiæ cap. 1. Eo autem capite iustus ipsius Nehemiæ dolor, ex vrbe Ierusalem muris & portis destituta, & opprobriis quæ Dei populus ab impiis vicinis nationibus perferebat, declaratur.

Neq; verò est quòd quisquā dicat, post cinctam mœnibus Ierusalem, inchoari debere hebdomadas Danielis: quia id fuerat à Deo præstitutum ei rei spatium, quū sit contrà sentiendum. Deus enim post Sacra restituta, & liberatum captiuitate Babylonica populum, voluit incinctam manere Ierusalem, vt Ecclesiæ Dei quam referebat ipsa Ierusalem, intelligeretur amplitudo, quæ nullis definiri aut concludi potest mœnibus aut terminis. Huc accedit illud, quod tum Deus intelligi à suis voluit, & re ipsa declarauit, pios vnius Dei præsidio, non autem murorum, tutos esse: quemadmodum id quoque Zacharias cap. 2, 4 declarauit his verbis: Absque muro, tanquam pagatim & vicatim habitabitur Ierusalem, præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius. Et ego ero ei, dicit Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.

Sed omißis Esdræ & Nehemiæ historiis, quæ quidem pertinent ad ea tempora, quæ sunt insequuta liberationem populi Iudaici, accedamus ad Danielem fidum & clarum istorum temporum interpretem. Sic autem cap. 9 hac de re agitur:

1 Anno primo Darii filii Assueri, de semine Medorũ, qui imperauerat super regnum Chaldæorum.

2 Anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorũ, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam Prophetam, vt complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni.

3 Et posui faciem meam ad Dominum Deum meũ rogare & deprecari in ieiuniis, sacco & cinere.

Hac præfatione Daniel ostendit qua ratione fuerit ad preces conuersus pro Ierusalem, & Templi diuini instauratione: nẽpe quòd ex libris sacris didicisset instare tempus liberationis Babylonicæ. Quare quũ id tempus instaret sub Dario Medo, certè id nondũ aduenerat eo tempore. Quod quidem in primis est notandũ hoc loco, ne amplius quæratur de ea re, quã ex iam dictis clarè confirmatam quoq; intelleximus. Iam quid Deo reuelante didicerit ab Angelo Daniel de rebus futuris, & temporibus consequuturis liberationẽ populi Dei, audiamus. Versu

21 Adhuc me loquente in oratione mea, ecce vir Gabriel quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini.

22 Et

22 Et docuit me, & locutus est mihi, dixitque, Daniel, nunc egressus sum vt docerem te, & intelligeres.

23 Ab exordio precum tuarum egressus est sermo. Ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu autem animaduerte sermonem, & intellige visionem.

24 Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbẽ sanctam tuam, vt consumatur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum.

25 Scito ergo & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ędificetur Ierusalem vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexagintaduæ erunt; & rursus ædificabitur platea & muri in angustia temporum.

26 Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & nõ erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.

27 Confirmabit autem pactũ multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis, & vsque ad con-

summationem & finem perseuerabit desolatio.

Hactenus Angelus hæc, vt Latinè quidem sunt exposita in translatione vulgata, denunciat explanatq; Danieli, quæ nonnullis locis explicationis egent, sed ea dicemus post temporum de quibus agimus, tractationem, quæ definiuntur hebdomadibus. Quas ad annorum septenas comprehensiones, id est, septuagies septenos annos pertinere fatentur, & agnoscũt omnes interpretes: quẽadmodum id etiam perspicuè intelligitur, ex simili dicendi ratione, quæ extat Leuitici 25.8. Numerabis quoque tibi 7. hebdomades annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem. Et clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore, in vniuersa terra vestra. *Itaq; Danielis istæ septuaginta hebdomades annorũ, sunt anni septuagies septem, id est, 490, hebdomadarum istarum initiũ. quarum initium siue Persicum imperium siue Cyri edictum dicatur esse perinde est, quum vtrũq; eodem redeat. Certè non aliunde peti debere initium, quàm à Cyri imperio, aut Persicæ monarchiæ initio, nulli obscurum esse debet: quum edictum promulgatum fuerit eo tempore de libertate populi, & vrbis Ierusalem instauratione.*

Finis autem quisnam sit huius tẽporis, seu spatij 490, annorum propositorum, & quando statuenda sit cõclusio hebdomadarum septuaginta, de quibus hic agitur, non melius aut certius, quàm ex Daniele discemus, in quo id verbis istis aperitur: Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuũ, & su-

& super vrbem sanctam tuam, vt consumatur præuaricatio, & finem accipiat peccatũ, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum. *Hic versus breuiter totam comprehendit Euangelij doctrinam, atq; Scripturarum sacrarum summam aperit, declaratq; temporum ipsorum complementum, quorum finis in Christo Iesu Domino nostro statuitur. Euangelium autem docet Christum Iesum esse Sanctum sanctorum, vnctum et declaratum à cœlesti Patre, verum Regem & Dominum omnium, & conciliatorem pacis nostræ, eundemq; esse veram iustitiam, cuius sanguine vera peccatorum peracta sit expiatio, in quo visiones omnes, & promißiones, quæ sunt de generis humani redemptione & salute, finem accipiant. Quæ omnia breuiter hoc versu recensentur, & hebdomadibus septuaginta complenda significantur. Quare non ad vnam versus huius partem, sed ad totam versus integri sententiam finis hebdomadarum pertinere intelligitur: hoc est, ad completam & peractam nostram in Christo Iesu Domino nostro salutem, & peccatorum nostrorum expiationem. Eam autem in cruce fuisse peractam, hoc ipsum testificante Domino animaduertimus & audimus. Sic enim pendẽs in cruce loquitur,* Consummatum est. *quo dicto, vt ait E-* Io.19.20.
uangelista, inclinato capite tradidit spiritũ. *sciens omnia consummata esse, vt prius dixit v. 28. Morte ergo Domini nostri Iesu Christi, quia consummata sunt et cõpleta omnia quæ ad nostrã attinebant salutem, iure eam finem & conclusionem hebdomadum esse dicimus:*

præsertim quum hebdomadarum finis, vncto Sanctò sanctorum, & producta iustitia sempiterna, & expiatis nostris sceleribus, statuatur. Et *in morte Domini nostri*
Matt.27.51. *Iesu Christi*, velum Templi à summo deorsum vsque, *id est, ad imum vsq;* disruptum fuisse audimus. *Et apud alios Euangelistas legimus, significante hoc ipsum nobis Spiritu sancto, propalatam esse sanctorum viam, Tabernaculo omnibus aperto, & cœlo ipso per Christum omnibus reserato & patefacto.*

Est igitur hebdomadarum Danielis septuaginta finis, in morte Domini nostri Iesu Christi statuendus, nō autem in eius Baptismo aut Iohānis Baptistæ præconio. Nam quæ Matthæi 11. & Lucæ 16, dicuntur de Iohanne Baptista, etsi in hanc videntur nos ducere sententiam, non tamen id agūt, vt quæ Prophetarum oraculis prodita fuerant, aut quæ ceremonijs repræsentabantur, concludi Iohannis Baptistæ præsentia doceant. Quo modo verò sint accipienda quæ dicūtur à Christo Domino, de Iohanne Baptista, ex iam constitutis & confirmatis sententijs deprehendi poterit. Matthæi quidem 11.13, ita de Iohanne Baptista Christus agit: Omnes Prophetæ, & Lex vsque ad Iohannem prophetauerunt. *Ex quo dicto non est colligendum, quod faciunt pleriq; non indocti viri, tempora omnia Prophetarum oraculis prænunciata, definita esse & completa Iohannis Baptistæ processu in medium, aut ipsius prædicatione. Quam autem in partem sint ista interpretanda, & vt Christi dictum sit accipiendum, ex Lucæ verbis facilius liquebit, apud quem cap.16.16, eadem in re dicuntur ista:* Lex & Prophetæ vsque ad Iohannem: ex

eo Dei regnum euangelisatur. Ex *his verbis apparet et cõstat agi de ministerio* Ioan. B*aptistæ, qui præsentem Christum demonstrauerat, quem venturum denunciauerant* Prophet*æ: & Lex ipsa, id est, Lege obseruatæ ceremoniæ & constitutæ significabant nostra peccata expiaturum sua morte.* Ac Ioan. *quidem ministeriũ & officium quodnam fuerit, declaratur* Iohannis Euangel*istæ cap.1. vers.* 29. *Altera die videt* Iohannes Ie*sum venientem ad se, & ait,* Ecce Agn*us* Dei*, ecce qui tollit peccata mundi.* Hic *est de quo dixi,* Post *me venit qui ante me factus est, quia prior me erat.* Et *ego nesciebam eum, sed vt manifestetur* Israeli, *propterea veni ego in aqua baptizans.* His *verbis munus suum quale fuerit declarauit* Iohannes Bapti*sta: nempe vt Christum* Domi*num præsentem* Israeli *demonstraret, quem venturum demonstrauerant* Prophet*æ.* Ita *præconio* Iohãnis *præsens declaratur Christus* Dominus*, quem* Prophet*æ suis oraculis futurum suo tempore hominem cecinerant.* Si*militer* Legis *sacrificia, & aliæ ceremoniæ, nostrorum scelerum expiationem, Christi innocentis & immeriti morte & sanguine atq; obedientia, ante oculos omnibus proponebant.* At *velum* Templi *disruptum, tum quum emittit spiritum dominus* Iesus Christus *in cruce, monstrauit sacrificia & ceremonias iam nullo loco habẽdas: quas tamen dum inter suos ageret, vigere passus erat* Dominus*, atque etiam comprobarat, vt ex* Matth. 8. 4*, colligere possumus, vbi dicuntur ista:* Vade, ostende te sacerdoti, & offer munus tuum, quod pręcepit Moyses in testimonium illis. Q*uamobrem* Iohannes Bapti*sta regnum* Dei *euangelizabat, &*

verum Meßiam siue Christum piorum Regem & Dominum qui suos à morte vindicaret demonstrabat, dum eum baptizaret, & Agnum Dei declararet. Agnus autem qui sub lucem quotidie immolabatur et sub noctem, sicuti mandatum fuerat Exodi. 29.38, & Numer. 28. 3, referebat Christum Iesum, quē ea de causa Iohannes appellabat Agnum Dei. Qua ratione Lex, hoc est, præscriptæ Lege ceremoniæ, & ea quæ Lex complexa erat de nostra salute vaticinia, finem suum videbantur consequi, & propediem debere compleri. Item prophetiæ diuinorum Vatum & Prophetarum scriptis comprehēsæ veræ iam apparebant Iohannis clara denunciatione & prædicatione, de Christo Domino præsente, et iam facto homine. Ergo Lex & Prophetæ ad Iohannis vsq; tempora de futuro Christi regno egerant: quod posthac non esse expectandum, sed præsens iam adesse docebat Iohānes. In quo non propterea habent finem Danielis hebdomades, quæ complendæ erant salute æterna parta, & expiatione peccatorum peracta, quod tum perficitur quum Christus Dominus pendens in cruce pro nostra omnium salute, pronunciauit omnia consummata esse, atq; ita expirauit, velo Tēpli disrupto & æterna redemptione suis comparata.

Initio autem & fine hebdomadarum Danielis constituto, sequitur vt de earum partitione, quā proponit Angelus, & his quæ ad eam pertinent paucis agamus.

Liberationem longè Babylonica præstantiorē proponit Angelus Danieli, ne putaret Ecclesia Dei, sibi hærendum in ea quæ sub Cyro instabat liberatione: sed longius prospiceret, fœlicitatemq;, hoc est, veram libertatem, recorda-

cordaretur in promisso Meßia spectandam esse. Quia verò ex Sacris libris propè completos esse septuaginta captiuitatis Babylonicæ annos didicerat Daniel, audit iam pro septuaginta illis annis propè expletis, alios septies septuaginta annos cōstitutos & definitos esse à Deo, quibus vera libertas, nempe à peccato, morte & tyrannide Satanæ esset populo et ipsi Ecclesiæ restituenda per Christum.

Qua de re, vt agamus paulò fusius & liberius, notandum est, captiuitati Babylonicæ septuaginta annos fuisse constitutos à Deo, cuius temporis certa parte, terra ipsa Iudaica colonis vacua celebraret sua sabbata, quēadmodum secundi libri Paralip. cap. 36. 21, declaratur. Iusserat enim Deus vt Israelitæ terram Chanaā ingreßi, sex annis agros colerent, septimo autem inculta arua relinquerēt, vt ipsa terra more hominum suas haberet ferias, & sua sabbata atq; otia celebraret, vt Leuitici cap. 24, scribitur. Cui præcepto id quoque fuit adiungendum, quod Deut. 15, capite præcipitur de nouis tabulis & debitorum remißione tenuioribus, & iis qui soluendo non essent. Septimo enim anno quo terræ quies cōcedebatur, debitorum quoq; remißio tenuioribus et egenis dabatur, ex Dei mandato. Sed quia in harum rerum obseruatione negligentius se gesserant Iudæi, quemadmodum alia quoque Dei præcepta curauerant parum diligenter, exilio annorum septuaginta sunt à Deo damnati. Quò scirent Dei Sabbata diligentius sibi obseruanda esse, quum suæ libertati fuissent restituti. Ac quia libertas illa quæ Iudæis per Cyrum fuit concessa, typus erat libertatis eius, quæ nobis Christi domini beneficio concessa

& parta est, propterea Danieli, quò de illo certior fieret, certum illius exhibendæ tempus proponitur, quod septies septuaginta annis definitur, siue decem Iubilæis annis. Nam tot annos reddunt anni Iubilæi decem, quot hebdomades septuaginta: nempe 490. Iubilæi enim anni celebrantur exactis septem hebdomadibus annorum, id est, septies septem annis expletis: qui iuncti simul, faciunt annos quadragintanouē, vt scribitur Leuitici cap. 24. Decies autem quadragintanouem, reddunt 490. quot nempe septies septuaginta reddunt. Ita numerus hic annorum, quem hebdomades septuaginta reddunt, admonet nos veri Iubilæi, qui Christi domini natiuitate inchoatus, & eius paßione completus, perpetuò est in Ecclesia duraturus: in qua peccatorum remißio, & debitorum omnium quæ nos morti æternæ addixerant, liberatio per Christum obtinetur. Anno autem Iubilæi redibant singuli ad suas posseßiones, quauis ratione à suis dominis ad alios translatas. Libertas quoque seruis Hebræis restituebatur eo anno, sicuti & septimo, vt præcipitur Exod. 21. 2, & Deutero. 15. 12. Externis verò, & his qui non erant in albo populi Dei, nequaquam concedebatur ea libertas. Soli enim verè liberi sunt, quos liberat Christus dominus, sicuti scribitur Iohannis c. 8. vers. 36. Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis. *Libertatem autem, quum mancipia Satanæ essemus, peperit nobis dominus Iesus Christus sua morte et obedientia, quam patefaciendam sub finem istarum hebdomadum denunciat Angelus. Itaque omißis septuaginta annis, quorum causa sollicitus erat Daniel, iubetur animum intendere in istos consequentes septies septuaginta*

tuaginta annos, siue decem consequuturos Iubilæos: quibus erant concludenda omnia Prophetarum oracula de Meßia, & vera Ecclesiæ redemptione: Iubilæo æterno & perpetuo in Ecclesiam inducto, non temporali quidem, sed spirituali, vt Christi regnū etiam spirituale est, non autem mundanum aut temporale.

Quò autem certior appareret cursus istorum temporum, quæ præfinita erant veræ liberationi piorum, siue ipsius Ecclesiæ Dei, suamq; vnà sub illis temporibus agnoscerent conditionem pij, partitur Angelus eos annos trifariam. Primùm quidem in septem hebdomadas, deinde in sexagintaduas, postremò vnā, quæ est vltima, solam proponit hebdomadam. At versu quidem 24, totius huius temporis summam ita proponit: Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam. Deinde versu 25, partiri hoc tempus incipit, hoc modo: Scito ergo & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexagintaduæ erunt, & rursus ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Hoc versu duas partes huius temporis videmus propositas, scilicet hebdomades septem, deinde alias sexagintaduas, quas postea resumit: vt intelligamus, quò pertineant septem priori loco dictæ hebdomades, nempe ad id quod mox attexitur de platea & muris Ierusalem reficiendis in angustia temporum, id est, per magnas difficultates & calamitates varias. Versu deinceps 26, sexagintaduæ hebdomades repetuntur, post quas dici-

tur occidendus Christus, hebdomade scilicet septuagesima. Nam si sexaginta duabus hebdomadibus, septē priore loco dictæ hebdomades adiungantur, fient sexagintanouem, post quas quia est tollendus Christus, certè cum septuagesima hebdomade sublatū fuisse oportuit. Quid autem illis sexagintaduabus hebdomadibus futurum sit, & quemadmodum intereà sit habitura Ecclesia, reticetur hoc loco, quia ex visionibus Danielis, quæ continentur capitibus, septimo, octauo, decimo & vndecimo, intelligitur.

Iam versu 27. cap. 9, illa hebdomada, quæ postrema est & septuagesima, explicatur: cuius medio tempore processurum Christum in medium ait, atq; Euangelium de peccatorum remissione promulgaturum, Ecclesiamq; sibi collecturum: ea ratione, multis cōfirmato pacto Dei æterno, sublatisq; omnibus Legis ceremonijs, vero Agno in cruce immolato. Quibus confectis, Templi atq; vrbis ipsius Ierusalem expectāda venit ruina, nulla spe reliqua Templi restituendi in postremum, quòd finem in Christo haberent omnia, quæ Templo eiusq; ministrio & ornamentis continebantur, & repræsentabantur. Arca enim, item propiciatorium, et altare, & cādelabrum, & hostiæ, Christum Iesum Dominum nostrum referūt, in quo vera peccatorum nobis proposita est expiatio, et iustitia. Neq; aliud hominibus sub cœlo datum est nomē, per quod illos seruari oporteat, vt docetur Actorum c. 4. 12. Et ne pij hærerent in illis vmbris, sed scirent Deū, vt spiritus est, ita spiritu adorandum esse, vt est Iohan. 4. 24, denunciat Angelus illa omnia ruitura, quæ ad certū tempus erant constituta.

Hæc

Hæc sunt quæ primùm in hebdomadum partitione et diuisione spectanda veniunt, quæ paulò fusioris explicationis egent, quò præsens apertior sit historia. Quamobrē nonnulla sunt prioribus adijcienda, & per partes resumendæ sunt singulæ diuisionis hebdomadum sectiones, quò facilius intelligantur. Sed priusquam eas resumamus, dicendum videtur de Persarum Monarchia, & Persarum Imperatoribus: quandoquidem hebdomadas incipere cum ipso Persico imperio diximus, & earum hebdomadum pars non minima ad id imperium pertinere, ex Danielis visionibus intelligitur.

De Persico imperio, & breui hebdomadum Danielis illustratione. Cap. VIII.



E tēpore & duratione Persicæ huius Monarchiæ ambigere nō possumus, quū eius initium ex Sacris oraculis habeamus cognitum, & id euersum ab alexādro Magno ex historijs prophanis intelligamus: quæ illa tempora fideliter annotata & consignata habent. Itaq; de tempore quo stetit Persicum imperium, prius dicamus, quàm de regibus, qui administrarunt argenteum illud imperium, quod aureæ Babylonicæ successit monarchiæ.

Ab eo anno quo primùm euectus fuit à Deo ad Asiæ principatum, post Darium Medum, Cyrus maior, quem Persarum regem nominant Sacra oracula, Persica incipit monarchia, quæ desinit & finitur morte Darij filij Arsani. Tum enim nullo repugnante Persarum opes

Asiaq; tota ad Alexandrum Magnum est delata. Primus autem Cyri maioris, siue Persarum regis annus, incidit in annum tertiũ Olympiadis octuagesimæ, qui fuit annus ab orbe condito 3472. Et vrbis Romæ fuit annus 295. annis quadraginta post reges vrbe pulsos. Quod, deductis ordine temporibus, vt ea Sacris exponuntur oraculis, & collatis cum his Olympiadibus & vrbis Romanæ annis certum esse intelligimus. Darij autem vltimi Persarum regis mors, ad annum primum Olympiadis centesimæ decimætertiæ pertinere, ex prophana historia intelligitur. Is autem annus est quintus hebdomadis Danielis decimænonæ: anno ab orbe condito 3062, ab vrbe condita 425. Ex qua temporum ratione intelligimus esse dandos Persicæ monarchiæ annos centum & triginta: etsi aliter ab alijs hac de re statuitur.

Iam quòd ad Persarum reges attinet, qui his centum & triginta annis imperarunt, nobis magno vsui erit ad veri intelligentiam Danielis locus, qui capite eius libri 11.2. extat, qui ita habet: Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimijs super omnes, & quum inualuerit diuitijs suis, concitabit omnes aduersus regnũ Græciæ. *Ex hoc Danielis loco, intelligimus eum Persarum regem, qui bello Græciam afflixit, quintum esse à Cyro maiore Persarum monarcham: eum verò quintum ordine à Cyro, Persarum regem, esse Xerxem ex rebus gestis & autorum prophanorum monumentis animaduertimus. Angelus enim ista Danieli aperit, anno Cyri regis tertio, vt est cap. 10.2. Quia igitur præter Cyrum tres adhuc futuri erãt Persarũ reges, post quos, quar-*

quartus bello Græciam esset inuasurus, quem fuisse Xerxem testes sunt omnes historiæ prophanæ, iure Xerxem terrorem Græciæ dicimus fuisse quintum à Cyro maiore Persarum imperatorem. Quinam verò inter hos fuerunt medijs temporibus Persarum reges, Sacra scripta nobis suggerunt, quæ temporum illorum intermediorũ historiam, quà pertinet ad Ecclesiam Dei, persequuntur, & explicant fideliter. His autem nominibus expressos eos reges habemus in Sacris oraculis, Assueri, Darij & Artaxerxis: qui vt ab alijs regibus eiusdem nominis distinguantur, epithetis & cognominibus sunt designandi, & donandi ijs, quæ maximè sunt idonea & conuenientia præsenti rei & historiæ, quam repetemus ex Esdra & Nehemia. Assuero igitur, Artaxerxis addemus cognomen: Darium verò dicemus Aßyrium: Artaxerxem autem Pium cognominabimus. Is enim Ecclesiæ Dei magnam curam geßit, vt pòst intelligetur.

Et vt ordine procedamus, de Assuero primùm agamus, qui ex ipsius Esdræ historia nobis notus est. In qua cap. 4. 6, dicuntur hostes populi Dei, in principio regni Assueri scripsisse accusationem aduersus habitatores Iuda & Ierusalem, qua factum fuit vt mandato eiusdem Assueri, cui Artaxerxis cognomen addimus, quia illum postea eodem nomine Scriptura appellat, intermissum fuit opus domus Dei. Multa verò est & frequens in libro Ester huius Assueri Artaxerxis mentio, quem fuisse consortem imperij Cyri ex eo intelligimus, quòd Esdræ 4. 5, opus domus Domini dicitur impeditum fuisse sub Assuero, omnibus diebus Cyri Persarum regis, vsque ad regnum Darij, Persarum regis. Assuerum verò istum

successisse in imperio ipsi Cyro, cuius fuerat prius in Perside vicarius, & Cyri nomine prorex, ex libri Ester initio possumus colligere: vbi cap.1.3, vt Hebræa habēt, dicitur robur Persidis & Mediæ fuisse coram eo, & in ipsius aula Satrapæ & principes, siue præfecti prouinciarum centum vigintiseptem, quibus imperabat, dicuntur adfuisse: quos per aliquot menses regifico luxu acceperit.

Roboris autem Persici & Medici pars melior & potior, anteà erat in expeditionibus cū Cyro maiore, quæ tum in Assueri aula fuisse dicitur. Post Assuerum autem Darium statuimus, quem nos ad aliorum discrimen, qui sunt dicti in hac Monarchia Darij, cognominauimus Assyrium: quòd Esdræ c.6.22, dicuntur Iudæi fecisse solennitatem Azimorum septem diebus in lætitia, quoniā lætificauerat eos Dominus, & conuerterat cor regis Assur ad eos, vt adiuuaret manus eorum in opere domus Dei Israel. Darius autē hic Assyrius, memoratur initijs Prophetarum Aggæi & Zachariæ, sub quo Templum Domini fuit refectum. Cuius ea laus est, quòd intermissum sub Assuero Artaxerxe Templi ædificium, eius autoritate repetitum fuit & cōfectum. Quod ex prophetijs Aggæi & Zachariæ colligimus, sed id præcipuè ex historia Esdræ agnoscimus. Nam cap.4.24, dicitur sub Assuero fuisse intermissum opus domus Domini, nec repetitum ante secundum annum Darij regis Persarum. Capite autem 6.14, de domo Dei extructa sub hoc Dario Assyrio, ita dicitur: Seniores autem Iudæorum ædificabant & prosperabantur iuxta prophetiam Aggæi Prophetæ & Zachariæ filij Addo: & ædificauerunt & cōstruxerunt

xerunt iubente Deo Israel, & iubente Cyro & Dario & Artaxerxe regibus Persarum. Qui autem isto versu, postremo loco memoratur Artaxerxes, videtur fuisse Assuerus Artaxerxes, à quo prius dictum fuit impeditũ fuisse opus domus Domini: nisi nos coniectura fallit, quòd ratione Estr & Mardochæi, rebus populi Dei faueret, à quibus alienus anteà fuerat. Fortasse enim quum iam grandis natu esset, allecto imperij consorte Dario Aßyrio, iußit quoq; Templum Dei extrui: incumbente in eã rem præcipuè Dario, quemadmodum id testatum nobis reliquerunt Diuina oracula. Potest quoque Artaxerxes ille esse is quem Pium dicimus, sub quo à Nehemia vrbs cincta est mœnibus, et Templum ornamẽta sua obtinuit. Alij Artaxerxis vocabulum ad ipsum Darium Assyriũ referunt, vt sit positum, &, pro, id est: quòd Artaxerxis cognomen, fuerit regum Persicorum proprium, quemadmodum Romanorum Imperatorum Cæsar, cõmune fuit nomen, & Ægyptiorum regum veterum, Pharao: vt post Alexandrum Magnum, Ptolomæi appellatio regibus omnibus Ægyptijs fuit attributa, vsquequo Ægyptus in prouinciæ formam fuit à Romanis redacta.

Dario Assyrio subiũgimus Artaxerxem Pium, cuius Esdræ fit mentio hoc modo: Post hæc autem verba in regno Artaxerxis regis Persarum, Esdras filius Saraiæ, &c. *deinde additur:* Ipse Esdras ascendit de Babylone, & ipse scriba velox in Lege Moysi, quã Dominus Deus dedit Israel. Et dedit illi rex secundum manum domini Dei eius super eum, omnem petitionem eius. *Nam, vt dicetur quoque posteà, rectore suæ gentis* Cap. 7.

videbatur tum carere Iudæa, defuncto Zorobabele. quâ de causa anno Artaxerxis Pij septimo, mittitur in Iudæam Esdras cum mandatis, ad res populi Dei componendas. Sic enim eodem capite Esdr. septimo, versu vigesimoquarto dicitur: Tu autem Esdrà, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua cōstitue iudices & præsides, vt iudicent omni populo qui est trans flumen: his videlicet qui nouerint Legem Dei tui, sed & imperitos docete liberè. Ab eodem Artaxerxe Pio mittitur posteà Nehemias in Iudæam, ad res Ecclesiæ componendas, anno vigesimo, quemadmodum id pluribus explicatur Nehemiæ cap. 2. Ita nobis quum ex historia Esdræ, tum Nehemiæ, notus est is Artaxerxes Pius, quem Dario Aßyrio subiungimus. Quamobrem ante Xerxem, qui Græciæ terror fuit, hos Persarum reges ex Scriptura nouimus: Cyrum maiorem, Assuerum Artaxerxem, Darium Aßyrium, & Artaxerxem Pium, quos quintus à Cyro maiore consequitur Xerxes Græciæ terror.

Quinam autem Xerxem istum consecuti sunt reges in Perside, ex historia prophana hos iam colligimus.

Xerxis filius fuit Artaxerxes μακρόχειρ id est, Longimanus, qui succeßit illi in imperio, à cuius anno vicesimo qui repetūt hebdomadarum Danielis initium, iam possunt animaduertere quàm longè absint à vero, quum hunc Artaxerxem Longimanum Xerxis filium sumant pro Artaxerxe Pio, qui fortè fuit auus Artaxerxis Longimani. Post Artaxerxem verò Longimanum, Darius nothus eo prognatus imperium tenuit. Dario Notho succeßit eius filius Artaxerxes Mnemon, id est, Memor cognomine: cuius frater fuit Cyrus, minor dictus: celebratus

bratus ab historia Græca, & à Xenophonte, qui cum eo socia aduersus Artaxerxem arma tulit. Post Artaxerxem Mnemonē eius filius Ochus Persis imperauit. Deinde Arses Ochi filius, qui cum tota familia sublatus, successorem habuit Darium vltimum Persarum regem: quem Diod. Siculus ait Arsani fuisse filium, qui Ochi frater fuerat: eū verò Iustinus nominat Codomanum. Contra hunc Darium Alexander Magnus bellū gessit, translata ad se potentia & monarchia Persica: quemadmodum id futurū Danielis visionibus prædictum, et à Deo constitutum fuerat: Ne quid in imperiorum mutationibus, aut reliqua nostra vita fieri sine diuina prouidentia existimemus. Lib. 17. Lib. 10.

Sunt ergo hi Persarum reges, partim ex Sacra scriptura, partim ex historia prophana, Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Ctesiæ, & Diodori Siculi nobis noti: quos etsi Eusebius aliter ordinat et appellat, stabimus tamen autorum à nobis dictorum iudicio, & huic descriptioni atque catalogo insistemus. Ex Historia quidem sacra Persarum reges & monarchæ agnoscuntur isti quinque priores.

Cyrus Maior.	I.
Assuerus Artaxerxes.	II.
Darius Assyrius.	III.
Artaxerxes Pius	IIII.
Xerxes terror Græciæ.	V.

Ex prophanis historijs, nobis sunt reliqui noti sub his nominibus:

Artaxerxes Longimanus.	VI.
Darius Nothus.	VII.

Artaxerxes Memor VIII.
Ochus. IX.
Arses qui & Arsanes. X.
Darius Codomanus Arsani fratris Ochi filius. XI.

Hos vndecim reges habuit Persica monarchia, per annos 130, vt antea fuit declaratum. His autem regibus suos annos nequaquam adiecimus: quia certa Persicæ historiæ notitia destituimur. Etsi autem priorum regum, nempe Cyri, Assueri Artaxerxis, Darij Assyrij, & Artaxerxis Pij, memorantur aliquot anni in Scriptis sacris, non tamẽ ex his possumus certò definire annos imperij illorũ, quia id non agit Scriptura, vt doceat quandiu regnauerint: quamobrem nihil est necesse nos curiosius in illos inquirere.

Lib. Antiq. 11. Quia verò nostri Iosepho in his historijs plurimùm vtuntur, admonendi sunt errorum quos in hac historia admisit Iosephus, qui ita Persicos reges enumerat: primò Cyrum, deinde Cambysem filium Cyri, tum Magos, postea Darium Hystaspis filium, deinde Xerxem: post Xerxem memorat Cyrum alterum, quem Xerxis filium vult esse, qui Græcis dicitur Artaxerxes: sub quo contigisse ait historiam Ester: ab hoc transis ad Alexandrum Magnum, qui Darium vltimum Persarum regem deuicit. Quæ quàm sint à Scriptura sacra aliena, ex superioribus abundè liquet, vt in his confutandis non sit immorandum.

In memorata verò Persicorum regum serie prætermisimus Xerxem secundum, & Secundianum, quem alij Sogdianum vocant, quòd vterq; paucis mensibus regnarit: etsi eos Diod. Siculus ex Ctesia memorat, quos

alij

alij nihilominus prætereunt. Horum autem regum annos incertos & malè distributos in historia prophana, non recensuimus sigillatim, quòd illos confuderũt Historici. Itaq; summa annorũ istorũ omnium, quibus in vniuersum regnarunt, contenti fuimus: quam esse certam, ex ijs quæ sunt antè posita, possumus animaduertere.

Antequam autem ex hac Persicorum regum discedimus historia, quia nihil est descensu Xerxis in Græciam in ea illustrius, in historia quidem prophana, age videamus quánam Olympiade is Græciam bello petierit: id enim à pluribus traditur Historiographis Græcis, sed quàm verè dispiciendum est. Pausanias quidem in Arcadicis autor est, eo tempore Xerxem cũ infinita illa quã produnt Historici manu (vt prandente Medo epota fuerint flumina) traiecisse in Græciam, quum Gelon dominaretur Syracusis. Quem ad bellum pro Græcia contrà Xerxem secum gerendum Athenienses & Lacedæmonij per legatos sollicitauerũt, vt est apud Herodotum lib. 7. Idem autẽ Pausanias in Eliacis, ait Gelonem potitum tyrannide Syracusis anno secundo 72 Olympiadis. Præterea affirmat etiam in Eliacis, Persas à Xerxe relictos in Græcia cum Mardonio, fusos fuisse ad Plateas, Olympiade 75. Sed Diod. Sicul. lib. 11 ait Xerxem mouisse arma in Græcos Olympiade 75. quo tempore potitũ rerũ Syracusis Gelonem memorat. Polybius quoq; lib. 5, qui ait Romanos fœdus primùm percußisse cum Carthaginensibus, post eiectos Roma reges, Consulibus Rempublicam obtinentibus annis ante primam Xerxis in Græciæ transfretationẽ duodetriginta. Roma autem sub regibus fuit annis 243, vt Sextus Rufus computat, regum

temporibus deductis. Ab eo tempore si numerentur anni duodetriginta, perueniemus ad Olympiadis 74 annum tertium. Pausaniam autem et Diodorum Siculum, Polybiũ, & Halicarnasseum, errasse ex eo constat, quòd Cyrus maior Persarum rex, imperium post Darium Medum obtinet, anno tertio Olympiadis 80, sicuti constituta Scripturæ sacræ testimonio arguunt tempora. Post Cyrum autem, hi reges in Perside ante Xerxem fuerunt, Assuerus Artaxerxes, Darius Assyrius, & Artaxerxes Pius. Artaxerxis autem Pij annus vigesimus, Templi restituti in totum, & vrbis Ierusalem cinctæ mœnibus habet notationem: sicuti mox ex septem primarum hebdomadarum Danielis historia constabit. Hebdomas autem septima quæ huius temporis terminum statuit, finitur Olympiadis 92 anno tertio. Adhæc Artaxerxis Pij memoratur annus tricesimussecundus, Nehemiæ cap. 13, 6, qui incidit in Olympiadis 95 annum tertium. Sic quàm longè absint à vera temporum notatione isti autores, apparet: quum non nisi circa 90 Olympiadem Xerxis in Græciam transitus contigisse videatur. Quandoquidem Artaxerxẽ Pium oportuit in Perside regnasse ante Xerxem, quem dicimus Græciæ terrorem: quemadmodum ex Danielis oraculis id liquere potest, in quibus capite 11, 2 disertè id dicitur, præter Cyrum tres alios reges habituram Persidem, ante Xerxem, qui Græciam sit turbaturus. At potuit Xerxes sub Artaxerxe Pio descendisse in Græciam, quum esset rex designatus. Vt enim sub Cyro regnauit Assuerus, ita sub Artaxerxe potuit regnare Xerxes: & Persica monarchia: vti Romana eodem tempore potuit plures habere imperatores.

Ad

Ad hebdomades Danielis iam nobis est accedendum, quas ab Angelo distributas fuisse in tres partes superiore capite docuimus: sic vt primum septem ex his secreuerit, attribueritq; Templo & vrbi reficiendæ. Deinde sexaginta duas enumerauit, quibus variè iactata fuit Ecclesia. Tertio autem loco, postrema, quæ est septuagesima, proposita fuit, quæ conclusionem & finem habuit ceremoniarum omnium legalium. Septem autem primo loco dictæ hebdomades, quia pertinent ad annale tempus, annos efficiunt 49. quarum historiam continent Esdræ & Nehemiæ scripta, quæ Latini vno fasce complectuntur: sic vt Nehemiæ librum vocent librum Esdræ secundum. Et Hieronymus in Epistola ad Paulinum de Sacræ scripturæ libris, Esdram ait & Nehemiam in vnũ volumen coarctari. Ex quo nunc præsens temporum septem hebdomadarum delibanda est historia. Ac primo quidem Esdræ capite, Cyri edictum exponitur, quo post septuaginta captiuitatis Babylonicæ annos, redditur suæ libertati populus Dei. Reuerso autem in patriam populo, altare primùm fuisse extructum, in quo sacrificia offerrentur, docet cap. 3. quod monet etiam Templi iacta fuisse fundamenta à Zorobabele, filio Salathielis, principis Iuda, & à Iosue filio Iosedeci, Pontifice maximo, anno secundo reditus eorum in patriam. Quarto capite, Templi ædificationem impeditam fuisse mandato Assueri Artaxerxis, nec repetitam fuisse ante annũ Darij Assyrij secundum, docet Esdras. Sexto autem capite, structuram Templi fuisse effectam ostendit, anno Darij Assyrij sexto, annitentibus præcipuè, & in eam rem incumbentibus Zorobabele & Iosue, excitatis per Ag-

gæum & Zachariam Prophetas. Templo autem restituto, et propè confecto, Zorobabel dux Iuda, videtur è viuis discessisse, quòd Esdras veluti prorex à Persarum imperatore Babylone mittitur in Iudæam, cum magna voluntariorum Iudæorũ manu, qui restiterant in Chaldæa post Cyri edictum, & suorum discessum. Qui expergefacti à Deo maluerũt postea relictis commoditatibus Babylonicis, in patria, quàm in peregrino solo agere. Missus est verò in Iudæã Esdras præcipuè ad Iudices et Præfectos, qui ius populo dicerent, constituendos, componendum Iudaicæ Reip. statum. quod fit Artaxerxis Pij anno septimo, vt est Esdræ cap. 7, 24. Post Esdram ab eodem Artaxerxe Pio mittitur & legatur in Iudæã Nehemias, cum imperio & mandatis, pro tegendis Templi portis, id est, complendo Templi ædificio: item vrbe Ierusalem cingenda muris, vt est Nehem. 2, 8. Anno autẽ vigesimo Artaxerxis Pij, Nehemias eam legationem obtinuit, vt est vers. 1. cap. 8. quod factum est annis à legato prius in Iudæam Esdra tredecim. Mansit autem annos duodecim Iudææ rector & procurator Nehemias, vt declaratur cap. 5, vers. 14. Cæterùm in vrbe Ierusalem munienda, et muris cingenda, quantopere laborarit ipse Nehemias, declaratur à secundo capite ad septimum. Porrò cap. 6. 15, quantam ipse & Iudæi diligentiam adhibuerint in vrbe Ierusalem munienda declaratur, opere tanto intra quinquagintaduos dies confecto, vigesimaquinta mensis Elul, qui nobis Augustus dicitur. Atq; hìc completas habemus septem istas priores hebdomadas, anno scilicet Artaxerxis Pij vigesimo, quo venit in Iudæam Nehemias. Sic enim dixerat Angelus, Danielis 9, 25. Hebdomadibus

bus septem rursus ædificandam plateam et muros, in angustia temporum. Angustiam autem & miserias eius temporis testantur hostiles conatus aduersariorum populi Dei, & nefaria contra bonos inita consilia; item ditiorũ in tenuiores illiberalitas, quæ satis multis describuntur ab Esdra & Nehemia.

Annus igitur Artaxerxis Pij vigesimus, habet cinctam mœnibus Ierusalem, atq; etiam Templum cum suis appendicibus absolutum: quam ad rem materiam postularat & impetrarat ab ipso rege Nehemias. Vnde non iniuria apud Iohannem Euangelistam cap. 2, 20 dicunt Iudæi, Quadraginta & sex annis ædificatũ est Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? *Quod quidem ita videntur dicere Iudæi, vt non annum sextum Darij Assyrij, sed vigesimum Artaxerxis Pij, videantur intueri. Qua enim ratione poßit aliter locus ille accipi non intelligo: nisi Darium Assyrium & Artaxerxem Pium, quum diuersos ex Scriptura sciamus esse reges, eos dicamus regnasse eodem tempore, & fuisse interea populo Dei, atq; eius curã geßisse, quòd viri essent religiosi. Cogemur nihilominus semper affirmare Templum extructũ fuisse anno Darij Assyrij sexto, vt est Esdræ cap. 6, 15. cui ad complementum multa deessent, quæ fuerunt sub Artaxerxe Pio addita. sub quo dicemus vrbem Ierusalem fuisse munitam, eius anno vigesimo, vt ex Nehemiæ cap. 2, 2. & cap. 6, 15 intelligimus. Quare sub Artaxerxe Pio non malè censebimus Templo omnia adiuncta fuisse, quæ desiderabantur prius. vt fuerunt fortasse appendices Templi pro stationibus sacerdotum, per vices ministrantium in taberna-*

culo Domini, & horrea siue gazophylacia, ad primitias recondendas & reponendas decimas sacerdotum. Vrbi quoq; Ierusalem suum accessisse præsidium eodem tempore dicemus.

Est verò minimè prætereundus Euangelij *iam memoratus locus, quo* Iosephi *rerũ* Iudaicarum *scriptoris, cui plus æquo nostri deferunt, eleuanda est autoritas.* Is *enim ait* Herodem Antipatri *filium,* Templum *à fundamentis longè magnificentius & amplius quàm fuisset extruxisse & absoluisse cum appendicibus & porticibus, annis octo & dimidio.* At *eum qui eo seculo viuebant* Iudæi, *mendacij conuincũt, qui ad veterem structuram referentes oculos, aiunt illud spatio quadraginta & sex annorum constructum fuisse.* Adhæc, *scimus secundum* Templum, *id scilicet quod* Zorobabel *cum* Iosue, *& reliqua* Iudæorum *manu reduce è captiuitate* Babylonica *extruxerat, post* Christi Domini *mortem, anno circiter quadragesimo fuisse euersum & sublatum cum tota ceremoniarum legalium pompa.* Quod *à* Tito *factum agnoscunt historici quoque* Iudæi, Templi *secundi ruinam referentes in* Romanos *& eorum* Imperatorem Titum. Idem *verò* Templum *stetisse quum* Christus Iesus Dominus *noster factus homo versaretur in monte* Sion, *ex* Prophetarum *certis prædictionibus nouimus.* Aggæus *enim capite* 2, 10 *ait, futuram* Templi *secundi, quod extruebatur sub* Zorobabele, *longè maiorem gloriam, quàm fuisset* Templi Salomonici: *respiciens ad* Christi Domini, *quæ* Templũ *illud ornatura erat, præsentiam.* Quamobrem *id* Templum *mansisse oportuit eo tempore, quo* Christus Dominus *egit in terris.* Quod

Antiq. Iud. 15. cap. 14.

si, vt

si, vt ait Iosephus, Templum id extruxisset Herodes, in quo versatus est Dominus, id non fuisset secundum Templum, sed tertium, cuius longè alia debuit esse forma, vt eam descripsit Ezechiel extremo suo libro.

Quod autem dicitur Templum secundum quadraginta sex annis confectum, interim verò septima hebdomas quæ quadragesimumnonum annum complet, structuram Templi habet absolutam, id ita accipiendum est: Templum quidem fuisse omnibus suis partibus absolutum, cum vrbe cincta mœnibus, anno à libertate per Cyrum reddita quadragesimonono. Annos tamen solos quadragintasex collatos in ædificiũ Templi, quòd triennium exactum fuerit, antequam ad opus ipsum accederet Zorobabel, & cæteri reduces ex captiuitate. Nam post edictũ Cyri de populi Dei restitutione & libertate promulgatum, opus fuit tempore non paruo ad conferenda consilia de reditus ratione, & ad cogendos reduces, atq; negotia conficienda iis qui relicta Chaldæa, constituerant patriam repetere. Annum ergo demus his rebus conficiendis: quibus peractis, ponamus iter ingressos Iudæos anno altero ab edicto promulgato: hinc intelligemus ipsos reduces venisse in patriam vno anno & dimidio propè exacto, post Cyri edictum. Nam à Babylone in Iudæam iter est quatuor mensium impeditis, vt scribitur Esdræ cap. 7, 7 & 8, qui ita habet: Et venerunt in Ierusalem mense quinto, ipse est annus septimus regis, quia in primo die mensis primi cœperat ascendere de Babylone. Et in primo die mensis quinti venit in Ierusalẽ, juxta manum Dei bonam super se. Iam funda-

menta Templi non fuerunt continuò iacta, vt in Ierusalem venerunt: id enim non nisi anno altero post reditum factum fuisse legimus Esdræ 3,8. Vnde colligimus triennium elapsum fuisse ab edicto Cyri, ad Templi iacta fundamenta. quod quidem si annis quadragintasex adiungamus, habituri sumus annos 49. qui septem primis hebdomadibus constituuntur.

Nunc agendum est breuiter de sexaginta duabus hebdomadibus consequentibus, quæ incipiunt ab anno vicesimoprimo Artaxerxis Pij, qui est Olympiadis 92 annus quartus, à quo octaua Danielis hebdomas incipit. Terminatur autem & concluditur hoc tempus septuagesima hebdomade inchoante, quæ in annũ secundum Olympiadis 201 incidit: quum Claud. Tiberius Nero Romæ imperaret, post Octauianum Augustum, anno ab vrbe condita 778. Quis autem fuerit Ecclesiæ status, his 72 hebdomadibus docetur visionibus Danielis, quemadmodum iam diximus. Eam ob rem cap. 7 Danielis quatuor Monarchiæ sub quatuor bestijs truculentis proponuntur, sub quib. variè iactatus fuit populus Dei. Quem etsi perditum & euersum cupierint terreni & animales homines, nunquam tamẽ illum de sua constantia & fide dimouere potuerunt, Deo mirabiliter suam Ecclesiam tuente & conseruante. Habuit autem satis commodè sub Artaxerxe Pio Iudaica Respublica, quum eam & Dei populum commendatũ haberet is Persarũ rex, cui tum Syria & Asia reliqua parebat. Is enim post Zorobabelis obitum, per Esdram, deinde per Nehemiam composuit & constituit res Ecclesiæ, quemadmodũ ex vtriusq; Esdræ & Nehemiæ commentarijs intelligi potest. Post hunc

hunc autem Artaxerxem Pium, docuimus imperium Orientis siue Persicũ, ad Xerxem qui fuit Græciæ terror peruenisse. Ab hoc autem Xerxe, statim ad Alexandrum Magnum, cap. 11 Danielis transit Angelus, præteritis alijs Persarum regibus, quòd fama fuerint Xerxe inferiores, nec Ecclesiæ res admodũ curarint, sed eas paßi sunt fluere vt tempora ferebant: quum tributis tantùm & vectigalibus exigendis, atq; auferendis intenti essent.

Alexandri autem Magni descensu in Syriam, videbatur aditura magnũ periculum Ecclesia, propter bellum ab ipso contra Tyrum gestum, & arma Aegypto illata. Nam per Iudæam ex Phœnicia in Aegyptum descensus est, & Iudæis iratus erat Alexander Magnus, quòd commeatum illi & auxilia denegassent, quia Persarum quibus tum parebãt, sequebantur partes. Adhæc dissentiens à cæteris, qui erant idololatræ, religio & vera pietas, impios homines & Dei contemptores acuebant in populum Dei. Sed Deus in cuius manu non modò regum, sed omnium quoque sunt corda & manus, Alexandrum populo suo conciliauit, fecitq; vt maxima beneuolentiæ signa & argumenta præstaret ijs, quibus iratus videbatur maximè. Itaq; in hac historia nobis idem licet obseruare, quod primis Israeliticæ Ecclesiæ temporibus, inter Laban & Iacob contigisse intelligimus, Genes. 31, 24. Fugientem enim Iacob, magna manu sibi adiuncta, exacerbato animo persequebatur Laban, ea spe, vt Iacobum malè acciperet, atque fortunis euerteret. Hanc autem Laban audaciam, ratione mira Deus repreßit, vetans in somnis ne quid asperius non modò ageret, sed ne loqueretur quidem cum Iacob. Sic hominem

furentem repreßit Deus, & coegit ad ambiendam Iacobi, quem ibat perditum, amicitiam.

Successores autem Alexandri, ij qui partim Asiæ, partim Aegypto imperarunt, varijs postea cladibus Iudæos affecerunt: quòd quum alij aliorum vitæ, & opibus & regnis insidiarẽtur, & bellis mutuis sese conficerent, Iudæam tanquã victoriæ præmium, in medio propositam habebant. Horum autem historias quas paucis perstrinxit Daniel, Scriptores prophani suis monumentis prolixè sunt persecuti: ex quibus Dei verbũ esse verißimum, atq; omnia geri diuino decreto & prouidentia intelligimus: neque Ecclesiam tyrannorum iniurijs patere, sine ipsius certis iudicijs agnoscimus.

Porrò Græcæ & Romanæ monarchiæ imperio paruit Iudæa, quemadmodum & monarchiæ Persicæ, his sexagintaduabus hebdomadibus. Id verò sciendum est, Græcam nominari Monarchiam, Alexandri Magni & successorum eius potentiam, quòd Daniel. cap. 8, 21, Hircus caprarum ipse Alexander Magnus, dicatur rex Græcorum. Nam communi totius Græciæ consensu, concilio Corinthi habito, Alexander Magnus declaratus fuit Imperator Græciæ, ad persequendos bello Persas. Quò factum fuit vt Macedonicum Alexandri Magni imperiũ, sit in Scriptura Græcum nominatum, longo antè tempore quàm Alexander natus esset. Philippus autem Alexandri Magni pater, deuictis ad Chæroneam Græcis, non se regem Græciæ, sed ducẽ appellari iusserat, quemadmodum id Iustinus lib. 9 declarat. cuius exemplum sequutus Alexander Magnus, euocatis Corinthum ciuitatibus Græciæ, post compositum regni statum, ducem

se

ſe Græciæ in patris locum ſubſtituendum curauit, vt declaratur apud Iuſtinum lib. 11. Itaq; delectus vltor Græciæ toties à Perſis petitæ, Aſiam inuaſit: quam ea celeritate vicit, quam prius Sacra oracula Danieli patefacta declarauerant & denunciauerant: vt qui mirantur fœlicitatem Alexandri, et quemadmodum vulgò loquuntur, fortunam, ſint remittendi ad diuinas de regnorum ſtatu conſtitutiones, & admonendi diuinæ prouidentiæ ac voluntatis, è qua rerum omnium ſtatus & conditio pendeat. Quamobrem quale futurum eſſet Alexandri Magni imperium, & vt in plures diuidendum, facile eſt ex Daniele deprehendere. In quo reges Aquilonis dici reges Aſiaticos, & Auſtri reges vocari Aegyptios, à Ptolomæo Lagi filio profectos, ratione ſitus Iudææ eſt animaduertendum.

Reſtat iam vna hebdomada ſeptuageſima, de qua dicendum eſt etiam aliquid: quandoquidem Chriſti Domini miniſterium, & mortem in qua eſt plenitudo temporũ, complectitur. de qua ſic agitur Daniel. 9, 27: Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium, & erit in Templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem & finé perſeuerabit deſolatio. *Quæ verba non tam de Hebraico contextu, quàm Græco aliquo interprete ex parte ſunt deſumpta, & vtrum ſint ex Septuaginta interpretibus petita, facit incertum, genuina verſus huius iuncta interpretatio in Græcis codicibus Argẽtorati excuſſis, anno Domini 1526. In quibus Græca huic reſpondentia verſui ita habent:* Καὶ δυναμώ-

σει διαθήκην πολλοῖς ἑβδομὰς μία, καὶ ἥμισυ τῆς ἑβδομάδος καταπαύσει θυσιαστήριον καὶ θυσίαν, καὶ πτερύγιον ἀπὸ ἀφανισμοῦ, καὶ ἕως συντελείας καὶ σπουδῆς τάξει ἐπὶ ἀφανισμῷ, καὶ δυναμώσει διαθήκην πολλοῖς ἑβδομὰς μία, καὶ ἐν τῷ ἡμίσει τῆς ἑβδομάδος ἀρθήσεται, ἡ θυσία καὶ σπονδή, καὶ ἐπὶ τὸ ἱερὸν, βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων ἔσται, καὶ ἕως συντελείας καιροῦ, συντέλεια δοθήσεται ἐπὶ τὴν ἐρήμωσιν.

Hebræa autē sic habēt: והגביר ברית לרבים שבוע אחד וחצי השבוע ישבית זבח ומנחה ועל כנף שקוצים משומם ועד כלה ונחרצה תתך על־שומם. Quæ verba possent ita reddi: Et cōfirmabit fœdus multis hebdomada vna, & dimidium hebdomadis illius cessare faciet sacrificium & oblationem: & propter extremitatē abominationum stupens erit, (quiuis) & vsq; ad consumptionem, eamq; certam, stillabit super attonito, (desolatio.)

Hebræa autem hoc loco nobis præcipuè spectanda sunt, quòd Latina & Græca dicant, in dimidio hebdomadis illius vltimæ, sacrificia desitura. Quod nequaquā factū fuit, neq; etiam id docēt verba Hebraica, quæ aiunt dimidium vltimæ illius hebdomadis impositurū finem sacrificijs & ceremonijs legalibus. Dimidium aūt eius hebdomadis, significat ea quæ illa vltima hebdomade sunt gesta, quæ finē legi Mosaicæ ceremoniali attulerunt, stabilito & rato declarato pacto Dei æterno de nostra salute per Christū Dominū. Deinceps autē vrbi Ierusalē & incredulis, quiq; Deū vocantē contempserūt, nihil erat præter longā malorū seriem expectandū, quæ vrbē Ierusalem cōfectura erāt, et populū ipsum Iudaicū rebellē, et inobe-

inobedientem Deo infinitis calamitatibus implicatura.

Finem autē legalibus ceremonijs attulisse ea, quæ dimidia vltima hebdomade sunt gesta, testantur scripta Euangelistarum, quæ tū prodijsse Iesum Christum Dominum nostrum docēt, Iohāne Baptista eiusce rei præcone & tanti boni prænūcio. Cui in deserto agenti Deus locutus est, mandata dans illi de agēdis Tiberij Cæsaris anno xv. vt testatur Lucas cap. 3 dicens: Anno autē quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurāte Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autē Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituræę & Thraconitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha: sub principibus sacerdotū Anna & Caipha, factū est verbum Domini ad Iohannē Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnē regionem Iordanis, prædicans Baptismum pœnitentię in remissionem peccatorum. *Ex his apparet, vt post diuinum imperium & mandatū, venerit Iohānes in omnem regionem Iordani finitimam, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remißionem peccatorū. Qui dum populum baptizat, Christum Dominū ingredientem tricesimū annū ætatis vnà Baptismi lauacro perluit, sicuti idē Lucas cap. 3 docet, his verbis:* Factum est autē quū baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato & orante, apertum est cœlum. Et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum, & vox de cœlo facta est, Tu es filius meus: in te complacuit mihi. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.

Hæc autem notatio ætatis Domini, & Tiberij Romani Imperatoris non est leuiter prætereunda, quòd ex ea mortis Domini & ætatis ipsius, item conclusionis hebdomadum septuaginta Danielis certa constat notitia: Iam autem mortē Domini nostri Iesu Christi, terminum & finem esse hebdomadum septuaginta Danielis, ostendimus: quæ in quemnam temporis articulum incidant, nullo negotio iam possumus colligere. Et ex Euangelica historia nouimus Christum Dominum in crucem actum fuisse eo die, quo per singulas familias immolandus erat agnus Paschalis. Quod fiebat 14. die mensis primi, id est, Martij, vt quidē in anno veteri vsurpabatur, quemadmodum id prius in mensium & anni ratione declaratum fuit. Ergo 14 dies mensis Martij, qui est Nisan Hebræis, & primus est mensis anni ciuilis in populo Dei, finem & conclusionem hebdomadum septuaginta habet: quòd tum mortuus est Dominus, quem dimidiæ vltimæ hebdomadis tempore, veri Doctoris & Seruatoris officio functum esse inter homines, testis est Danielis prædictio. Item Euangelica historia, quæ Paschæ festa quatuor cōmemorat, post Baptismum ipsius. Quum verò baptizatur Christus Dominus anno Tiberij Cæsaris decimoquinto, & tum baptizatur quum annum ætatis ingrediebatur tricesimum, vt exponitur apud Lucam: certè mortuū illum fuisse pro nobis in cruce oportet anno Tiberij decimooctauo, tum quum ætatis annum ageret tricesimumtertium, id est, quū annos compleuisset trigintaduos & dimidium. Nam dimidium hebdomadis vltimæ tres annos cum dimidio continet: quo vnctus est Sanctus sanctorum, Christus Iesus, & decla-

Aetas Domini nostri Iesu Christi.

declaratus Rex à Patre cœlesti supra montem Sion, per quem tum peccata nostra fuerunt expiata. Adhæc sacrificia Legis sublata fuerunt Agni immaculati, id est, ipsius Domini Iesu Christi morte, postquam veri doctoris & prophetæ munus peregisset in terris. Cœpit autem docere, & se verum Meßiam, siue Christum patefacere, quum annum ingrederetur tricesimum: in eo autem munere tres annos & dimidium compleuit. Vnde tricesimus ætatis ipsius annus, primus est ministerij ipsius: inde tricesimusprimus erit secundus; & tricesimussecundus dicetur tertius, quo Circuncisionis minister fuit Christus dominus: ex quo tricesimustertius ætatis ipsius annus, cuius medio tempore ministerium suum expleuit, dicetur dimidius annus dimidiæ vltimæ hebdomadis, qua complentur omnia Prophetarum vaticinia de nostra salute parta per Christum dominum, anno ætatis ipsius tricesimotertio. Is autem annus Domini tricesimustertius non expletus, incidit in annum Tiberij Cæsaris decimumoctauum, quia Tiberij annus decimusquintus habet annum Domini tricesimum incipientem. Vnde tricesimusprimus annus Domini incidit in annum Tiberij decimumsextum, & tricesimussecundus domini annus incurrit in annum Tiberij decimumseptimum: deinde tricesimustertius domini annus refertur omninò ad annum Tiberij decimumoctauum. Quæ quoniam Scripturæ sacræ testimonijs nituntur, non autem incertis hominum opinionibus, vera & certa esse apparet.

Dominum autem Iesum Christum in terris compleuisse trigintaduos annos & dimidium, nouit quoque superiorum temporum Ecclesia, quemadmodum

De Nat. rer. ca. 47. *id testatum reliquit* Beda: Habet enim *inquiens* nî fallor Ecclesię fides, Dominum in carne paulò plusquàm trigintaduobus annis, vsque ad suæ tempora passionis vixisse: quia videlicet triginta annorum fuerat baptizatus, sicut Euangelista Lucas testatur: & tres semis annos post Baptisma prædicauerit, sicut Iohannes in Euangelio suo, non solùm cómemorato redeuntis Paschæ tẽpore perdocet, sed & idem in Apocalypsi sua. Daniel quoq; in visionibus suis idem propheticè designat. Sancta siquidem Romana & Apostolica Ecclesia, hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quæ suis in cereis annuatim scribere solet, vbi tempus Dominicæ passionis in memoriam populis reuocás, numerũ annorum triginta semper & tribus annis minorẽ, quã ab eius incarnatione Dionysius ponat, annotat. *hæc Beda de ætate* Domini *Iesu Christi tradit. Quis autẽ locus* Apocalypseos *id doceat nescio: quadam autem recepta Cabala aut traditione, veteribus fuisse illud confessum, existimare possumus.* Eusebius *verò hoc idem confirmat inquiens:* ἱστορεῖται δὲ ὁ πᾶς τῆς διδασκαλίας ϗ παραδοξοποιΐας ὁμοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν χρόνος, τριῶν ἥμισυ γεγονὼς ἐτῶν, ὅπερ ἐστὶν ἑβδομάδος ἥμισυ. τοῦτο πως ἰωάννης ὁ εὐαγγελιστὴς ἀκριβῶς ἐφιστᾶσιν αὐτοῦ τῷ εὐαγγελίῳ παραστήσει: *id est*, Sanè proditum est memoriæ, omne doctrinæ editionis q; miraculorũ Seruatoris nostri tẽpus, triũ annorũ & semis fuisse, quod quidẽ est vnius hebdomadis dimidium.

De Euang. dem. lib. 8. cap. 2.

dium. Hoc ipsum quodámodo Iohánes Euangelista, attentissimè Euangelium eius obseruantibus declarabit. *Inde & Abbas Vrspergensis in Tiberio inquit:* Anno incarnationis suę tricesimotertio Dominus noster Iesus passus est in carne, & resurrexit. *Item Nicephorus Callistus, ita librum primum suarum historiarum concludit:* Complectitur primus hic historiarum liber annos trigintatres, initio sumpto à quadragesimosecundo Augusti Cæsaris, iam senescétis imperij anno: quo Dominus noster Iesus Christus cũ carne ex sancta processit Virgine: finè autem in decimumoctauũ Tiberij Cæsaris imperantis annũ, desinéte: qui quidem à mundo condito 5538, à natiuitate autẽ Domini tricesimustertius fuit. *Hæc è multis satis erunt. Ex quibus constat tempus vitæ actæ in terris Domini nostri Iesu Christi, non fuisse veteribus ignotũ: de quo tamen hodie nostri Theologi sic disputãt, vt rem alioqui perspicuam, inuoluant & implicent ea ratione, vt sit difficile sese ex eorum tricis expediri.*

Anno igitur Tiberij decimooctauo, & domini Christi tricesimotertio, conclusas habemus Danielis septuaginta hebdomadas: quæ ad quosnam Olympiadum, aut vrbis Romæ, aut mundi conditi annos pertineant, ex ipsa temporum serie & comparatione, constituta Scripturæ sacræ autoritate certò potest colligi, vt in Indice est annotatum. Tiberij autem annus decimusoctauus, est vrbis Romæ conditæ octuagesimusquartus annus, et Olympiadis ducentesimæsecundæ annus quartus: mundi

verò conditi annus est termillesimus nongentesimus sexagesimusprimus. Quam temporum notationem diligenter animaduertendam esse, Prophetarum quæ sunt his de rebus, demonstrant oracula. Scripturæ autem sacræ tam diligens cura in temporibus istis notandis, nostram debuit acuere diligentiam, omnemq; nobis excutere inertiam. Quamobrem non est quòd noster hic à quoquam contemni aut improbari debeat labor, præsertim quum Dei verbo sit constitutus & fundatus. Pertinere autem ad nos vel maximè temporum istorum notitiam ex eo intelligimus, quòd nobis hæc sunt conscripta; qui ad ipsa tempora acceptabilia, atq; ad eam gratiam peruenimus, quam etiam obtinuimus: quæ quidem Prophetarum oraculis & prædicationibus, iam olim denunciata fuerat. Nam, vt ait Petrus Apostolus, De hac salute exquisierunt, & scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetarunt: scrutantes in quod, vel quale tempus, significaret in eis Spiritus Christi, prænuncians eas quæ sunt in Christo passiones, & posteriores glorias: quibus reuelatum est, quia nō sibijpsis, sed nobis monstrabant ea, quæ nūc nobis sunt nunciata, per eos qui Euangelizauerunt nobis, Spiritu sancto misso de cœlo, in quæ desiderant Angeli prospicere. *Sic Petrus Apostolus magnitudinem gratiæ nobis communicatæ suo tempore prædicto & præfinito à Prophetis, commendat, vt eam etiam mirentur Angeli, & cupiant eius complementum inspicere: quo ne fraudentur electi, omni ope nobis annitendum est.*

1.Pet.1.

Est

Est etiam fructus ille qui ex horum temporum certitudine manat non omittendus, quòd Iudæi horum demonstratione reuinci queunt, vt manus dent tandem Christo domino, & Christianismo acquiescant, ac desinant blasphemare. Quam ad rem non modò Danielis hebdomades, sed Iacobi quoq; adiungendum est vaticinium, quod Genes. 49. 10, habetur in hæc verba: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat שילה Silo, id est, filius eius, nempe Iuda, & ipse erit expectatio gentium. *Sic enim esse versum istum interpretandum, Rabini quoq; fatētur, veritate illos cogente. Nā* שילה *Silo aiunt significare* בנו *beno, id est filius eius, qui est Meßias, aut Christus dominus filius Iuda. Est enim ortus à Iuda Christus dominus, vt per Scripturas cōfirmatur & docetur Heb. 8. 14.* Eodem quoque collatum Aggæi Prophetæ *vaticinium et testimonium, non parum habebit virium, quo significatam Christi domini præsentiam, qua secundum Templum fuit ornandum, veteres agnoscunt Rabini. Locus autem is extat Aggæi cap. 2. vers. 8.* Et mouebo Gentes omnes, & veniet desideratus cunctis Gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.

Sed vt intelligantur facilius dictæ iam Danielis hebdomades, quia certis locis ab Hebraico contextu discesserunt interpretes, quùm Græci, tum Latini, adiungemus hoc loco respondentem quàm poterimus proximè Hebraicis verbis interpretationem. Dan. 9. 24.

Septuaginta hebdomades præcisæ sunt & definitæ super populo tuo, & super vrbe

sancta tua, ad finiendum culpam, & ad claudendum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & ad producendum iustitiam seculorum, & ad obsignandum visionem & Prophetam, & ad vngendum Sanctitatem sanctitatum.

25 Scito ergò & intellige, à promulgatione verbi de reducenda & restauranda Ierusalem, vsq; ad Christum ducem hebdomades erunt septem, & hebdomades septuaginta duæ. Iterum autẽ ædificabitur platea & murus etiam in angustia temporum.

26 Et post hebdomades sexaginta & duas excindetur Christus, sed non sibi. Vrbem aũt & sanctuariũ perdet populus princeps, qui veniet: & finis eius erit cum inundatione, & vsq; ad finẽ belli præcisa erit desolationibus.

27 Et confirmabit pactũ multis hebdomas vna, & dimidium hebdomadis cessare faciet sacrificium & oblationem & super extremitate abominationum attonitus erit (quiuis) & vsq; ad consummationẽ, eamq́; præcisam stillabit super attonito (consummatio.)

Hæc est quæ mihi quidem, verbis Hebraicis proximè videtur accedere interpretatio, quæ superioribus disputationibus explicata est pauló fusius. Sermonis aũt Latini inopia, & dicẽdi ratione dißidente ab Hebraismo, vix possumus verbum verbo reddere. Itaq; et Latinus interpres, & Græci septuaginta, sæpe à verbis discedẽtes sententias reddunt, & sensum ipsum alijs verbis exponunt: quod

quod factum fuisse hoc Danielis *loco docent & Græcæ & Latinæ interpretationes variæ. In quibus quod versu 26. ponitur* ואין לו veenló. *non est satis apertè redditum aut à Græcis, aut Latinis, quod nos conuertimus, & non sibi, quia* לו lo *sumatur pro* בעבורו baavuro, *id est, propter se, & sua causa.* Eo *sensu:* Christus dominus tolletur de medio, & agetur in crucē, nō sibi, sed suis electis: *vel,* nō propter se, sed propter electos suos, & Ecclesiā suam. *Nō enim sibi sed suis mortuus est Christus dominus. Quam interpretationem agnoscunt è Latinis nonnulli, quemadmodū id ex eorum commentarijs in hunc locum licet videre. Sic autem* Genes. 20. *sumitur* לי li, *vbi aduersus Abimilechi obiurgationem sese purgare studet Abrahamus, quū ait,* אמרי לי אחי הוא imri, li ahi hu, *dic propter me, vel mea causa, frater meus est. Qua de causa* Latinus *interpres ea verba sēsu seruato, ita reddidit:* Dices quòd frater tuus sim. *Quòd autem* Beda *c. 9. lib.* De natu*ra rerum, ex veteri Latina versione, quæ habet* abbreuiatas hebdomadas, *pro eo quod diximus* definitas, *annos voluit intelligi lunares in hac hebdomadum supputatione, leuius est quàm quēquā debeat remorari. Nā ignoratio linguæ* Hebraicæ *hūc illi attulit scrupulū.*

Quum autem nos sua bonitate Dominus *ad temporū plenitudinem & cōplementū, per hebdomadas* Danielis *deduxerit, & iam tempora numeremus à nato* Domino *Iesu Christo, deinceps de natali die* Domini *nostri Iesu Christi dicendum est, quem malè collatum in* Decem*brem mensem intelligemus. Agēdum præterea est de ratione numerādorum nouißimorū temporū: quò certior*

nobis nostra constet ratio, neue quum nos profiteamur Christianos singulari Dei beneficio, in Christi Domini historia peregrinari videamur: quæ ijs demum nota est, qui Scripturas sacras diligenter, vt par est, euoluunt & scrutantur.

CHRONICI MATTHAEI BEROALDI.

LIBER QVARTVS.

De nouissimis temporibus, & eorum numerandorum vsurpata ratione varia. Caput. I.



Empora quæ sunt ab Adamo condito ad Christi Domini incarnationem, vocantur prima siue priora: at, quæ eius natiuitatem et passionem consequuntur, plena & postriora siue nouissima dicuntur, vt ex quàmplurimis Scripturæ sacræ locis patet, quæ Domini Iesu Christi inchoata apparitione in carne, seu natiuitate, concludentur mundi supremo die.

Quia verò in historia Domini nostri Iesu Christi permulta sunt maximè illustria tempora, factum est vt aliud

aliud alij spectauerint. Vnde accidit vt non idem notandorum nouißimorum temporum, omnes principiũ obseruarint, aut statuerint. Nonnulli enim ab incarnatione, siue conceptione Christi: alij ab eius natiuitate, alij verò à Circuncisione, alij autem à paßione, nonnulli etiam à Domini præsentia nouißima tempora numerarunt. De quibus rationibus sigillatim paucis est nobis agendum. Ab incarnatione, quando conceptus est Dominus, & primùm verbum Caro factum est in virginis vtero, multi annos nouißimorum temporum notant, quos non omnino malè nominant annos salutis siue gratiæ, quòd ijs temporibus vera salus patefacta sit, & promissa gratia fuerit nobis exhibita in Christo Iesu Domino nostro. Itaq; Ado Viennensis in suo Chronico, sic annotat celebratæ synodi Nicenæ tempus, inquiens: Anno post incarnationem Domini 322, die mensis secundũ Græcos Desij, vigesimonono, quod est 19. Cal. Iul. consulatu Paulini & Iuliani, Nicenum celebratur concilium. Et in alia historia inquit: Drogo filius Pipini defungitur hibernali tempore, anno incarnationis Domini DCCVIII. Alia liceret proferre eiusce generis exempla: sed his in præsentia contenti erimus. Hunc autem morem numerandorum annorum ab incarnatione Domini, in Ecclesiam inuexit Dionysius paruus, Græcè μικρὸς, quem etiam nũcupant Abbatem Romanum. Qui, sicuti colligimus ex epistolis Bedæ Venerabilis, autor fuit Christianis notandorum ita temporum. quò memoria Diocletiani tyranni, hostis nominis Christiani præcipui, tolleretur & expungeretur ex Ecclesia. Itẽ vt qui Chri-

stianismum profitentur, sciret sibi Christi domini memoriam, in temporibus quorum est author, & quibus nobis salutem attulit, esse vsurpandam. Bedæ verò hac de re verba sic habent: Primo decem nouēnalis circuli versu, temporum ordo pręfigitur, quem Græci calculatores à Diocletiani principis annis obseruauere. Sed Dionysius venerabilis abbas Romanæ vrbis, & vtriusq; linguæ, Græcæ videlicet & Latinæ, nō ignobili prę-ditus scientia, Paschales scribens circulos, noluit eis, sicut ipse testatur, memoriam impij & persecutoris innectere, sed magis elegit ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi annorum tempora prænotare. quatenus exordiū spei nostræ notius nobis existeret, & causa reparationis humanæ, id est, passio Redemptoris nostri euidentius eluceret.

Diocletianus autem, cuius præter cæteros in Eccle*siam Christi nobilitata fuit crudelitas, cauerat edicto, vt anni in posterum à primo sui principatus anno numerarentur et signarentur: sublata priore in consignandis tēporib. obseruatione. Quod ab illo factum fuisse videtur, quia Christiani* Romanos *negligebant fastos, nec Cōsules aut* Imperatores *admodū curabant, de quorū nominibus signabantur in orbe Romano tempora. Suam propterea memoriam perpetuam in terris esse cupiebat nefarius ille & immanis tyrannus: quod ea constitutione consequuturum se esse existimabat. Et certè valuit illud impuri hominis, qui se* Iouium *cognominaret, decretum per annos 248. Itaq; &* Epiphanius *lib. 3. contra hæreses, sextum annum*

annum Gratiani nominat nonagesimum annum Diocletiani tyranni. Et Ambrosius in Epistola quam ex argumento nostri Paschalem nominant, annum memorat octogesimum & nonagesimumtertiũ, ex die imperij Diocletiani. Et in Epiphanio epistola, quæ illius scriptis præposita est, sic habet: Epistola scripta nonagesimo secundo anno regni Diocletiani, Valẽtiniani & Valentis anno duodecimo, & Gratiani anno octauo, ad Epiphanium Palestinum Eleutheropolitem, &c. Et in Ancorato: Diocletianus annos viginti: post Diocletianũ, Maximianus, Lucinius, Cõstans, Constantinus, Iulianus, Iouianus, Valentinianus, Valens, Gratianus, anni LXX. Nam hic annus est Diocletiani nonagesimus, Valentiniani, & Valentis decimus, Gratiani sextus, Consulatus Gratiani Augusti tertius, & Escythij illustrissimi Indictio vndecima. Imperium autẽ adierat Diocletianus, anno post natum Christum 286. vt nostri Astrologi censent, statim post interitum Probi imperatoris. Eius verò Æra, quemadmodum nostri loquũtur Cõputistæ, sublata fuit anno Domini 532. Quod quidem ita habere, ex Beda intelligimus, qui in Iustiniano ita inquit: Dionysius Paschales scribit circulos, incipiens ab anno Dominicæ incarnationis DXXXII. qui est annus Diocletiani CCXLVIII. post Consulatum Lampadij & Orestis: quo anno codex Iustinianus orbi promulgatus est.

Ne quis autem existimet eundem morem numerandorum annorũ ab incarnatione Domini fuisse in vsu veteri

ecclesiæ Romanæ, *propter vsitatam consuetudinem in bullis pontificalibus receptam, & vulgò notam, hoc sic habeat, id non ita pridem obseruatum fuisse.* Nam, *quod annotatur à nostris primus è pontificibus* Romanis *annos in* Pontificijs *diplomatibus cœpit adscribere sui pontificatus,* Paschalis *secundus, quum anteà in illis anni Imperatorum adscriberentur.* Præterea *autem quòd attinet ad annos incarnationis* Domini, *ij non annotabãtur anteà, vt ex* Iohanne *Lucido cõstat dicēte. l. 1. c. 10.* Sed tamen olim in bullis Pontificalibus, non annotabatur annus Domini, sed annus Pontificis pro tempore præsidentis. At recentiores in bullis tantummodo Pontificalibus inceperunt annos annotare ab incarnatione: in cæteris verò sequuntur antiquum Romanæ curiæ morem, annos describentes à natiuitate Domini. Dicit enim Dominus Paulus Episcopus Forosemproniensis lib. 13, secundæ partis Paulinæ suæ, Eugenio quarto præsidente, adhortatore Blondo Forliuiensi, pótificij collegij à secretis notario, in bullis atque rescriptis pontificalibus, annorum hæc à Christi incarnatione supputatio scribi primùm cœpit. & *infrà*: Sed notarij à natiuitate annos computare consueuerunt. hæc ille Episcopus. In hoc deceptus est Blondus, imitans Dionysium abbatem, qui suam supputationem olim fecerat à primo anno incarnationis Dominicæ in sua tabula. Sed idem Dionysius in annis Dominicæ incarnatio-

his errauit, vt dicit Sigebertus in sua Chronica, & Renerius egregius supputator. Non est ergò mirum si Blondus in computationibus annorum ab incarnatione defecerit, quia ducem erroneum secutus est. Causam autem erroris ad vitādam prolixitatem, hic non ponimus, quia alibi eam descripsimus. Quidam verò certè computant annos ab incarnatione Domini, addentes annis à natiuitate ipsius rectè computatis, per Ecclesiam scilicet, nouem menses quibus fuit in vtero Virginis: vt bene computant Pisani, qui anno Domini 1525 à natiuitate, post 25 Martij, sunt in anno ab incarnatione Domini 1526. & sic annotant in suis literis & codicibus.

In hac autem ratione notandorum annorum ab incarnatione Domini, id animaduertendum est, quod ab eodem Iohanne Lucido docetur, opusculo de vero die paßionis Christi, annos ab incarnatione sumptos, post quartum Christi annum eosdem esse cum annis à natiuitate computatis, propter superfluum bissextum annò quarto Domini inconsultè annotatum: quo vnus minuitur annus. Non tamen hoc accidit ante annum quartum Domini. Vnde in rescriptis pontificalibus idem annus à natiuitate ex dicta inordinatione in eis dicitur annus incarnationis. hæc inquit Lucidus.

Iam à circuncisione Domini, id est, vt quidam interpretantur, à Calendis Ianuarijs, annos Domini supputant Romani, quòd eo die sit anni principium in Ca-

lendario Iulij Cæsaris: quod idem recentiores Astrologi faciunt, qui radices motuum statuerunt initio Ianuarij, primi anni natiuitatis Christi, non computatis septē illis diebus, qui sunt ab eo die Decembris, quo statuunt natale Domini, vsque ad primum Ianuarij diem. Ita qui loca Planetarum ad horam natiuitatis Christi inuenire volūt, retrocedunt vt ait Lucidus per dies septem à radicibus Planetarum, in tabulis annotatis.

A paßione etiam Domini annotarunt pleriq; tempora, qui videntur id sensisse, quia morte Domini completa fuerunt omnia, quæ Christo domino perferenda erant pro nostra expiatione, temporū fœlicium ibi principiū statui oportere. Quod sequutum videmus Hieronymū. Post annos inquit quadraginta & duos Dominicæ passionis, circundata est ab exercitu Ierusalē, & cōsummatio illius facta est cū festinatione, & non solùm illius, sed cūctis terræ Iudææ habitatoribus. Isidorus etiā multis historiæ locis eadem ratione vtitur in temporibus annotādis: sicut et Gregorius Turonensis, qui annos modò à paßione, modò à resurrectione enumerat. Sed singulorū nomina non est nobis institutum persequi hoc loco. Satis autē fuerit in præsentia id adiungere, morem eundem veteri Romanæ Ecclesiæ fuisse in vsu. Quæ vt testatur Beda suis in cereis annuatim inscribere solet, vbi tēpus Dominicæ pasṡionis in memoriā populis reuocās, numerū annorū triginta semper & tribus annis minoré, quàm ab eius incarnatione Dionysius ponat, annotat. deniq; anno ab eius incarnatione iuxta Dionysiū sep-

In Sophon. p. 1. 47.

De Nat. rer. c. 47.

tua-

tuagesimoprimo, Indictione quartadecima, fratres nostri qui tūc fuere Romę, hoc modo se in natali Domini in cereis sanctæ Mariæ, scriptū vidisse & inde descripsisse referebāt: A passiōe Domini nostri Iesu Christi anni sūt DCLXVIII. *Vt aūt expleantur anni septingēti & vnus addēdi sunt annis 668 propositis triginta tres anni, quibus egit in terris Dominus: qui illis adiecti faciunt 701. Romana igitur ecclesia olim annos Domini ab eius passione numerauit, omissis interim annis, qui ab eius incarnatione ad passionē decurrunt, nempe triginta tribus, vt quidē ipsi vulgò astrologi Ecclesiastici numerant. Quod non animaduersum à plerisq;, errores non ferendos inuexit in hanc supputandorū annorū Domini rationē: quos scriptis suis confirmarunt, & auxerunt nōnulli Cōputistæ. In quibus fuit Antonius Dulciatus, qui in libro de festis mobilibus, licet incipiat annos à passione Domini, nō tamen præcidit annos præcedētes passionē, sed errorem errori addit. Quoniam anno quo Christus natus est, annotauit passionē Domini, inquit Lucidus. In quo pari ratione est à nostris erratum, quū eosdem annos, & à nato Domino, & ab eodem passo dixerint & annotarint. Nā qui annum vulgò à primo Ianuarij die, vel à vigesimaquinta Decembris, qua putant natum Dominum, inchoant: id ita faciunt, vt annum à natali Domini repetant: qui verò eundem annum à festo Paschæ ordiuntur, quia tum est passus Dominus, inficiari id non possunt, se à passione Domini annos recensere.*

Quod à doctis & bonis viris animaduersum, & sæpius in Senatu Parisiensi propositū, quū fuisset neglectū

fuit nihilominus edicto regio tandem emendatum. Indè iam ab anno Domini 1566, in actis publicis notantur anni à Calendis Ianuarij. quibus annus incipit, ex vsitato more & recepto iam inde à Iulij Cæsaris temporibus ad hæc tempora, sublata illa Paschæ & natiuitatis Domini confusione priore, qua idem annus & citius & serius apud nos incipiebat, & magno errore numerabatur idem annus à natiuitate & paßione Domini. Cæterùm ecclesia Romana hac tempestate annos non à paßione Domini, sed ab eius natiuitate numerat: quemadmodum id satis multis confirmat Ioan. Lucidus ex actis concilij Constantien. & bullis Pontificalibus iam ab anno Domini 1300 editis. in quibus ipsi anni vigilia natiuitatis Domini concluduntur, & sequēti natiuitatis Domini die incipiunt.

Veteres prætereà Theologi annos à Domini præsentia numerarunt, quemadmodum Philastrium libro de hæresib. dixisse videmus, à captiuitate Babylonica ad Domini nostri præsentiā, annos pene esse quingētos: & inde à Domino ad sua tēpora annos esse CCCCXXX.

Præsentia Domini.

Præsentiam autem Domini videntur Latini dixisse, eam quam Græci nominant ἐπιφάνειαν, quam pro suo arbitrio scriptores Ecclesiastici variè sunt interpretati: partim eam ad natiuitatem referentes, partim ad ipsius Baptismum, partim ad stellam, qua duce Magi Ierusalem, deinde Beth-lehem sunt deducti. Et quia dies Epiphaniorum siue Epiphaniæ vulgò refertur ad stellæ exhibitionem, qua duce venerunt ad Christum dominum Persarum sapientes, qui lingua ipsorum dicuntur Magi, non est existimandum idem esse tempus nati Domini, & stel-

læ Magis oblatæ. Anno enim altero à nato Domino Iesu Christo, hoc est, Herodis anno tricesimoquinto, sicuti notat Epiphanius, venerunt Magi ad Herodem Ierusalem, quemadmodum id etiam colligimus ex Euangelio Matthæi, in quo cap. 2, 16 dicitur : Herodes timens regno suo, pueros Beth-lehemiticos à bimatu & infra sustulisse, secundum tempus quod exquisierat à Magis. *Itaq; oportuit Herodem didicisse à Magis Christum Dominum, iam propè bimatum attigisse, & duos annos propè tum fuisse natum. Vnde non malè ista ab Epiphanio fuisse annotata animaduertimus, lib. 2 contra hæreses.*

Tricesimotertio anno Herodis nascitur Christus.

Tricesimo quarto venerunt Magi.

Tricesimoseptimo, Herodes mortuus est, & succesit Archelaus filius ipsius in regnum, qui regnauit annis nouem.

A natiuitate verò Domini annos enumerat autorum pars melior, quod & nos obseruamus his temporibus, atq; etiam in hoc Chronico sequimur, præsertim quum inde nouißima tempora incipiant, & à nato Domino, fœlicium temporum, & Patriarchis optatorum historiam ordiantur Euangelistæ. Tum enim Deus apparuit Emanuel, & Verbum caro factum, prodijt in medium, ad nostras tollendas miserias, & veram nobis libertatem offerendam. Itaq; & gaudium illud quod apud Euangelistam Lucam Pastoribus primùm denũciatur, cap. 2 per Angelum, ad nos pertinet. Nato enim nobis omnibus Seruatore, Domino nostro Iesu Christo, in ciuitate Da-

uid, vera pax terris oblata fuit, & boni Dei voluntas erga homines tum planè constitit, prius à Lege, & Prophetis testificata. Quamobrem iure Pastoribus vigilantibus in ea regione, & gregis sui custodias agentibus, inquit Angelus: Nolite timere, Ecce ego euangelizo vobis gaudium magnũ, quod erit omni populo: quia natus est hodie Saluator qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.

Luc.2.10.

Antequam autem receptus mos esset in Ecclesiis annorum Domini ab eius natiuitate numerandorum, & Græci & Latini diuersam sequuti sunt rationem, propter priores vsu receptas consuetudines: deinde propter Imperatores: de quorum nominibus signabantur fasti. Græci enim partim à mundo condito, partim ab Alexandri Magni imperio, annotare annos erant soliti. Quod ex impressis Canonibus Græcis Lutetiæ apparet, in inscriptionibus Nicenæ synodi primæ, pagina 7, & Nicenæ secundæ synodi, pagina 110. & in tomo Conciliorum primo, Parisiis impresso additur initio præfationis concilij primi Niceni, Anno ab Alexandro 336, mense Iulio, 13. Calend. Iulij.

Indictionibus præterea sunt vsi cùm Græci tum Latini, iam inde à temporibus Augusti, vt nostri censent Computistæ. quorum sententiæ refragatur Onuphrius Pannuinus. qui factum & obseruatum id fuisse Constantini Magni ætate existimat, sicut ea de re dicetur capite huius libri tertio. Vt autem ea ratio notandarum Indictionum valuerit, videtur in causa fuisse Iustinianus Imperator, cuius de temporibus notandis, & consignandis actis publicis, extat edictum. Ex quo notando-

rum

rum temporum obseruatam Græcis rationem illo seculo, diuersam à nostra deprehendere possumus. Nam in Nouellis, Constitutione XLVII, *vt Imperatoris nomen, & Consulis, & Indictio, quoque vnà cum die mensis annotentur, in actis publicis anno imperij sui vndecimo edicit in hæc verba:* Sancimus vt quicunque actis publicis conficiendis inseruiunt, siue in iudicio, siue vbicunque tandem acta consistunt: tabelliones quoq;, & in summa qui, quacunque forma aut ratione instrumenta conscribunt, siue in ampla hac vrbe, siue apud alias gentes, in quas summum imperium nobis concessit Deus, ad hunc fermè modum incipiant instrumenta: Sacratissimi huius Augusti & Principis, hoc & hoc anno: & post hæc inferant nomen Consulis, qui eo anno cum magistratu sit. Tertio loco Indictionem, quã deinde consequatur mensis & dies.

Hinc videmus, quid obseruare solita fuerit illa ætate Græcia in temporibus annotandis. Nam prius Romæ de nominibus Consulum signabãtur fasti, postea de nomine Imperatorum, additis Consulibus. At hic Consulis vnius tantummodò in hac constitutione meminit Iustinianus, quod anno Domini 528 Iustinianus Imperator solus II. *Consul fuit in Oriente. Anno Domini 529 Decius, sine collega Consul in Occidente fuit. Anno Domini 530 ambo Consules in Occidente designati fuerunt Lampadius & Orestes. Anno Domini 531 tam Oriens, quàm Occidens, sine Consulibus fuerunt. Anno Domini 532 sine*

Consulibus tam in Oriente, quàm Occidente, fuit Respublica. Anno Domini 533 Iustinianus tertium Consulatum gesßit sine collega. Anno Domini 534 Iustinianus Bizantij inijt Consulatum, cuius Romæ collega fuit Decius Theodorus Paulinus. Post quem Romæ & in Occidente Consules creari desierunt, bello Gothico impediente, vt annotauit ista diligenter Onuphrius in libro 3. Fastorum.

Quod autem ad Ecclesiam Latinam attinet, ea in hac temporum ratione constituenda partim veterem Romanam consuetudinem sequuta est, qua Consulum & Imperatorum nominibus signabantur tempora, partim idololatrarum & Gentilium repudiata consuetudine, annos vel ab incarnatione Domini, vel ab eius præsentia, vel à natiuitate numerauit. Certi autem & quod omnes sequerentur, nihil videtur constitutum fuisse ante annum Domini 532. Imperatorum enim magna fuerat vsque ad illa tempora potentia & autoritas, non in Italia modò, sed toto Occidente, quibus vulgò parebatur. Ita factum est, vt serò recepta sit ab Ecclesiis, notandorum à natiuitate Domini temporum ratio. In qua minimè illud prætereundum est, Astrologos Ecclesiasticos, dum tempora digerunt, & cyclos suos, vt loquuntur, componunt: à mense Septembri computum suum ordiri. Quo loco Indictiones quoq; statuunt, quarum principium conferunt in Aequinoctium autumnale, à quo Græcis etiã annum incipere notant Astrologi. Quemadmodum id quoque prodidit Alphonsus in suis tabulis. Errore tamen haud dubio, quũ menses Græcorum ad annos Alexandri Magni reuocet, & veteres Græci, ante Christi Domini ad-

uentum,

uentum, annos fuerint soliti incipere ab æstiuo solstitio, quemadmodum & Olympiades. Sed qui postea Christianismum professi sunt, annum ab æquinoctio Autumnali inchoarunt, quemadmodum inde tempora fluere & decurrere ab ipso orbe condito iusserat Deus. Ex quo id apparet, veteres animaduertisse Dominum nostrum Iesum Christum fuisse natum æquinoctio Autumnali. quæ causa fuit vt annos inde sint exorsi prioris ætatis Christiani, quos à Domini natiuitate solita est inchoare vetus Ecclesia.

Natum tamen Christum Dominum hyberno solstitio existimarunt veterum pleriq;, et hodie quoq; persuasum habent ferè omnes, præiudicio nescio quo malè fundatarum opinionum. Sed hac in re quid doceat veritas, non autem quid homines senserint, inspiciendum est, atque etiam animaduertendum. Quod iam ex Sacris oraculis docere aggrediemur.

De natali Domini nostri Iesu Christi, quod conferendum est in Autumnale æquinoctium. Cap. II.



Ntequam ad quæstionis huius, de die natali Domini, seu tempore quo natus est nobis Seruator, explicationem veniamus, prius de huius diei obseruatione, et eorum opinionibus est dicendum, qui tempus quo sit nobis exhibitus primùm in terris homo Dominus & Deus noster Iesus Christus, diuersum statuerunt. Id enim quidam

ad mensem Decembrem, alij ad mensem Ianuarium retulerunt, alij aliò, vt rem multis veterũ incertam, & ignotam fuisse appareat. At longo post ascensionem Domini tempore nullam fuisse festam, aut certo tempore definitam diei natalis Domini obseruationem, videntur innuere ea, quæ postea hac de re sunt promulgata edicta et decreta, de certorum Episcoporum sententia, qui nonnullis conciliis autoritatem addidere præcipuam. Nam quod nostri de Pio Papa primo prodũt, eum scilicet primum statuisse, vt resurrectio Domini celebraretur die Dominica, anno post natum Dominum centesimo quinquagesimoquarto, id prorsus fide caret. Et vetustissimum in Occidente concilium, quo hac de re videtur aliquid constitutum, existimari potest fuisse Aurelianense: celebratum sub Childeberto rege & Pelagio Papa, anno Domini 558, quo quadragesimæ tempus, & festum Paschæ, atque alia quædam iubentur celebrari pari ratione, per Ecclesias Occidentales. Quod vt prætereamus Bracarense primum Concilium, quod sequutum est aliquot annis Aurelianense illud iam dictum, videtur primum statuisse, de natiuitatis Domini festo celebrando. Sequutum est postea Toletanum decimũ Concilium, quo fuit constitutum, vt festa Paschæ, Pentecostes, & Natiuitatis Domini, celebrarentur vbique eo die, quo res festis illis diebus significatæ acciderant. Hæc autem anno Domini 621 fuerunt constituta.

Quia igitur festa Paschæ, Pentecostes, & Natiuitatis Domini celebrari debuerũt illis temporibus, quibus res quæ illis significabantur contigerant, factum fuit vt à Computistis Natiuitas Domini collata sit in vigesimum

quintum

quintum Decembris diem: quem Latini dicunt 8. Calendas Ianuarias. Non fuit tamen eius diei festi eadem per omnes Ecclesias recepta obseruatio: quia neq; inter ipsos Episcopos, aut rei huius scriptores, de natali die Domini conueniebat, quemadmodum neque conuenit hodie. Nam vt ex Glosa ordinaria pòst intelligetur, & ex Epiphaniorum festo die collato in Ianuarium, multis dicitur Christus Dominus incarnatus mense Ianuario: & ex ijs quæ notantur à Clemente, lib. 1 Strom. rem istam variè iactatam fuisse cõstat. Ait enim eos qui curiosius annum nati Domini & diem requisierunt, partim retulisse ad vigesimumquintum diem mensis Pachon, hoc est Maij, partim in vigesimumquintum diem Pharmuthi, hoc est Aprilis. Quò maior nobis venia debet ab his dari, qui mirabuntur nos rem velut certam & indubitatam in dubium reuocare: quum ne inter Ecclesiasticos scriptores hac de re adhuc conuenerit. In quam si inquirimus, iurè facere videri debemus, ne opinionum discordia in errore perpetuo retineamur.

Vt autem maximè probatorum opiniones referam, qui de natali Domini scripserunt, age primus in medium proferatur Orosius: qui propter excellens historiæ studium, Ecclesiasticorum doctorum sui seculi hortatu, maximè Aurelij Augustini, vt ex eius apparet scripto, conscripsit historiam ad Ecclesiæ vsum pertinentem. Is lib. 7, cap, 7 ait: Augusti Cæsaris postquã imperare cœperat, emenso propemodum anno quadragesimosecundo, natũ esse Christum, qui Abrahę sub Nino primo rege fuerat promissus: & natũ quidẽ esse octauo Calendas

Ianuarias, quando primùm incrementa omnia anni venientis incipiunt. *Ex cuius verbis colligimus id eum sensisse, Christum Dominum fuisse natum hyberno solstitio, hoc est bruma. quæ extremo mense Decembri geniales habuit apud antiquos ferias, quo tempore nouus annus solet incipere. Capite verò eiusdem libri tertio, annũ ab vrbe condita notat, quo sit natus Christus Dominus, 752. Augustinus lib. 1. cõtra Iud. cap. 5. hæc ait:* Octauo Calend. Aprilis conceptus Christus creditur, quo & passus. Natus autem creditur octauo Calend. Ianuarias. *Nicephorus lib. 1. cap. 12 in eadem est sententia, qui ait Dominum natum vigesimoquinto die Decembris. Chrisostomus in primum caput Lucæ existimat Angelum Gabrielem missum ad virginem Mariam, octauo Calendas Apriles, sub æquinoctij tempus: tandemq; cõcludit, duo æquinoctia duas habere conceptiones, Ioannis & Christi: & æquinoctium Autumnale habere conceptionem Iohãnis Baptistæ, vernum autem habere conceptionem Domini Iesu Christi. Solstitia similiter habere duas natiuitates: ac Dominum Christum natum esse mense Decembri solstitio hyberno, octauo Calendas Ianuarij. Iohannem autem natum solstitio æstiuo, vigesimaquarta die Iunij. Nostri verò Computistæ, vt in anni ratione diximus, ex Columellæ ratione, & fastis Eudoxi ac Metonis, Solstitium hybernum, quo volunt natum Dominum, contulerũt in octauum Calendas Ianuarias: quamobrem dictum est à tam multis autoribus grauibus, secutis Computistas, Dominum natum esse vigesimoquinto die Decembris. Sed malè à Astrologis istis Ecclesiasticis obser-*

obseruati sunt cœlestes motus, & anni ipsius nō fuit compertaratio. Nam in anno Iuliano, quo etiamnum hodie vtimur, solstitium hibernum debet extremum anni diem conficere. Itaque illis temporibus quibus natum censent Dominum, dum eius natalem definiunt solstitio hiberno, debuerant extremo anni die, festum illud natiuitatis Domini definire: quia solstitium hibernum, anno Iuliano nequaquam fuit vigesimaquinta die Decembris illis temporibus quibus descendit in terras, & in ijs versatus est Dominus. Post annum autem septuagesimum quadragesimumsecundum, à publicatis per Iulium Cæsarem Pontificem maximum festis, bruma ad illum diem pertinuit. Quòd si vellemus his temporibus celebrare natalem Domini, eo die quo contigisse dicitur à nostris, nempe hiberno solstitio, oporteret vtique eum celebrare duodecimo die Decembris, quo Sol transit in Capricornum: quemadmodum ista pluribus in anni ratione sunt dicta primo libro, ex quibus malè nobis annum esse constitutum intelligi potuit, quia discedat nostra ratio à prima Dei ordinatione.

Sed vt ad diem natalem Domini redeamus, nostri Computistæ, qui pronunciarunt Dominum esse natum solstitio hiberno, decimoquinto die Septembris, videntur sibi autores huius sententiæ fuisse: quū aliter hac de re statuant ecclesiæ Aegyptiacæ, & ecclesiarum Græcarum pars non contemnenda. Fuisse autem Aegyptiacæ ecclesiæ non postremam laudem in temporum & motuum cœlestium diligenti obseruatione, notū est ex historijs, cùm prophanis tum Ecclesiasticis: idq; eam ob rem præcipuè, quòd artium Mathematicarum studia culta

sunt perpetuò in Aegypto, & maximè Alexandriæ, sub Impp. Romanis. Cuius rei fidem Ptolomæus Mathematicorum omniū facilè princeps, potest facere: qui sub Antonino Pio Alexandriæ floruit, anno Domini CXL. In Aegyptijs autem Ecclesiis dies Epiphaniorum habet Dominicæ natiuitatis & Baptismi sub eadem die solennitatem, non vt in occiduis prouincijs sub duobus diebus diuersis. quemadmodum id notatur præfatione in Epistolas Theophili Alexādrini Episcopi. Epiphanius etiam lib.2, tomo 1 multis hac de re agit, tandemq; quæstionem istam ita cōcludit: Attamen vndequaque vndecima Tybi mēsis, hoc est ante 8. Iduum Ianuarii, quæ est 5. Ianuarii mēsis secundum Romanos, Domini facta est in carne natiuitas. Tricesimotertio anno primi Herodis, Antipatri filii, qui erat annus quadragesimussecundus Augusti Cæsaris. *Hæc est Epiphanij sententia & Aegyptiarum nonnullarū ecclesiarum, quas Græcæ ecclesiæ pars maxima confirmasse videtur: quod ex ipsorum dierum appellationibus, et proditis de ijs definitionibus intelligimus. nam ἐπιφάνειαν, alio vocabulo dixerunt θεοφάνειαν, id est, Dei apparitionem & exhibitionem, seu præsentiam orbi primum exhibitam. Inde Orosius lib.6. cap.10 inquit:* Porrò autem hūc eundem esse diem, hoc est octauum Idus Ianuarias, quo nos Epiphania, hoc est, Apparitionem, siue manifestationē Dominici sacramenti obseruamus, nemo credentium siue etiam fidei contradicentium, nescit. *Itaq; natalem Dominicum diem, & Epiphaniam idem esse*

Orosio

Orosio videmus. quod sententiæ Epiphanij cōsentit, dicentis lib.3.tom.2: Neque in die Epiphaniorum, hoc est, apparitionis & aduētus, quando natus est in carne Dominus, ieiunare licet, *&c.* *A corrupta autem* θεοφανείας *voce nostri maiores Epiphaniorum festum, siue Epiphaniæ, dixerunt* La Typhaine. *Fauorinus autem & Suidas ita* ἐπιφάνειαν *definierunt,* τὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ ἔνσαρκον οἰκονομίαν, *id est,* Seruatoris nostri Iesu Christi, diuina prouidētia constitutam incarnationem. *Neq; verò latuit ea sentētia Chrysostomum, qui alibi ita ait,* Alii putant quod in Epiphaniis nascitur. Ser. de die nat. Dom.
Non damnamus aliorum opinionem, nostram sequimur doctrinam. Nos ergo dicimus, quòd hodie Christus natus est, in Epiphaniis renatus. *Ex quo non constitisse inter ipsos Ecclesiasticos doctores de tempore natiuitatis Domini, apparet. Quod apud nostros quoq; incertum fuisse, etsi propè omnes postea in eandem sententiam pedibus iuerunt, arguere possumus ex Glossa ordinaria: quæ Theologos veteres Latinos fuisse in alia longè sentētia, quàm sint nostri hodierni, demonstrat. Nam cap.2 libri Ester in eum locum,* Ducta est igitur Ester ad cubiculum regis Assueri, mense decimo qui vocatur Tebeth. *ita habet Glossa ordinaria:* Tebeth apud Hebræos, Audinæus apud Græcos, apud Latinos est Ianuarius, in quo Dominus est incarnatus, à Magis adoratus, & mysticis munerib. est honoratus, in quo etiā à Ioanne baptisatus esse prædicatur. *Quòd si Christus fuit*

incarnatus mense Ianuario, certè non potuit natus esse mense Decembri, sed Octobri: si tantùm nouem menses vterum geßit Virgo.

Antequam autem rem istam ad liquidum confessumq; perducamus, ne quid præiudicij nobis afferatur, ex recepta vulgò opinione, doceamus vnde ea sit nata, & quàm parum conuenienter ex Luca sit excerpta, vbi cap. 1, 9 dicitur Zacharias Iohãnis pater sorte fuisse delectus, vt incensum offerret Domino. Cui Angelus Domini stans à dextra altaris incensi Domini apparuerit, lætũ illi nuncium de nascituro filio afferẽs. Chrysostomus autem suis in eum locum enarrationibus, ait mense Septembri, octauo Calendas Octobris, incipiente Luna vndecima ipso æquinoctij tempore, quando oportebat Iudæos ieiunium Scenopegiæ celebrare, ista contigisse. Sententiam autem istam Chrysostomi nostri comprobant, ex qua deinceps cætera de tempore natiuitatis Ioannis Baptistæ, & Domini Christi colliguntur ab his hoc modo: Præcursor Domini Iohannes Baptista concipitur æquinoctij Autumnalis tempore, postea mense sexto, mittitur Angelus ad virginem Mariam, denunciaturus illi Seruatoris conceptionem, vt habetur Lucæ cap. 1, 26. quam propterea conferri oportere in vernum æquinoctium ex eo constat, quòd sexto mense ab æquinoctio Autumnali, vernum accidat æquinoctium. Quo tempore propterea festum Annunciationis fuit constitutum & celebratũ. Deinde exactis ab æquinoctio verno tribus mensibus, ineunte mense decimo nascitur Iohannes Baptista, solstitio scilicet æstiuo: quod vigeßimaquarta mensis Iunij confici voluerunt. Qua de causa festum natiuitatis

Iohannis Baptistæ ibidem statutum fuit. Nato autem Iohanne Baptista, vterum menses tres solùm virgo Maria gesserat: itaq; ab eo numerãdi sunt deinceps menses sex, vsq; ad natiuitatem Domini: quæ incidit ea de causa in solstitium hibernum, mense Decembri: quo, ex ista ratione, prædicatur natus Dominus. Hæc ita nectunt & colligunt, qui volunt Dominum natum vigesimaquinta Decembris mensis. Sed si Lucæ locum malè enarratum fuisse docuerimus, oportebit totam iam dictam demonstrationem corruere & labi, euerso scilicet eo fundamento, quo nititur ea ratiocinatio.

Quòd autem ad tempus attinet, quo ista contigerunt, quæ de Zacharia narrantur ab Euangelista Luca, id est, quo tempore apparuit Angelus Domini Zachariæ, non aliud tempus ab Euangelista notari videmus, quàm Herodis tunc regnantis. Certa enim & stata erant functionum sacerdotalium tempora, quæ illo seculo nota, nunc propter Historicorum negligentiam, aut certè ignorantiam, nobis sunt ignota. Ministeria autem & vicißitudines obeundarum functionum sacerdotalium in templo, fuerunt distributæ in vices, seu classes vigintiquatuor, vt explicatur 1. Paralip. 24. Et Zacharias quidem ad Abiæ familiam pertinebat, cui sorte octauo loco ministerium obeundum erat in sacrario. Sed quando aut quandiu, non intelligitur à nobis. Quòd si teneremus, statim nobis confecta res esset. Itaque alia est ineunda ratio, quæ tamen Scripturæ sacræ autoritate nitatur, ex qua gestarum istarum rerum tempus intelligamus: ad quam priusquam accedimus, dicendum est de loci superioris vulgò recepta interpretatione, quam malè &

parum conuenienter vsurpatam vbi cognouerimus, facile errorem qui ex ea manauit, deprehendemus. Et primum quidem, quia jeiunij legalis die gesta hæc aiunt, ante festum Tabernaculorum siue Scenopegiæ, notandum est eum diem debuisse esse, quem Expiationum festũ vocat Scriptura sacra, Leuitici cap. 23. Quod à nono die mensis septimi incipiens ad vesperam, desinebat in decimum diem eiusdem mensis. Ita enim eo capite festi huius definitur tempus, sicut & cæterorum festorum dierum, vt versu eius capitis 32 dicitur, his verbis: Sabbatum requietionis est, & affligetis animas vestras die nono mensis septimi. A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra. *Et versu 27 ita de hoc festo statuitur:* Decimo die mensis huius septimi, dies Expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus, & affligetis animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. *Eo verò die Expiationum solo, licitum erat summo Pontifici ingredi adytum Templi, siue Sanctum sanctorum: sicuti Leuitici capite 16. & Hebr. capite 9. docetur. Vnde coguntur nostri interpretes Scripturarum, qui superiorem confirmant sententiam, & volunt die Expiationum Zachariam functum isto ministerio, fateri Zachariam ingressum fuisse Sanctum sanctorum, ante propiciatorium & arcam fœderis, vt ibi offerret incensum. Tum autem aiunt cum Angeli visione obstupefactum, audiuisse euangelium de filio sibi nascituro. Sed vt hoc licuerit Zachariæ, oportuit eũ esse summum Pontificem: de quo nihil memorat Scriptura: quæ illum tantùm sacerdotem fuisse dicit de vice*

Abia,

Abiæ, cuius posteritati & familiæ classis octaua in ministerio Ecclesiastico obtigerat, vt est 1. Paralipomen. capite 24. 10. Est autem aliud sacerdotem tantùm esse, aliud esse summum sacerdotem, cui soli licebat semel quotannis ipso Expiationum die ingredi intra velum, coram propitiatorio, atque ibidem incensum offerre. Quòd si Zacharias non fuit summus sacerdos, certè munus quod illi attribuitur obire non potuit. Docendum ergo istud relinquitur, Zachariam fuisse summum pontificem. Quod etsi docuerint, non tamen quod volunt efficient, nempe Iohannem Baptistam conceptum fuisse altero die ab Expiationum festo. Quia disertè istud in hac historia, vers. 23 dicitur: Et factum est vt impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam. Post hos autem dies concepit Elisabeth vxor eius. Versari igitur in suo munere ad aliquod præterea tempus oportuit Zachariam, donec explesset suam prouinciam, & functionem sacerdotalem in Templo. Quare id malè collectum & sumptum fuisse videmus, Iohannem conceptum fuisse ipso ieiunij Scenopegiæ tempore: quum non fuerit conceptus, nisi quando exacto ministerij paterni tempore, licuit Zachariæ domum repetere.

Quid verò mouerit Chrysostomum et alios vt ita sentirent, non est obscurum ex Scripturæ locis ab ijs obseruatis in hac Lucæ Euangelistæ historia. Nam quod versu 10 dicitur in Luca, Et omnis multitudo populi erat orãs foris hora incẽsi, retulerũt ad id quod Leuitici dicitur, Nullus hominũ sit in Tabernaculo, quãdo Põtifex sanctuariũ ingredietur, Cap. 16. 17.

vt roget pro se, & pro domo sua, & pro vniuerso cœtu Israel, donec egrediatur Tabernaculum. *Quod quidem ita habere apparet ex eo, quòd cum Leuitici locum apponunt ei versui. quasi pendeant ista ex sese, & consentiant ista loca, pertineantq; ad eandem sententiam: vt quia populus foris erat orans, & expectans Zachariam, quum offerret incensum, nullus fuerit in Tabernaculo eo tempore, vnde liceat colligere Zachariam fuisse tum ingressum Sanctum sanctorum, ante propiciatorium: quòd vno tantùm anni die, nempe ieiunij siue expiationum, fieri licebat. Hæc quidem ita nectuntur, & intelliguntur ab his, qui volunt Iohannem Baptistam conceptum ipso æquinoctij Autumnalis tempore. Sed longè aliter res habet, nec ita debuerunt ista connecti aut intelligi, quasi ex sese pependerint. Quum enim iubetur in Leuitico, vt nemo sit in Tabernaculo dum Pontifex sanctuarium ipsum ingreditur Expiationum die, id pertinet non ad populum, sed ad sacerdotes, quibus solis fas erat versari in Tabernaculo, ad altare. Qui quidem iubentur tum excedere Tabernaculo siue Templo, donec ipsi & populus vniuersus cum Altari & Tabernaculo & Sanctuario fuerint expiati.*

Et quòd ad populi multitudinem attinet, quæ in hac historia dicitur orans fuisse hora incensi, nihil dicitur ab vsitata & quotidiana oratione alienum aut dissentiens. Non enim licebat populo ingredi Tabernaculum, aut Templum ipsum siue Sanctuarium: sed ad fores tantùm licebat procedere cum hostiis & oblationibus, quas dabant in manum sacerdotibus. In atrio verò

quod

quod dicebatur populi, hoc est foris extra Tabernaculū siue Templum, ante eius fores stabat populus orans, & sacra spectans, & verbum Dei audiens. Et quod in Euangelio sæpius dicitur populus conuenisse in Templum, & Christus Dominus docuisse in Templo, id de atrio populi dici intelligendum est. quod per synecdochen Templi nomine dicitur: sic, vt parti nomen totius tribuatur, qua ratione atrium vocatur Templum.

Iam quòd ad præsentem attinet Euangelicam historiam, ea ex quotidiano munere imposito filijs Aaron, id est, Sacerdotibus intelligitur. Iubentur enim Aaron & eius posteri adolere incensum supra altare thymiamatis, quotidie mane & vesperi, quum adornantur aurei candelabri lucernæ, Exodi 30.7. Quo capite, quod de precibus Aaron, versu 10, dicitur, ad cornua altaris thymiamatis semel quotannis, cum sanguine qui oblatus fuerit pro peccato, pertinet ad diem Expiationum, quo tum id altare contingebatur sanguine expiatorio. In hac autem Zachariæ historia sola fit incensi mentio, nulla autem sanguinis illati intra velum, aut sparsi ad altare thymiamatis vt de Expiationum die nihil dici in præsenti historia, sed de vsitatis & quotidianis sacris ac ceremonijs solùm agi appareat. Dum autem in quotidiano incenso, siue matutino siue vespertino offerendo, moratur præter solitum diutius Zacharias ratione colloquij Angelici, populum iustà cepit rei insolitæ admiratio. Vnde versu 21, dicitur: Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quòd tardaret ipse in Tēplo. *Quare quum neq; de die Expiationum quicquam dici videatur in hac historia, neque de Zachariæ summò*

A

sacerdotio constet, neque de tempore quo munus suum sacerdotale expleuit ipse Zacharias, non est quòd quisquam ex hac Lucæ historia sibi argumentum sumat concepti Iohannis Baptistæ, ipso æquinoctio Autumnali, mense Septembri, atque inde concepti Domini Iesu Christi verno æquinoctio, nempe sexto mense à concepto Iohanne tali tempore: deinde nati Domini solstitio insequente hiberno, exacto nono mense à conceptione ipsius. Est igitur natiuitatis Dominicæ, aliunde quàm ex huius historiæ dicta interpretatione requirenda & repetenda ratio. Quæ tum certò comprehensa & nota dici poterit, quum & de vita ipsius in terris acta constabit, & de eiusdem mortis tempore & articulo: à quo licebit retro ascendendo, & repetendo, ac retexendo superiora tempora, peruenire ad ipsum natiuitatis & conceptionis Domini tempus. Atque inde etiam definire certò licebit, concepti & nati Iohannis Baptistæ verum tempus.

Ac quidem de annis Domini ne quis desideret, paucis repetemus. Ex hebdomadibus septuaginta Danielis suprà declaratis hoc constat, Christum Dominum dimidio septuagesimæ hebdomadis ingressum fuisse suum munus, & prodijsse in apertum, quò se verum Ecclesiæ doctorem, rectorem & seruatorem demonstraret. Sic enim Daniel 9.14, habetur. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & dimidiũ eius hebdomadis cessare faciet sacrificiũ & oblationem. *Docuimus autem dimidium hebdomadis, significare ea quæ dimidia illa hebdomade per Christum Dominum gerenda erant, quibus finis erat impo-*

tiendus legalibus ceremonijs, quas Christi Domini mors aboleuit & sustulit. Id verò pluribus est dictum superiore libro tertio. Ex quo id fuit animaduersum, Christum Dominum, suum ministerium obijsse & expleuisse dimidia vltima hebdomade exposita à Daniele. Tres autem annos et dimidium complectitur dimidia illa hebdomas: quo posito & constituto certo atque indubitato fundamento, reliqua sunt ad docendum procliuia: modò id quoque intelligatur, Dominum Iesum Christum quum ingreditur suum munus baptizatum fuisse à Iohanne, dum ætatis annum trigesimum ingreditur, quemadmodum id Lucæ 3. 23, declacatur his verbis: Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum 30. *Sic enim Latinus interpres verbum de verbo exprimens, Græca reddidit, quæ ita habent:* καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν. *Id verò poterimus ita dicere, vt sit facilius ad intelligendum:* Et ipse Iesus annum ingrediebatur tricesimum: *quod veteres conuerterunt,* incipiêtem iam fieri quasi triginta annorum: *vt apparet capite extremo 47 Bedæ venerabilis, libri De natura rerum. Quibus positis certis & indubitatis, intelligimus Christum Dominum annos egisse in terris trigintaduos cum dimidio: Sublatus autem est, & in crucem actus nostra causa Dominus, dimidio septuagesimæ hebdomadis expleto, quo Danielis terminantur hebdomades: quarum finis ad eum diem pertinet, quo crucifixus est Dominus, ex quo per singulas familias agnus Paschalis erat immolandus Iudæis: qui dies est mensis primi, siue Martij vel Nisan, decimusquartus. Itaque repetita ætate Domini, videamus quo tem-*

pore fuerit baptizatus, quia id tempus nobis Euangelista Lucas definit. Ait autem Dominum fuisse baptizatum, quum ætatis annum ingrederetur trigesimum, cap. 3.23. Dum autem emittit in cruce spiritum Christus Dominus, compleuerat annum trigesimumsecundum & alterum dimidium annum, id est, sex menses cum annis triginta duobus vixerat. Si autem sex istos menses decimoquarto die mensis primi conclusos retexemus, repetendo superiora tempora reperiemus eos terminari & incipere decimoquarto die mensis septimi proximè anteà exacti. Ergo à morte Domini ad decimumquartum diem mensis septimi superioris, & proximè anteà elapsi, sex fuerunt menses, siue anni dimidium. Vnde mensem septimum, qui Domini mortem proximè antecessit, videmus habere ætatis eius annum trigesimum secundum confectum, atq; annum dimidium incipientem: quo confecto ex hac mortalitate excessit Dominus. In mense igitur septimo sistendus nobis gradus est, ex quo annos Domini integros sumendos & numerãdos esse animaduertimus, atque ex eo si volumus annos ipsos Domini à festo Tabernaculorum definire poterimus: quia Tabernaculorum festum, decimoquinto die mensis septimi, septem consequentibus diebus celebrabatur, vt est Leuitic. 23.34. Quia igitur festum Tabernaculorum habet terminum anni tricesimisecundi Domini, certè initium eiusdem anni repetetur ab antecedente eodẽ prioris anni festo, atque ita retro sumendis Tabernaculorum festis solennibus, perueniemus ad baptizati Domini tempus. Quod in mensem septimum conferendum esse, nemo est qui ex his non intelligat. Baptizatur ergo Dominus,

non

non eo die aut mense quo Chrysostomus aut Epiphanius, atque alij nobis vulgò noti, putauerunt: id est, ipsis Epiphanijs, mense Ianuario, sed eo mense, quo conuectis in horrea frugibus, & peracta vindemia, feriæ solennes & pia otia toti populo Dei imperabantur. Quo mense Baptismus quoq; suam præclaram habuit significationẽ expressam, in Expiationum festo proximè antecedente. In quo videre licet, veritati sic appositas, aut potius comparatas cum veritate legis vmbras, vt quò ceremoniæ ipsæ pertinerent, ex repræsentatis rebus quæ illo tempore sunt peractæ, non esset difficile ad intelligendum. Septimus itaq; mensis, ad festum expiationum, & ipsos festos dies Tabernaculorum, regni cœlorum patefacti, & inchoati ministerij Domini nostri Iesu Christi, habet notationem. Quo quidem tempore iussus est Iohannes Baptista relicto deserto, prodire in medium, & veram docere expiationem in Christo domino, atque adeò ipsum etiam Dominum baptizare, & demonstrare esse verum illum Agnum, quo mundi peccata tollerentur.

Iam verò constituto Baptismi Dominici tempore, de eiusdem natali die certò licet statuere, atque intelligere eodem mense natum fuisse Dominum, quo baptizatus fuerit, quia eodem mense desinunt & incipiunt ætatis eius anni. Inde in Ecclesiis Ægyptiacis Epiphaniorum dies habuit nati Domini & baptizati celebritatem, quũ eodem tempore quo natus fuit, postea baptizatus quoq; sit, & Epiphania, vt dictum fuit, præsentiam & manifestationem Domini habuerit. Fuit autem manifestatus, & manifestò declaratus hominibus Christus dominus, dum nascitur, eiusq; per Angelos prædicatur natiuitas, vt ap-

paret ex historia Euangelica Lucæ & Matthei. Præterea autem fuit demonstratum in Baptismo, præconio Iohannis, & columba cælitus missa, atque vnà adiuncta cœlesti voce: quibus testimonijs amplißimis declaratus fuit Christus dominus, esse verus Emanuel. Vnde Epiphaniam, siue Epiphaniorum celebritatem iure videmus ad natiuitatem Domini & eius Baptismum relatam, quum vtrunque contigerit mense septimo, qui est Tisri Hebræis, & in republica Israelitica naturalem annum incipit, inde factum fuit, vt quum intellexissent veteres Dominum mundo apparuisse, & reuelatum fuisse anni initio, festum Epiphaniorum retulerint ad anni sui initium: quòd nullum alium annum à suo existimarent haberi.

Septimus autem mensis æquinoctium habet autumnale, ad Tabernaculorum festum: quam ob causam non iam solstitio hiberno, sed æquinoctio autumnali, dicemus natum esse Christum dominum. Quod tempus, quia naturalis anni notationem habet, atque mundi conditi initium, pronunciare id iure possumus, nati mundi & renati, eadem & paria esse tempora. In qua sententia fuisse veteres Theologos, atque adeò Christianos omnes purioris seculi, possumus ex eo deprehendere, quòd anni ipsi apud eos habuerint idē initium quod nati Domini docemus fuisse in præsentia. Græca enim Ecclesia annos suos à Septembri mense incœpit & incipit, ab eodem mense incipiūt Indictiones, quæ annorum priorum fuerunt notæ & termini: quemadmodum id quoque testatum reliquit lib. de mensibus Theodorus Gaza, atq; ipse Beda confirmat. Ad hæc Ægyptiæ Ecclesiæ ab eodē

Septembri mense suos annos inchoãt: quod intelligimus ex mensis Toth ratione, qui est primus anni Ægyptiaci mensis, et nostro Septembri respondet. Qua de re primo libro, quum de mensibus & anno ageremus, satis multa diximus. Itaq; & Alphonsus hoc in suis tabulis annotat. Ægyptios annum suum inchoare à Septembri mense, & Græcos ab Octobri, iuxta æquinoctium. & si non sat commodè sunt ista explicata ab ipsis Alphonsinis astrologis, sicut potuit intelligi ex ijs, quæ sunt dicta in Olympiadum explicatione. At Iulius Cæsar præter horum omnium rationem anni sui principium instituit, Luna prima post solstitium hibernum, quæ tum fuit Calendis Ianuarij annno ante Christum quadragesimoquinto: quo quidem anno, confusa sunt nationum omnium tempora. Iam qui nobis certam aliquam temporum rationem studuerunt constituere, in hoc septimo mense insiterunt, atque ab eo prima suorum numerorum initia repetierũt. Inde veteres Computistæ, vt docet de Sacro bosco, incipiunt Epactas, & regulas lunares, & nonnulli inde quoque inchoant embolismos. Indictionum quoque ab hoc mense Septembri ducitur initium, vt Beda Venerabilis libro De natura rerum, cap. 48, testatur, vbi hoc ait: Incipiunt autem indictiones ab octauo Calend. Octobr. ibidemq; terminantur. Quæ cur à nostris sint ita obseruata, colligere iam licet. Quia enim septimo mense siue Septembri medio, nouerant natum dominum Iesum Christum, à cuius ortu numeranda sunt tempora, inde quoque anni sui sumpserunt initium veteres Christiani, & cætera quoque inde exorsi sunt & obseruarunt, quæ ad anni constitutionem spectabant. Sed quia

Latini & cæteri, qui postrà Romanæ Ecclesiæ autoritate permiserunt se regi, nullum alium annum à Iuliano nouerant, qui à bruma incipit, dum id quoque intelligũt Christum dominum natum fuisse anni initio, putarunt Christi domini natiuitatem referendam esse ad anni sui principium: quod in 25 Decembris diem tum incidebat, quum de festis diebus & ferijs actum fuit. Et Pontifices Romani, *quibus libenter omnes parebant,* qui Occidentem *incolebant, dum annum suum tueri volunt, &* Latinam *rationem magis probant quàm* Græcam, *à quâ in multis dißidebant, maluerunt initia annorum* Domini *referre ad anni sui principium: vnde accidit vt postra occidentales* Ecclesiæ, *dissentientes interim à* Græcis, *annorum* Domini *initia ad brumam retulerint.*

Est igitur natus atque etiam baptizatus Iesus Christus *dominus noster, mense* Septembri, *ipso æquinoctij autumnalis tempore: vnde quæ ad* Iohannis *natiuitatem & mensem à concepto* Iohanne *sextum pertinent, quo* Gabriel *ad virginem* Mariam *missus fuit, promptum est definire & expedire. Quum enim domino* Christo, *sex mensibus maior sit natu* Iohannes Baptista, *& natus sit* Dominus *mense septembri medio,* Iohannem *natum esse oportebit sexto ante* Septembrem *mense, id est, medio* Martio, *proindeq; conceptum nono ante id tempus mense, nempe* Iunio, *hoc est, solstitio ipso æstiuo.* Ita Iunius *est primus concepti* Iohannis *mensis, à quo numerabitur sextus mensis,* December, *cuius dimidio tempore, id est hiberno solstitio, concipitur* Dominus, *misso ad* Virginem, *qui id illi significaret, angelo* Gabriele. Et ἱερουργία Zachariæ *videtur conuenire: nam sors octaua*

fuit

fuit familiæ Abiæ. Erant autem vigintiquatuor ephemeriæ siue classes sacerdotum, per vices ministrantium in Templo, vt duæ familiæ vni mensi deputati fuerint: vt constat ex his quæ scribuntur 1. Paralip. 24. Octaua ergo sors Abiæ incidebat in mensem Iunium: si prima, vt verisimile est, incipiebat à Martio: à quo mense res sacræ & festa numerabantur. Cætera autem quæ ad hanc illustrandam Lucæ historiam pertinent, quæ pendent ex temporum notitia, facilè possunt colligi: quæ eam ob rē lectoribus æstimanda relinquimus.

Ex his quæ diximus constat natum Dominum mense æquinoctij autumnalis, quo tempore prodijt, vt annum Domini acceptabilem prædicaret, quemadmodum apud Lucam c. 4. 16, scribitur: Quum enim de more esset Synagogam ingressus die Sabbati Christus dominus, accepto ab Archisynagogo Esaiæ codice, eoque explicato, locum reperit vbi scriptum erat, Spiritus Domini super me, proptereà quòd vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cęcis visum, dimittere cōfractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. *Quem locum petitum ex prædictionibus Esaiæ Prophetæ cap. 61. vbi legisset in ipso publico Ecclesiæ concessu, postèa subiunxit,* Hodie impleta est hęc scriptura in auribus vestris. *Qua admonitione significare voluit quis esset, & quàm opportunè rebus Ecclesiæ propè desperatis venisset, ac quænam bona ab eo pijs essent expectanda. Ea scilicet*

quæ anno Iubilæo, qui Septembri mense, ipso expiationum die solebat denunciari, vt est Leuit. 25. 9, olim expectare inopes, & omnium rerum egenos in suo populo iusserat Deus. Annum autem acceptum quem dixit Esaias Propheta, Iubilæum intelligi voluit, quo Deus præcipuam inopum & miserorum curam se gerere demonstrauit. Quod tum maximè constitit, quum Verbum caro factum est, & habitauit nobiscum: miserijs nostris, & debitis in se receptis, vt veri Iubilæi potiremur cōmodis, & vera frueremur libertate ac fœlicitate, quam repræsentabat σεισάχθεια, id est, onerum excußio ac debitorum remißio, quæ anno Iubilæo offerebatur.

Qua ratione sit annus nobis ordinandus & constituendus. Cap. III.



Mirandum est quod quum multi & præstātes in astrologia viri extiterint his et superioribus seculis, quibus anni nostri nō fuerunt ignota vitia, nullum tamen ijs erroribus certum ab illis allatum fuit remediū. Pedibus quidē in hanc omnes eunt sententiam, atq; ita censent annū sic restituendum esse, vt sublatis diebus qui iustū anni modū superant, suis locis reponantur æquinoctia & solstitia: ijs scilicet quibus olim à Iulio Cæsare fuerunt constituta. Sed non animaduertunt illi, Iulianum annum, è quo tot confusiones temporum & errores fluxisse animaduertimus, & confusa perturbataq; fuisse tempora videmus, in totum tollendam esse: præsertim quum à diuina tempo-

rum

rum ordinatione abduxerit. Quod vt intelligi poßit facilius, age videamus, qua ratione Iulius Cæsar annum ipsum existimarit emendandum, & in omne æuum stabiliendum. Is quidem (vt Suetonius inquit) Conuersus ad ordinandum Reipub. statim, fastos correxit: iam diu vitio pontificum per intercalãdi licentiam adeò turbatos, vt neq; messium feriæ æstate, neq; vindemiarum Autumno cõpeterent. Annumq́; ad Solis cursum accommodauit, vt 365 dierum esset: & intercalario mense sublato vnus dies quarto quoq; anno intercalaretur. Quò autem magis in posterũ è calendis Ianuarijs nobis temporum ratio congrueret, inter Nouembrem & Decembrẽ mensem interiecit duos alios: fuitque is annus, quo hæc constituebantur, quindecim mensium, cum intercalario, qui ex consuetudine in eum incideret.

Annus itaque ita ordinatus à Cæsare Iulio, vt sublato mense intercalario, anni relinquerẽtur menses duodecim.

Qua ratione, sex mensibus triginta & vnum diem attribuit, nempe Ianuario, Maio, Quintili, Octobri, et Decembri: reliquis quinq;, Aprili, Iunio, Sextili, Septembri & Nouembri, triginta, Februario autem vigintinouem relinqueret, propter honorem imparis numeri, Februario tamen triginta dies anno intercalari voluit attribui, quòd annũ 365 diebus, et quadrãte definiuisset. Quadrãs aũt diei, quarto quoq; anno, quia diẽ reddebat vnũ, post diẽ sextum Cal. Mart. iussus est adiũgi, vt eo anno bis di-

ceretur, sexto Calend. Mart. Vnde postrà plures annum intercalarem, nominarunt Bissextilem.

Hæc autem anni ordinatio, Iulio Cæsare sublato, nõ-nihil mutationis experta est, quòd in eius honorem mensis Quintilis vocatus fuit Iulius: quia illo mense procreatus fuisset ipse Iulius Cæsar. Simili de causa Sextilis mensis dictus posteà fuit Augustus ab Octauiano Augusto, Iulij successore, quòd eo mense finem bellis ciuilibus imposuisset. Sed ne Augustus Iulio videretur inferior, detractus fuit vnus dies mensi Februario, & Augusto mensi additus, vt is haberet totidem quot Iulius dies, nempe triginta & vnum. Quò factum fuit vt Februario relicti sint tantummodò dies 28, in anno communi, vt vulgò loquũtur. Anno enim Bissextili, id est, Intercalari, dies obtinet ex iam dicta ratione, 29. Atq; hoc modo Romanis annus sub Augusto fuit emendatus & stabilitus, deincepsq; obseruatus ad hæc vsq; tempora: sublata in totum veteris anni Latini obseruatione, longè meliore & potiore, quæ sacram & à Deo institutam proximè rationem referebat.

Cæterùm vt pessimè sunt à Iulio Cæsare spatia menstrua definita, quia Dei euersa est ordinatio tali constitutione, quæ Christianis non est ferenda, quibus Dei verbũ debet esse commendatissimum: sic & anni nihilò melius ab eo fuisse constitutum spatium, nostra demonstrant tẽpora, vt eo anno Cæsariano, nihil sani sit relictum in tẽporibus. Nam brumam anni sui principium esse voluit Iulius Cæsar, quemadmodum id eleganter Fastorum primo docuit Ouidius. Sic bruma, quod anni tempus est, quo breuissimus est dies & nox longissima, tum scilicet

quum Sol Capricornum ingreditur, anni Iuliani principium est, quod nostra ætate ad vndecimum Decembris diem pertinet, quo solstitium conficitur hibernum.

Solstitiorum autem & æquinoctiorum rationem, quia nostri soliti sunt non sine magno errore repetere à Columella & Plinio, non ab re erit de eo quoque nonnihil dicere. Columella lib. 9. c. 4, æquinoctium vernum in octaua parte Arietis ait confici, mense Martio, circa octauum Calendas Apriles. Solstitium verò æstiuum, circa octauam partem Cancri ait fieri, vltimo mense Iunio: at æquinoctium autumnale circa octauum Calend. Octobris fieri dicit, quum octauam partem Libræ Sol attigerit. Brumam verò confici ait circa octauum Calendas Ianuarias, in octaua parte Capricorni. Cui assentitur Plinius lib. 18. cap. 25. Columellam tamen non fugit vera definitio Cardinum, istorum temporum: quum superiori de solstitijs & æquinoctijs disputationi, istud adiungat: Nec me fallit Hipparchi ratio, qui docet solstitia & æquinoctia non octauis, sed primis signorum partibus confici. Verùm in hac ruris disciplina sequor nunc Eudoxi & Metonis, antiquorumque fastus Astrologorum, qui sunt aptati publicis sacrificijs, quia & notior est ista vetus agricolis concepta opinio. hactenus Columella. Qui sequutus sui temporis errores, et superstitiosa gentiũ prophanarum sacra, in octauis signorum partibus, temporum cardines constituit, quum tamen ij debeant constitui in primis signorum partibus.

Est igitur vernum æquinoctium statuendum in pri-

ma parte Arietis, siue, vt vulgò loquuntur Astrologi, in primo Arietis gradu: quod qua ratione fieri debeat, explicatur à Stoflerino, propositione XVIII Calendarij Romani. Hac autem ætate Sol Arietem ingreditur ad decimum Martij diem, quo nobis vernum constat æquinoctium: at æstiuum solstitium Solis ingressu conficitur in Cancrum sub vndecimum Iunij diem. Libra verò quam Sol adit sub decimumtertium Septembris diem, autumnale nobis definit æquinoctium. Et Capricornus cùm Solem accipit, hibernum designat solstitium, quod Ouidius, Columella, & Plinius, Brumam appellant, quæ his temporibus pertinet ad vndecimum Decembris diem, quum deberet aut primo Ianuarij die aut Decembris vltimo constitui in Calendario Iuliano. Vnde perturbatam esse nobis anni rationem, nemo est opinor qui non intelligat. Temporum autem ista confusio non aliunde accidit, quàm ex Iulij Cæsaris pontificis maximi temeritate & audaciæ. Qui, vt est Danielis cap. 7. 25, tantum sibi licere existimauit vt leges & tempora commutare posset pro suo arbitrio.

Sacri verò anni, id est, eius quem obseruari iussit Deus, si ratio quæritur aut descriptio, ea ex sacris oraculis hauriri potest, & ex Calendario Hebraico, in quo certæ notæ & manifesta vestigia veteris anni in populo Dei obseruati apparent. Qui ita fuisse constitutus videtur, vt obseruatis æquinoctijs annus à proxima noua Luna æquinoctij autumnalis inciperet, quemadmodum id anni principium Deus instituit: quod etiã nostra vetus obseruauit Ecclesia Christiana, nõ ignara verbi Dei. Quod ita habere, ex cyclorũ ratione quam obseruarunt nostri

Com-

Computistæ constare potest. Cyclos enim suos Paschales incœperunt ab æquinoctio autumnali, quos veteres in vigesimumquartum Septembris diem contulerant, ordine suorum temporum ibi notato & constituto. Iam Græcam Ecclesiā ab eodem tempore anni sui sumpsisse principium, multa sunt argumenta: sed illud præcipuè, quòd ijs Indictiones annos definierunt, quæ ab autumnali æquinoctio sumunt exordium, quemadmodum id quoque antea demonstrauimus. Sed idem sæpius repetendum est, vt inculcetur & animaduertatur diligentius à nobis, qui in re tanta, quam Dei verbo constitutam habemus, tam negligentes & supini fuimus.

Nobis autem, qui annos à nato Iesu Christo domino nostro iure numeramus, æquinoctium autumnale debet esse anni principium: quum eo tempore natum fuisse Christum dominum ex Diuinis probauerimus oraculis, contra vulgò receptam, stulta quorundam persuasione, sententiam. Quamobrem quum Iulij Cæsaris annus, quo hactenus ab ipsius pontificatu sumus vsi, confusam & perturbatam habeat temporum rationem, habeat etiam contra diuinam ordinationem menses confusos & peruersos, nec inde incipiat, vnde nos annum inchoare par est, repudiari & abrogari debet: reuocata interim diuina temporum ordinatione & constitutione, quam omnino sequi præstiterit, nobis præcipuè, qui de Deo gloriamur, eiusq; verbo nobis ipsius misericordia patefacto per Iesum Christum Dominum nostrum.

Quare qui rerum summæ præsunt magistratus, id agere par est, et in eam curam incumbere oportet, vt aduocatis doctis & pijs Astrologis, rerum diuinarum peri

tis, annus ita constituatur, quemadmodum cum obseruari iußit Deus: vt menses quidem Lunæ motu definiantur; Solis autem conuersione, annui spatij metæ constituantur: comparatis & adæquatis vtriusque sideris conuersionibus per menses intercalares, qua ratione Israelitica & Iudaica respublica constitutam ex Dei verbo habuerant temporum rationem. Quia verò in designandis temporibus, non modò diei natalis Domini rationem habuerunt nostri Historici, sed etiam Ærarum, Indictionum, & Hegirarum, de ijs quoq; dicendum videtur, vt quod possumus, omnium studijs cum Deo prosimus.

De AERA. Indictione, & Hegira. Cap. IIII.

Hispaniarum peculiare vocabulum fuit Æra, quod à Tabellionum ignorantia primùm, deinde etiam negligentia profectum transijt postrà ad Astrologos, deinde & ad cæteros scriptores Ecclesiasticos peruenit. Temporũ autem illustrium initia vocauerunt æras Astrologi, quorum fuit in Hispania non ita pridem magna frequentia & eruditio, propter honorata & culta à regibus Hispanis mathematicarum artium studia.

Neque verò A.E R. A. vna vox est, sed plures, è quibus malè consutis & confusis, vnum fecere Hispani vocabulum: quemadmodum doctè & accuratè Iohannes Sepulueda vir eruditus diligẽter explicat. docet, inquiens, Hispanorum fuisse consuetudinem, repetendi annos ab Augusto Cæsare, Iulij Cæsaris suc-

ſucceſſore: quòd illis Auguſti fœlix & ſalutare fuerit imperium, tum quum Hiſpaniarum ad ipſum ſolum priuatim delatum fuit dominium. Id verò fuiſſe factum poſt bellum Peruſinum; ſtatim poſt Lucij Antonij Conſulatum; hoc eſt, quarto triumviratus anno Cn. Domitio, & C. Aſinio Coſſ. teſtantur Plutarchus in Antonio, & Diō in Auguſto: quod quidem tempus incidit in annum ab vrbe condita 714. annis ante natum Dominum 38. Tum autem Hiſpania, Italia, & reliquę occiduæ circa mare Ionium regiones in Auguſti ſolius imperium conceſſere: vt reliquus orbis ad Orientem Antonio permiſſus eſt, & Africa fuit attributa Lepido. Ex eo tempore, rerum actarum & geſtarum annos ſoliti ſunt Hiſpani annotare in hunc modum: Acta ſunt hæc, exempli cauſa, Cordubę, pridie Calendas Aprilis. Annus erat Auguſti ſeptuageſimus: Deinde breuitatis gratia principia verborum duntaxat ſcribebant; ſed punctis ſeiuncta in hunc modum A. ER. A. LXX. id eſt, Annus Erat Auguſti ſeptuageſimus. Poſteriorum autem ſocordia & temeritate factum eſt, vt omiſsis punctis eædem literæ, velut in vnum verbum, cuius prima ſyllaba eſſet diphthongus Æ, ſcriberetur confuſè, non aliter quàm quum æra ſcribentes, nummos æreos volumus intelligi. Ita negligentia & inſcitia librariorum & tabellionum, confu-

sa illa verba pro vna voce sunt accepta, cui posterorum ignorantia declinationem attribuit, qualem voluit. Cui etymon quoq; ab eadem inscitiæ officina profectum, accommodauit: errore multiplici ex vno, sicuti fieri solet, variè disseminato. Morem autẽ notandorum annorum per æras sustulit Iohannes rex eius nominis primus, lege lata de ea re anno Domini 1372. qua fuit cautum, vt anni deinceps, & tempora, à Christi Domini die natali, non ab æra Cæsaris computarentur. *hæc sunt quæ Sepuluedæ scriptis de* A.ER.A. *didicimus.*

Indictiones autem neq; quo tempore fuerũt institutæ, neq; quam ob causam fuerunt vsurpatæ, conuenit autoribus inter se: de quibus Beda *id* ait, repertas fuisse Indictiones antiqua Romanorum industria, ad cauẽdum errorem, qui de tẽporibus fortè oboriri poterat. Dũ enim, verbi gratia, quilibet Imperator medio anni tẽpore, vel vita, vel regno decederet, poterat euenire vt eundem annũ vnus historicus, eiusdẽ regis adscriberet temporibus, eò quòd eius partem regnasset: alter verò historicus eundem successori illius, potius attitulandum putaret, eò quòd & hic partem æquè eius haberet in regno. Verùm ne per huiusmodi dissonantiã error tẽporibus inolesceret statuerunt Indictiones, quibus vterq; scriptor, imò etiã vulgus, omnem temporum cursum facilè seruaret: quas pro facilitate quoq; calculãdi, quindecim

De nat. re. cap. 48.

decim esse voluerũt. vt planissimo numero, & ad multiplicandum promptissimo, compendiosius transacti temporis status, in memoriam posset reduci. Quidã autem putant, quia quondam in Republ. post censum quinto anno peractum, vrbs Roma lustrabatur: & ad indicium ternæ lustrationis & census, Indictiones esse conditas. Incipiunt autem Indictiones ab octauo Calendas Octobris, ibidemq; terminantur. *hactenus Beda. Cui alij Computistæ accedunt, dicentes ab Octauio Augusto institutas Indictiones fuisse, tributorum certorum causa, idq; anno tertio ante Domini natiuitatem. Indictionum autem sedem, octauo Calendas Octobris, id est, vigesimoquinto die Septembris, in ipso Autumnali æquinoctio, aiunt eundem Augustum statuisse, ne accideret in computationibus error. Quò fit, vt Tabelliones imperiali autoritate fungentes, mutent Indictiones die vigesimoquarto Septembris. Tabelliones verò Pontificali autoritate pollentes, in curia Romani pontificis mutant Indictiones vlterius, per tres menses, scilicet in die natiuitatis Domini, quando anni Christi mutantur. vt patet in actis Concilij Constantiensis: in quibus mutatur annus Domini, & Indictio simul in die natiuitatis Christi. Hoc autem fecit Pontifex, vt simul concordaret annos Domini & Indictiones, quemadmodum ait Iohannes Lucidus cap. 7. opusculi De vero die passionis Domini.*

Hac autem eadem de re Cedrenus in historia Ecclesiastica ait Olympicorum ludorum festiuitatem desiisse

tempore Theodosij, ac tum cœpisse Indictiones obseruari: quarum initium nihilominus ad Octauij Augusti refert tempora: malè interim & etymon & tempus obseruatarum Indictionum notans. Vult enim à Græca pendere origine Indictionis vocem, quasi notet victoriæ Actiacæ tempus, & sit Indictio quasi ἐν δ᾽ ἀκτίῳ νίκη, q. d. Victoria apud Actium promontorium. Sed ista dicuntur absurdius, quàm vt cuiusquam mereātur assensum: præsertim quum ante Constantini Magni tempora probatæ fidei autores, Indictionum istarum mentionem nullam faciant. Onuphrius aūt Pannuinus vir doctus & historicus diligētißimus, ait fast. l. 3. cœpisse Indictiones Constātino II. & Licinio II. Coss. anno Domini CCCXIII. idq; in Fastis Græcis, quos antiquæ & probatæ fidei habuerit, ita scribi & annotari his verbis: Ἰνδικτιώνων Κωνσταντινιανῶν ἐντεῦθεν ἡ ἀρχὴ, id est, Indictionum Constantinianarum hinc exordium (sumitur). Quòd autem idem existimat ita dici Indictiones, quasi sint temporum Indicationes & notæ, nescio vtrum id sermonis Latini ratio ferre poßit: præsertim quum ex Asconij Pediani annotationibus in quartam actionem in Verrem, quas idem Pannuinus citat, item ex Iurisconsultorum libris, quorum profert multa testimonia, constet Indictiones, certi tributi genus esse, quod non personis sed rebus soleret indici. Sic enim apud Iustinianum libro Codicis septimo, de annonis & tributis habetur: Indictiones non personis, sed rebus indici solent: & ideò ne vltra modum earundem possessionum, quas possides, conueniaris, præses prouinciæ prospiciet. Eodem libro, titulus

lus xvij de Indictionibus in hæc verba proponitur: Omnes omnino quocunque titulo posſidentes, quod delegatio ſuper Indictione videbitur amplexa, velut canones cogantur inferre, & vt ne qua ſit dubietas, hac aperta definitione decernimus, vt id potius Canonis vocabulo poſtuletur. *Titulus quoq; xviij qui ſequitur de ſuperindicto, hoc idem arguit: cuius hæc ſunt verba:* Nihil ſuperindictorum nomine, ad ſolas præfecturæ literas quiſquam prouincialis exſoluat, neque omnino vllius Indictionis titulus etiam ſolennis immineat, niſi eam noſtro cõfirmatam iudicio, & imperialibus nixã præceptis, ſedis ampliſsimæ depoſcat Indictio, & cogat exactio. *Ex his perſpicuè intelligimus, Indictionis vocem ad certi tributi genus pertinuiſſe, quæ ex eo nomen habeat, quòd indiceretur & imperaretur ad certam & præſtitutam diem. Vnde fortaſſe Indictionum iſtarum fluxit appellatio, quòd intra tale aut tale tempus exigi ſoleret, inſtar auri coronarij, quod olim quoq; certo tempore conferendum erat: ſed nos non certa ratione, verùm coniecturis agimus. Subeſſe tamen aliquid nouæ cauſæ oportuit, cur annorum quindecim ſpatio ſit definita Indictio, & cur in vſum ſit recepta: quum ſit noua vox in hac temporum notatione. Quæ fortaſſe inde orta videri poteſt, quòd quum Auguſtus Octauianus Monarchiam ſibi ſtabilire vellet, id tandem perfecerit decenniorum & quinquenniorum rogatione. Quò factum fuit, vt reliqui Imperatores, quanquam non in certum tempus, ſed in omnem vitam deſignarentur, tamen*

quinto & decimo quoq; anno festos agerent dies, quasi tum imperium renouarent, quæ tempora, Quinquennalia & Decennalia appellarent: quemadmodum id Onuphrius Pannuinus doctè annotauit, eo opere quod inscripsit, Romanorum principum & eorum quorum maxima in Italia Imperia fuerunt, libri quatuor. A qua ratione profecta videri potest Indictionum quindecennalium, vt ita dicamus, obseruatio: quòd illa quinquenniorum & decenniorum illustria maximè essent tempora, quibus tum auspicari viderentur imperium suum Cæsares & Imperatores Romani, quibus tũ, quemadmodum nostris regibus regnum suum auspicantibus, certa pecunia ad sumptus faciendos necessaria pendebatur. eaq; quòd indiceretur, nomine Indictionis fuit nuncupata. Vnde Indictionum videri possit primùm fluxisse noua ista quindecimana ratio, quæ sensim ita obtinuit & inualuit, vt canonis more, id est, tributi ordinarij, fuerit indicta & præscripta. Deinde Iustiniani mandato, cui plurima bella fuerunt gerenda, & tolerandi sumptus ingentes, instrumentis publicis additæ sunt annales Indictionum notæ, vt tributorum conferendorum nulla cuiquam relinqueretur excusatio. Quod enim de Indictionibus annotauit Iohannes de Sacrobosco in Computo Ecclesiastico, omninò verum esse videtur. cuius hæc sunt verba in tractatione Indictionum: Indictiones sunt institutæ ne tributorum soluendorum memoria laberetur. Indictionibus autem iam nihil est necesse nos vti, quum anni à nato Domino satis sint ad tollendas & conciliandas temporum difficultates, qua de causa volunt institutas fuisse Indictiones,

nes, à quibus ad Hegiras transeundum est.

Hegiras in notandis temporibus rerum Arabicarum & Mahumedicarum scriptores proponunt & vsurpāt. Quorum non est nobiscum in anni obseruatione ratio consentiens, quemadmodum id ex Alphragano illustri Arabe mathematico intelligimus. Is enim docet annum Arabum constare diebus 354. quot nempe dies conficiūt menstrua spatia duodecim. vnde mēses illis sunt errones, & incertis veluti sedibus vagantes: quos tamen sua ratione constituunt & reuocant ad Solis & Lunæ status circuitus, anno interim lunari vtentes, cui posteà suo modo accommodant Solis conuersiones. Cæterùm Hegira, quod quidem ex quodam perito linguæ Arabicæ viro, discere potui, fugam significat. Mahumedis autem fugam ex Medinath Al nabi, fœlix suorum temporum initium statuunt Arabes. Est autem Medinath Al nabi, idem ac si dicas, prouincia prophetæ: quo nomine videntur Turcæ & Arabes significare Munichiatē, quæ est in Arabia Petræa, ad sinū Elamiticū, vbi aiunt esse sepulchrū Mehomed, quem vulgò Mahomethē nominant. Sic enim aiunt Mahumedem, quū docuisset & munus prophetæ obijsset aliquot annis in Medinath Al nabi, Phylarchis Arabum venisse in suspicionem rerū nouarū: inde coitiones & turbæ sunt excitatæ, quarum causa maximū adijt vitæ periculū Mehomed. nam penè fuit lapidibus obrutus ab ijs, quibus res nouas moliri videbatur. Fuga tamen aiunt eū euasisse è tanto periculo: deinde collecta valida manu Arabum rem vi aperta gerere cœpisse. Quia verò ex eo tēpore, Saracenicæ res siue Arabicæ clariores cœperunt esse, factum fuit vt tēpora consignarint

Arabes ab ea fuga, id est, vt ipsi loquuntur, Hegira. Obliterata autem post id tempus & oppressa fuit Satanæ astu, & Mahumedis imposturis, Christi Domini quæ illis locis claruerat doctrina. A quo verò Domini anno Hegiræ incipiant, ita nostri annotarunt: Mahumedes completo anno Domini 621 dedit legem, à quo tempore computantur anni Arabum, sub Honorio Papa primo, & Heraclio Imperatore, anno imperij eius vndecimo. Atque hæc quidem de his nouis vocibus & peregrinis dicta sint, à quibus transeundum nobis est ad historiæ prophanæ emendationem.

De emendatione prophanæ historiæ. Cap. V.

VNum tamen Titi Liuij proferemus locum, vt desinant nonnulli mirari, quid causæ sit, vt de emendatione historiæ prophanæ agamus in præsentia, quum illa tam multos errores confeßione ipsorum scriptorum habeat, vt vix poßint colligi. Ita enim Titus Liuius lib. 2. ab vrbe, Tanti (*inquit*) errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, vt nec qui Consules secundum quosdam, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate, non rerum modò, sed etiam autorum digerere possis. hæc Liuius. Ex quo quantum fallantur, qui se putant posse certam temporum ex profanis his autoribus colligere rationem, apparet, in quorum emendatione nequaquam his est vtẽdum, de quorum fide ambigitur.

bigitur, sed ijs qui etiam iniurati ad dicendum testimonium admittantur, quemadmodum id postea docebitur.

Græca autem historia multò incertior est, quàm Latina: quam ex Græcorum vitijs manarit ad Latinos magna ex parte confusio: atq; vt paucis incertitudinem & corruptelam Græcæ historiæ concludamus, quid de illa dicat lib. 1. cont. App. Iosephus Hebraicæ scriptor historiæ audiamus. Quomodo ergo non est irrationabile, vt tali fastu turgeant Greci, tanquam soli sciant vetera, & veritatem eorum exactè tradant? aut quis non ab ipsis conscriptoribus facillimè discat, quòd neque firmiter dicentes aliquid conscripsere, sed quod vnusquisque opinatus est, hoc studuit explanare? Vnde etiam libris se inuicem arguunt, & valde contraria de rebus eisdem non piget eos dicere. Sed ego videbor, me potioribus esse superfluus, si explanare voluero, quãtis quidem locis Hellanicus ab Acusilao, de genealogijs discrepat, & in quantis Hesiodum corrigit Acusilaus, aut quomodo Ephorus quidem Hellanicum, in plurimis quidem ostendit esse mendacem. Ephorum verò Timæus: Timæum, qui post illum fuere: Herodotum verò cuncti. Sed neque de Siculis cum Antiocho, aut Philisto, aut Callia Timæus concordare dignatus est. Neque rursus de Atticis, hi qui Atthidas conscripserunt, aut de Argolicis, qui de Argis historiam protulere, alterutros consequuti sunt. Et quid oportet dicere

de ciuitatibus breuibusq; rebus, quando de militia Persica, & his quæ in ea gesta sunt, tãtum viri probatissimi discordasse noscũtur? In multis etiam Thucydides tãquàm fallax accusatur: licet scrupulosissimam sui temporis historiam conscripsisse videatur. Causæ verò huius dissonantiæ multæ forsan & aliæ quærere volentibus apparebunt: ego verò duabus quas dicturus sum, maximam huius vim diuersitatis adscribo.

Verè autem illud esse à Iosepho dictum, Græcos non tam studio & notitia veritatis, quàm suis opinionib. delectatos, pleraq; prodidisse, indicio erit quæ de Homeri poetarum omniũ facile principis ætate ab illis traditur Labyrinthis inuoluta historia: aut ex Gellio, clemente Alexandrino, Pausania & Herodoto constat, qui & ipsi alios authores citant, quorum summa inter se est de illius ætate repugnantia.

Certè non est verisimile tam antiquum esse Homerum, quàm maior superiorũ scriptorum pars credidit: quòd ante Homerum, vt docet Eusebius, præp. Euang. lib. 10. cap. 3, extitere hi poetæ in Græcia: Linus, Philammon, Thamyras, Amphion, Orpheus, Musæus, Demodocus, Phenius, Sybillæ, Epimenides Cretensis, Aristeas Proconesius, Asbolus Centaurus, Isatis, Drimon, Euclus Cyprius, Orus Samius, Protenidas Atheniensis.

Pausanias verò poetas istos locis aliquot citat Homero priores, qui hymnos potissimùm conscripserunt, Olenem Lycium, Pamphum Atheniensium hymnographũ, & Or-

& Orpheum filiũ Calliopes, alterius quidem quàm Pierij. quod dicendum putaui ne quis nullum doctrina aut eloquentia præstitisse ante Homerum existimet. Quòd si Homeri clarißimi in Græcia poetæ tam incerta est ætas, de qua tam varia & dissona tradunt nobilißimi scriptores, qui in eam rem diligenter inquisierint, quid censendum est de cæteris minus claris rebus, quas suisq; deq; habuerunt, qui de his aliquid prodiderunt? Sed his difficultatibus quum multi remedia quæsierint, vnus est & grauißimus quidem autor Dionysius Halicarnasseus, qui videatur attulisse medicinam. Librum enim scripsit de regulis Eratosthenis certis & indubitatis, quæ essent sequendæ in temporibus digerendis & ordinandis: quemadmodum testatur id à se factum præfatione operis, quo antiquitates siue origines Romanas est persequutus. Sed Eratosthenis scripta tametsi non extant, tamen quomodo tẽpora maximè illustria definierit, habemus ex ipsius monumentis expressum, in Stromatibus Clementis Alexandrini, lib. 5.

A capta Troia, ad Heraclidarum descẽsum, anni sunt 80. Hinc ad conditam Ioniam, anni 60.

Deinceps ad Lycurgi tutelam, anni sunt 159. Inde ad annũ primæ Olympiadis anni sunt 108. A prima Olympiade ad transitum Xerxis in Græciam sunt anni 297.

Ab eo anno ad initium belli Peloponnesiaci anni sunt 48. Et ad cladem quam à Lacedæmonijs acceperunt Athenienses, muris vrbis dirutis, anni sunt 27.

Inde ad pugnam Leuctricam anni sunt 30.

Ab ea pugna ad Philippi Macedonis mortẽ, anni sũt 35: à qua ad Alexandri magni obitũ anni numerãtur 12.

Hæc est Eratosthenis temporum constitutio, ex qua Dionysii Halicarnassei chronologia quæ fuerit, potest quadam parte animaduerti. Qua autem ratione temporum inde petenda sit emendatio, relinquo ijs dijudicandum, qui putant certi aliquid posse constitui & reperiri in veteri prophana historia. De qua possemus fortasse commodius agere, si expressas haberemus eas regulas, quas vt certas & indubitatas putauit sibi sequēdas Dionysius Halicarnasseus. Quem etsi diligentem & acutum fatemur, agnoscimus nihilominus in ijsdem priorum tēporum erroribus versatum, id est, temporum rationem perturbatam sequutum esse, eodem propè modo quo cæteri. In quo demonstrando ne simus longiores, hoc primùm dicimus, nihil propè in historia prophana, quum Græca, tum Latina rectè esse in temporibus definitum, ante Philippi Macedonum regis, patris Alexandri Magni, tempora. Nam pauci anteà fide digni scriptores prophani extiterunt, quibus veri cura describendi & annotandi fuerit Herodotus quidem & Thucydides extant antiquißimi ferè historici præcipui, qui monumentis suis res Græcas & externas superiorum illorum temporum sunt complexi: ac veteres quidem historias & à prima memoria repetitas habet Herodotus, sed sine vlla tēporum certa definitione. Thucydides autem, etsi per æstates & hyemes & Olympiadas res Atheniensium & Lacedæmoniorum suo tempore gestas describit, tamen nusquam Olympiadis certæ numerum proposuit, nec quota illis temporibus ageretur Olympias significauit: conscius fortè sibi temporis incerti quod describebat. Nam malè superioris ætatis annos ab eo fuisse definitos

mox

mox intelligemus. Quòd autem ad Xenophontis historiam de rebus Græciæ attinet, quæ censetur nomine ἑλληνικῶν, quòd res Græcas contineat, aut παραλειπομένων, quod prætermissam & interruptam Thucydidis morte historiam habet expressam, ea vt certè egregia est, & bona fide ab ipso Xenophonte descripta fuit, nihilominus in Olympiadum notis, & annorum numeris deprauata fuit. Quod quidem ita habere ex eo potest intelligi, quia Olympiadem nonagesimamtertiam confert in ea historia, in annum Euarchippi Spartiatarum Ephori: post quem in eadem historia nominatur Ephorus Pantacleus, institutus secundo & vigesimo belli Peloponnesiaci anno. Itaque Euarchippi annus, qui antecesšit, in quem incidit Olympias nonagesimatertia, qua curru vicit Euagoras Eliensis, in stadio verò Euboas Cyrenæus, erit annus vigesimusprimus eius belli. Post Euarchippum autem & Pantacleum, hos posteà recenset Ephorus Xenophon, Pithiam, Architam, Eudicum, sub quo Lysander bello Peloponnesiaco confecto, & euersis Athenarum muris, domum sit reuersus. Ex qua ratione oportuit bellum illud confectum, anno vigesimoquinto, ex quo fuerat susceptum. At ipse Xenophon disertis verbis ait, Lysandrum repetijsse domum, post annum eius belli vigesimumoctauum, mensemq; sextum: hoc est, impositum fuisse finem bello Peloponnesiaco à Lysandro, anno vigesimonono ab eo bello suscepto. Quamobrem & totidem Ephoros, nempe 29. sub quibus hoc bellum sit gestum, enumerat Xenophon. Ex quo erratum esse in, numeris annorum, & Olympiadum, facilè potest liquere. Quod quidem dictum volui, propter eos qui Olympia-

Hæc est Eratosthenis temporum constitutio, ex qua Dionysii Halicarnassei chronologia quæ fuerit, potest quadam parte animaduerti. Qua autem ratione temporum inde petenda sit emendatio, relinquo ijs dijudicandum, qui putant certi aliquid posse constitui & reperiri in veteri prophana historia. De qua possemus fortasse commodius agere, si expressas haberemus eas regulas, quas vt certas & indubitatas putauit sibi sequēdas Dionysius Halicarnasseus. Quem etsi diligentem & acutum fatemur, agnoscimus nihilominus in ijsdem priorum tēporum erroribus versatum, id est, temporum rationem perturbatam sequutum esse, eodem propè modo quo cæteri. In quo demonstrando ne simus longiores, hoc primùm dicimus, nihil propè in historia prophana, quum Græca, tum Latina rectè esse in temporibus definitum, ante Philippi Macedonum regis, patris Alexandri Magni, tempora. Nam pauci anteà fide digni scriptores prophani extiterunt, quibus veri cura describendi & annotandi fuerit Herodotus quidem & Thucydides extant antiquißimi ferè historici præcipui, qui monumentis suis res Græcas & externas superiorum illorum temporum sunt complexi: ac veteres quidem historias & à prima memoria repetitas habet Herodotus, sed sine vlla tēporum certa definitione. Thucydides autem, etsi per æstates & hyemes & Olympiadas res Atheniensium & Lacedæmoniorum suo tempore gestas describit, tamen nusquam Olympiadis certæ numerum proposuit, nec quota illis temporibus ageretur Olympias significauit: conscius fortè sibi temporis incerti quod describebat. Nam malè superioris ætatis annos ab eo fuisse definitos

mox

mox intelligemus. Quòd autem ad Xenophontis historiam de rebus Græciæ attinet, quæ censetur nomine ἑλληνικῶν, quòd res Græcas contineat, aut παραλειπομένων, quod prætermissam & interruptam Thucydidis morte historiam habet expressam, ea vt certè egregia est, & bona fide ab ipso Xenophonte descripta fuit, nihilominus in Olympiadum notis, & annorum numeris deprauata fuit. Quod quidem ita habere ex eo potest intelligi, quia Olympiadem nonagesimamtertiam confert in ea historia, in annum Euarchippi Spartiatarum Ephori: post quem in eadem historia nominatur Ephorus Pantacleus, institutus secundo & vigesimo belli Peloponnesiaci anno. Itaque Euarchippi annus, qui antecessit, in quem incidit Olympias nonagesimatertia, qua curru vicit Euagoras Eliensis, in stadio verò Euboas Cyrenæus, erit annus vigesimusprimus eius belli. Post Euarchippum autem & Pantacleum, hos posteà recenset Ephorus Xenophon, Pithiam, Architam, Eudicum, sub quo Lysander bello Peloponnesiacò confecto, & euersis Athenarum muris, domum sit reuersus. Ex qua ratione oportuit bellum illud confectum, anno vigesimoquinto, ex quo fuerat susceptum. At ipse Xenophon disertis verbis ait, Lysandrum repetijsse domum, post annum eius belli vigesimumoctauum, mensemq; sextum: hoc est, impositum fuisse finem bello Peloponnesiaco à Lysandro, anno vigesimonono ab eo bello suscepto. Quamobrem & totidem Ephoros, nempe 29. sub quibus hoc bellum sit gestum, enumerat Xenophon. Ex quo erratum esse in numeris annorum, & Olympiadum, facilè potest liquere. Quod quidem dictum volui, propter eos qui Olympia-

de sic definita in Xenophonte vtuntur, ad constituendā belli Peloponnesiaci tempora. Qui verò ante Herodotum, Thucydidem & Xenophontem memorantur historici, sunt Hellanicus, qui Herodotum ætate paulò antecesßit, deinde Cadmus Milesius & Acusilaus Argiuus, qui dicuntur à Iosepho, libro primo contra Appionem, primi historiam apud Græcos scripsisse, & aliquanto priores fuiße Xerxis descensu in Græciam. Aulus autem Gellius lib. 15. c. 23, ait Hellanicum, Herodotum & Thucydidem historiæ scriptores in ijsdem temporibus ferè ingenti laude floruisse, & non minus longè distantibus ætatibus fuisse. Suidas verò docet Hellanicum Mitylenæum historicum egisse apud Amintam Macedoniæ regem, vnà cum Herodoto, eadem ætate qua Sophocles & Euripides apud eundem regem versati sunt in Macedonia. Quæ temporum notatio poterit esse vsui, ad aliquā temporum in Græca historia certitudinem exprimendam. Acusilaus autem Argiuus historicus, genealogias quasdam conscripsit, ex tabulis Æneis, quas eius pater repererat versando terram, & nescio quid fodiendo domi suæ: ex quibus dixit Iosephus ab eo multis locis reprehensum fuisse Hesiodum. Cadmus autem Milesius memoratur Plinio lib. 5. cap. 29. quum de Mileto agit, quam negat fraudandam suo ciue Cadmo, qui primus prosam orationem condere instituerit. Sed horum scriptis nihil iuuari possumus, quum non extent. In quibus si quid fuit præclari, id certè à posterioribus excerptum fuisse, verisimile est: quo factum fuit vt minus postà sint desiderati hi autores.

Diodori verò Siculi libri qui fabulosam sequuntur histo-

historiam, in quibus temporum rationem quam sequutus est, expresserat, desiderantur. Quamobrem ne his quidem iuuari possumus, in rectè constituendis prophanæ historiæ temporibus. Thucydide autem nostri potissimum vtuntur, à quo dum collibuit aut visum est, discedunt. Ei verò quia potissimùm fides habetur in temporũ quæ descripsit definitione, non esse tamen illi temere credendum, iam docendum est. Ait autem lib. 6. Hippiam Pisistrati filium post occisos Harmodum & Aristogitonem, tenuisse annos tres tyrannidem Athenis: quarto autem pòst anno fuisse pulsum vrbe per Lacedæmonios & Alcmæonidas: atque ita excedentem imperio abijsse in Sigæum, deinde ad Darium Persarum regem, vnde postmodum senex anno vigesimo venerit cum Persis Marathonem. A pugna autem Marathonia ad Xerxis transitum in Græciam, ait prologo in suam historiam esse decem annos. Sic a pulsis Pisistratidis ad Xerxis bellum anni sunt triginta. A discessu autem Xerxis ad initium belli Peloponnesiaci, ait libro primo Thucydides annos esse quinquaginta, intra quos Athenienses imperium suum auxerunt, & in magnam potentiam prouexerunt. Quare ex hac Thucydidis ratione, anni erunt octoginta à liberatis Pisistratidarum tyrannide Athenis ad bellum Peloponnesiacum. His annis si annos Pisistratidarum adiunxerimus sex & triginta, quibus eos tenuisse tyrannidem Athenis ait Herodotus libro quinto, antequam ex Attica in Sigæum concederent: prætereà si adiungamus Pisistrati tẽpus, quod ab occupata primum ab illo tyrannide vsq; ad eius obitum effluxit, quod fuit annorum triginta quatuor, vt annotauit Iustinus

libro secundo, fient anni à Pisistrati tyrannide ad initiū belli Peloponnesiaci centum quinquaginta. Ita autem constare hæc tempora vt eam summam annorum reddant, nemo potest negare. Tantum verò temporis effluxisse à Pisistrato ad initium belli Peloponnesiaci nullus Chronographorum videtur sibi persuasisse; quum in ea tempora quibus fuit regno exutus Crœsus à Cyro, Persarum monarcha, conferatur tyrannis Pisistrati. Et ne in temporibus belli Peloponnesiaci hæreamus, in præsentia sumātur tantùm nobis ij anni, quos habet expressos Thucydides qui sunt octoginta, nempe quinquaginta à moto bello Peloponnesiaco ad Xerxis descensum in Græciam. Ab eo descensu ad pugnam Marathonicam duce Miltiade, sunt anni decem. Ab ea pugna ad expulsum Hippiam Pisistratidem, anni sunt viginti: qui omnes anni simul iuncti, summam constituunt annorum octoginta: quos vt existimemus verè ab ipso Thucydide expositos, adduci non possumus: quòd veram temporis notationem, qua Cyrus adijt imperium, habemus ex Scripturis sacris cognitam, quæ ista esse falsa arguit.

Periclem aiunt retulisse figura oris Pisistratum; quem propterea suspectum quodam modo habebant Atheniensium maiores natu: qui præter oris figuram, hominis quoque facundiam verebantur, quemadmodum eiusce rei testis est in eius vita Plutarchus. Itaque & quidam senex audito Pericle, dixit vitari ciuem illum oportere, quòd eius oratio similis esset orationi Pisistrati. Atqui Pericles grandis iam natu, quum intelligeret se optimatibus minus gratum esse, ad populum se contulit: cuius partes amplexus, sublatis ea ratione è Repub. per

Ostra-

Ostracismum, Themistocle & Cimone, quos ille verebatur, audacius postea prodijt ad Rempu. tractandam, & oratione sua populum, quò vellet impellendum. Quod contigisse videtur paulò ante belli Peloponnesiaci tempora. Obijt enim, vt autor est Thucydides lib. 2, anno tertio belli Peloponnesiaci, id est, post duos annos et dimidium à moto & excitato bello peloponnesiaco. Hic autē, vt ait tertio libro de oratore Cicero, doctrina, consilio, eloquentia excellens, quadraginta annos præfuit Athenis, & vrbanis eodem tempore & bellicis rebus. Quod quidem concedat qui volet Ciceroni, & Græcis autoribus eadem prodentibus, quanquam falsò, vt pòst certius intelligetur.

Qui verò sic de temporibus statuunt, volūt Periclem obijsse Olympiade octogesimaoctaua. quod sumatur ita esse, vt certa aliqua temporis ineatur ratio. Iam superiora retexendo tempora, numeremus annos quadraginta ab Oympiade 88. qui incidēt in Olympiadem 78. Post quod tempus contulit se ad gubernandum Rempubl. Pericles: cuius tum oratio qualis esset, potuit animaduerti ab his qui Pisistratum de facie norant, & eius orationis & eloquentiæ auditores & iudices fuerant: quod ab illis fieri non potuit, nisi iam adultis. Ex dictis autem iam annis Pisistrati, eum obijsse oportet & suis tyrannidem reliquisse Olympiade 58. à qua ad Olympiadem 78. anni sunt octoginta. Qui autem audierant Pisistratum, vt eloquentiæ eius possent esse iudices idonei, debuerant saltem annos esse nati viginti, quum obijt ipse Pisistratus. ita additis annis viginti ad octoginta, fient centum. Qua ætate oportuit illos esse senes, qui

Periclem tractantem Rempubl. & ore atque eloquentia referentem Pisistratum agnoscebant. Vtrum autem illo tempore multi fuerint Athenis tam prouectæ ætatis senes, rostra ipsa, & concionem frequentantes, non ausim asserere, quum id accidisse, vix mihi ipse persuadeam.

Perspicuum etiam alterum ex Themistoclis vita, in hanc rem proferamus exemplum, quod ad eadem quæ dicta sunt propè referetur tempora. Periclis enim & Themistoclis eadem & penè par fuit ætas, etsi Themistocles natu maior fuisse videtur. Ælianus variæ histo. lib. 3. cap. 21. narrat Themistoclem puerum aliquando redeuntem à schola, factum obuium Pisistrato tyranno: & quum iuberetur à pædagogo decedere de via, renuisse, addita responsione: an non illi hæc via sufficit? Quæ vox iam tyrannidis in illius animo impressum odium significaret, & magnos eius testaretur spiritus. Ita sub Pisistrato vixit Themistocles, qui potuit tum esse decem annos natus, quum tyrannidis iam conceptum odium gereret in animo, & de oppressa à Pisistrato doleret Republica. A Pisistrato verò ad bellum gestum in campo Marathonio duce Miltiade, anni sunt quinquagintasex. Nam Pisistratidæ, sicuti est dictum, tenuerunt annos trigintasex tyrannidem, & post eos expulsos, Hippias Pisistrati filius: vigesimo anno posteà dux fuit Persis ad Marathonem. Bello autem Marathonio interfuisse Themistoclem testes sunt satis multæ historiæ, quæ illum tum ætate iuuenili fuisse confirmant. idque Iustinus inter cæteros libro secũdo ita annotauit: In eo prælio (Marathonio) tanta virtus singulorum fuit, vt cuius

laus

Ius prima esset, difficile iudicium videretur: inter cæteros tamen Themistoclis adolescentis gloria emicuit. In quo iam tunc indoles futuræ imperatoriæ virtutis apparuit. hæc Iustinus. Qui qua ratione cum alijs historicis, adolescentem dicat bello Marathonio Themistoclem, existimari non potest, si vera sunt quæ de temporibus Pisistratidarum & rebus ab ijs gestis dicuntur. Iam si à bello Marathonio, ad bellum ad Salaminem gestum anni sunt decem, vt ait Thucydides, certè tum maiorem septuagenario oportuit esse Themistoclem: quem tamen virili iam ætate fuisse loquuntur istæ historiæ. Ex quo non solùm in alijs, sed hic quoque in temporum notatione, iure ab alijs fuisse reprehensum Thucydidem, minimè mirum videri debet. Sed si tam parua fides danda est Thucydidi, in ijs quæ de suæ ætatis rebus scripsit, quid de cæteris censendum sit ab eo scriptis, aliorum esto iudicium. Causæ autem quæ fuerint belli Peloponnesiaci, etsi ab eo explicantur, multæ tamen non sunt ab eo commemoratæ præcipuæ, vt ex aliorum scriptis constat. Potest tamen excusari, eò quòd aliud fuit eius, quàm cæterorum iudicium, eaq; prodidit quæ maximè consentanea existimauit. Non est autem obscurum Alcibiadis dictum, quo Periclem ad implicandam bello illo Remp. impulit. Is enim quum de reddendis rationibus impensæ pecuniæ publicæ sollicitus admodum esset, ac mœroris causam accepisset Alcibiades, Quin, inquit, id agis, vt rationes non reddas?

Quòd si Pisistrati tyrannidis tempus requiremus, aut belli ad Marathonem gesti, cuius victoria maximè se Athenienses extulerunt, aut ad Salaminem, quo

Xerxes mari ſuperatus eſt opera Themiſtoclis, aut Peloponneſiaci, quo victi Athenienſes Lacedæmonijs ſuccubuerunt, idem reperiemus quod in Homeri conſignanda ætate factum ab autoribus prius didicimus, id eſt, varias & diſſentientes omnium eadem de re ſentẽtias, quibus rerum ſumma incertitudo ſignificatur. Piſiſtratum autem tyrannum fuiſſe Athenis, Seruio Tullio regnante, Solone antè in exilium voluntarium profecto; quoniam id ei prædicenti creditum non fuerat, ait Aulus Gellius, lib. 17. cap. 21. quod tempus in Olympiadem 53. confert Euſebius. Seruius autem Tullius Romanorum rex quartus, regnum adierat anno quarto Olympiadis quinquageſimæ. Herodotus autem Piſiſtratum Athenis tyrannidem tenuiſſe Crœſo apud Lydos regnante, docet primo libro. cuius imperium conferunt Chronographi in Olympiadem quinquageſimamquartam eumq; volunt à Cyro rege Perſarum captum, extrema Olympiade 58.

Plinius verò lib. 34. cap. 4. ait Athenienſes publicè poſuiſſe ſtatuas Harmodio & Ariſtogitoni eodem anno quo pulſi fuerunt Roma reges, quod factum fuit anno quarto Olympiadis 67. quod tempus congruit propè cum ijs, quæ de Piſiſtrato, & Piſiſtratidis habet Ariſtoteles, Politic. lib. 5. cap. 12, qui ait Piſiſtratum bis tyrannide fuiſſe depulſum Athenis. Itaque ex annis triginta tribus, ſolos decem & ſeptem tyrannidem exercuiſſe: filios verò eius Athenis annis decem & octo, vt eorum tyrannis omnium viguerit tantùm per annos triginta quinque.

At Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 6. ait Olympiade

ſeptua-

ſeptuageſimaprima, Coſſ. fuiſſe Romæ A. Sempronium Atratium & M. Minutium, Hipparcho Athenarũ principe. Sed is videtur alius eſſe à Piſiſtratida: quem interfectum fuiſſe ab Ariſtogitone & Harmodio aiunt, Olympiade 65. Itaq; Hipparchus iſte videtur fuiſſe ex numero annuorum principum.

Marathoniam verò pugnam Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 5. ait poſteriorem eſſe Bruti funere ſexdecim annis, qui quidem anni incidunt in annum quartum Olympiadis 71. At in Bruto Cicero bellum hoc Marathonium videtur referre ad Olympiadem 73. qua per Coriolanum Roma penè fuerit perdita, quemadmodum id tẽpus annotat lib. 8. Dionyſ. Halicarnaſſ. Sic autem ait Cicero: Bellum illud Volſcorum grauiſsimum, cui Coriolanus exul interfuit, eodem ferè tempore quo Perſarum bellum fuit. *Et Aulus Gellius lib. 17. c. 21. ait, ducenteſimo & ſexageſimo anno poſt Romam conditam, aut nõ longè amplius, victos eſſe ab Atheniẽſibus Perſas, pugna illa inclita Marathonia, Miltiade duce: qui poſt eam victoriam damnatus à populo Athenienſi, in publicis vinculis mortem obijt.*

Libro autem nono Dionyſ. Halicarnaſſeus, ait principe Athenis Calliade Xerxem expeditionem illam memorabilem feciſſe in Græciam, Olympiade 75. id eſt, annis duodecim interiectis à pugna Marathonia ad Salaminiam. In eadem eſt ſententia Diodorus Siculus, quẽadmodum ſuperiori libro declaratum fuit. vbi ex Pauſania & Herodoto, Gelonem tum Syracuſis imperaſſe dictum fuit. Cuius tamen tyrannidem Plutarchus confert in Olympiadem octogeſimamſecundam, in vita Ly-

siæ oratoris. Tam incerta sunt apud autores rerum istarum tempora. Quamobrem in hac historia hærens Pausanias lib. Eliac. 2. ait, Oebotæ statuam Achæos ex Apollinis Delphici responso posuisse: cui Olympiade sexta & octogesima, palma de studio est adiudicata. Sed quomodo Oebotas potuerit in Græcorum acie ad Platæas depugnasse, miratur quemadmodum id de Oebota nonnulli scriptum reliquere. Nam Olympiade 75. ad Platæas duce Mardonia fusi fuerunt Persæ. Itaque ea quidem quæ vulgarint hac de re Græci, dicit sibi necesse esse commemorare, nihil tamen esse cur adducatur, vt illis fidem adhibeat. Cuius sententiam omnino nos hic sequi par est. nempe vt habeamus cõmemoranda ea, quæ Græci historici produnt his de rebus, quibus tamen fides nõ sit habenda temere.

Belli verò Peloponnesiaci tempus Plinius lib. 30. c. 1. refert ad Olympiadis octogesimæprimæ annum quartum. Aulus verò Gellius li. 17. c. 21. eadẽ de re ita inquit: Bellum inde in terra Græciæ maximum Peloponesiacum, quod Thucydides memoriæ mãdauit, cœptum est circa annum ferè post conditam Romam trecentesimum vigesimũ nonum. Annus autem Vrbis conditæ 329. est primus Olympiadis 89.

Diodorus autem Siculus lib. 12. confert id bellum in annum Vrbis conditæ 323. id est, in Olympiadis 87. annum tertium. Quod nostri aliò referunt, suis vsi rationibus, quas hinc inde ex malè constitutis historijs colligunt. Et vt cœpti huius belli tempus est incertũ, sic quãdo finitum fuerit non constat inter ipsos autores. Nam

bellum

bellum hoc Peloponnesiacum per annos vigintiseptem fuisse gestum, maior autorum pars prodidit. Æmilius tamen Probus, in vita Lysandri Lacedæmonij, bellum hoc confectũ fuisse anno vigesimosexto dicit. At Xenophon lib. Hellan. 2. docet bellum istud finẽ fuisse sortitũ, Athenarum deditione, et euersione murorum per Lysandrũ, anno postquã id cœptũ fuerat vigesimooctauo, & mense sexto. Addit eodem anno Dionysium Hermocratis filium, tyrannidem Syracusis arripuisse. Præterea autem, sequentem annum quo Oligarchia sit cõstituta Athenis, habuisse Olympiadẽ, qua stadio vicerit Crocinus Thessalus, sed quota fuerit Olympias nõ exprimit. Quod si ab illo, qui tũ viuebat & ad res gerendas se comparabat, factũ fuisset, magna nos molestia liberasset. Dionysius enim Halicar. ait l. 7. Ant. Dionysium seniorem inuasisse tyrannidẽ anno tertio Olympiadis nonagesimætertiæ. Quæ non possunt conuenire cum his, quæ tradit Xenophon: quemadmodum neq; illa, quæ traduntur ab Aulo Gellio l. 17. c. 21. qui ait, Tribunis militaribus consulari imperio Remp. Romæ regentibus, ad annum ferè conditæ Vrbis 346. triginta tyrannos præpositos fuisse à Lacedæmonijs Atheniensibus, & in Sicilia Dionysium superiorem tyrannidem tenuisse. Annus aũt Romæ conditæ 346, est annus secundus Olympiadis nonagesimætertiæ.

Euripides autem & Sophocles dicuntur eodem anno quarto Olympiadis nonagesimæsecundæ obijsse, id est, anno vrbis Romæ conditæ 344. Et Sophocles quidem Athenis obijt, dum vrbem obsideret Lysander. Euripides autem suo fato functus est apud

Archelaum Macedoniæ regem. Quòd si Sophocles tum obijt, nempe anno quarto Olympiadis nonagesimæsecundæ, certè triginta tyranni essent impositi Athenis à Lysandro, anno primo Olympiadis nonagesimætertiæ. De Sophoclis autem morte & Pausanias in Atticis, & Solinus in Polyhistore consentiunt.

Præterea Pythagoram tradunt historiæ, peregrinationem in Ægyptum suscepisse, patria Samo insula relicta, quòd eã videret Polycratis tyrãnide oppressam. De Pythagoræ ætate Plinius hæc habet l.2.c.8. Quã naturam eius, Pythagoras Samius primus deprehendit, Olympiade circiter quadragesimasecunda, qui fuit vrbis Romæ annus centesimus quadragesimussecundus.

Solinus verò cap.21.inquit: In Samo nihil nobilius quàm Pythagoras ciuis, qui mox offensus fastu tyrannico, relicta domo patria, Bruto Cõsule, qui reges vrbe exegit, Italiam aduectus est. *hactenus Solinus: qui confert aduentum Pythagoræ in Italiam, ad annum vrbis Romæ 245.*

Aulus autem Gellius lib.17.c.21.inquit. Postea Pythagoras Samius in Italiam venit, Tarquinij filio regnum obtinente, cui cognomentum Superbus fuit.

Dionysius Halicarnasseus lib.2. ait Pythagorã post quinquagesimam demum Olympiadem, id est, annum Vrbis conditæ 173. docuisse in Italia.

Diogenes verò Laertius docet floruisse Pythagoram Olympiade sexagesima, hoc est, anno ab Vrbe condita 213. Nos autem his omnibus reiectis sententijs, dicemus

floruisse

floruisse Pythagoram belli Peloponnesiaci tempore, tũ quia, vt ait Eusebius De præp. Euang. lib. 10. iisdem temporibus fuerint Anaxagoras, Xenophanes & Pythagoras: tum verò quia Lysis, Pythagoræ familiaris, qui cum Archita euaserat incendium, quo & Pythagoras ipse, et alij eius discipuli in ædibus Milonis interierunt, fuerit Epaminondæ præceptor, atq; is obierit Thebis paulò ante Cadmæam à Lacedæmonijs occupatam: vt multis verbis explicatur à Plutarcho, libro de Socratis dæmonio. Post arcem autem Thebarum Cadmæam à Lacedæmonijs occupatam, Epaminõdas fregit Lacedæmoniorum opes, quum illi aliquot antè annis deuictis Atheniensibus, Græciæ principatum obtinerent.

Atq; hæc de Græcæ historiæ incertitudine sint dicta. Nunc etiam dicendum est aliquid de Latinæ historiæ simili confusione, antequam de eius emendatione nonnihil dicatur: quam tamen ignorant nostri, dum sibi ex antiquis marmoribus, & veterum autorum testimonijs, credunt pulchrè constare temporum rationem, quam, vt in Græca historia esse incertam, duobus capitibus arguemus, vno maximè illustri, quod est de decemviris legum ferendarum causa creatis: altero de vrbe Roma à Gallis capta & incensa. Hæc enim ita sunt prodita ab ipsis Latinis, vt eos constet in maxima versatos temporum ignorantia, etsi id minimè existimant.

Tabulæ Romanarum legum cõpositæ scriptæq; sunt, inquit Aulus Gellius lib. 20. c. 1. trecentesimo anno post Romam conditam. quod etiam lib. 17. c. 21. ita explicat: Romę per eas tempestates, quibus Empedocles Agrigentinus in philosophiæ naturalis

ſtudio floruit, decemviros legibus ſcribẽdis creatos conſtitit: tabulasq; ab ijs primo decem conſcriptas, mox alias duas additas. *At Solinus*, c. 2, Decẽviri creati ſunt anno trecẽteſimoſecundo, *inquit. Cicero autẽ de fin. l. 2. idẽ propè notat tẽpus, his verbis:* Tenuis Virginius, vnus que de multis, ſexageſimo anno poſt libertatem receptá, Virginiam filiam ſua manu occidit, potius quàm Appij Claudij libidini, qui tum erat ſummo in imperio, dederetur. *Is verò annus ſexageſimus poſt expulſos vrbe reges, & recuperatam libertatem, incidit in annum vrbis conditæ trecenteſimumprimum, id eſt, in annum primum Olympiadis octogeſimætertiæ. Dionyſius verò Halicarnaſſeus lib. 2. ait* decemviros legibus ſcribendis creatos anno vrbis trecenteſimo, *id eſt, quarto anno Olympiadis octogeſimæprimæ. At idem l. 11. ait Romanos*, Olympiade octogeſimatertia, diſſoluiſſe imperium decemvirorum, tertio anno ex quo illorum curæ commiſſa fuerat Reſpublica. *Quamobrem ex eius ſententia, creatos fuiſſe decemuiros primùm oportet, anno tertio Olympiadis octogeſimæſecundæ. Alijs dicuntur decemuiri iſti legum ferendarum cauſa creati, anno ab vrbe condita trecenteſimo anno. In his eſt Diodorus Siculus, qui l. 12. ait, Olympiade octogeſimaquarta fuiſſe creatos decemuiros, legũ ferendarũ ergò. Sed hi omnes vt diuerſa alij ab alijs tẽpora definiũt, ita à vero maximè diſſidẽt & aberrant.*

Fieri autem non potuiſſe, vt leges duodecim tabularũ illis temporibus latæ ſint, vt earum cauſa fuerint ijs tem- [peſta-

pestatibus creati decemuiri, ex ipsa prophana historia possumus docere: quemadmodum & ex Sacra, per quã temporum quæ debeat esse collatio & constitutio, intelligimus. Cæterùm ex historia prophana, id primùm arguamus, vt Chronicorum veterum quantus fuerit error intelligatur. Quod vt doceatur, ponendum est primùm Hermodorum Ephesium, legum Romanarum fuisse nõ interpretem modò, sed propè autorem, quemadmodum id explicatur à Pomponio Iurisconsulto agente de origine iuris. Qua de re Plinius quoq; ita l. 34. cap. 5. inquit: Fuit & Hermodori Ephesij statua in comitio, legũ quas decẽviri scribebant, interpretis, publicè dicata. Vnde autẽ, aut quamobrẽ Epheso venerit, in Latium Hermodorus hic, ex historia Heracliti & Sosij philosophi, quæ est apud Diogenem Laertium libro nono, & Strabonem lib. 14. intelligi potest. quã Cicero quinta Tusculana sic explicauit. Est apud Heraclitum Physicum, de principe Ephesiorum Hermodoro: vniuersos ait Ephesios esse morte multãdos, quòd quum ciuitate expellerent Hermodorum, ita loquuti sunt: Nemo de nobis vnus excellat: sed si quis extiterit, alio loco & apud alios sit. Heracliti autem fuit Hermodorus familiaris & summè amicus. Itaque eadem ætate floruerunt, quoad Epheso fuit ob probitatem & vitæ innocentiam pulsus Hermodorus. Quare vt ad ea tempora quibus floruerunt veniamus, satis erit intellexisse, qua tempestate vixerit Heraclitus. Quem Pythagora posteriorem fuisse ex eo licet colligere, quòd ab ipso Heraclito citãtur Pythagoræ scripta, vt est

apud Diogenem Laertium in Pythagora, quem ita Physica inchoasse dicit Heraclitus: ἐναρχόμενος ὁ Πυθαγόρας τοῦ φυσικοῦ συγγράμματος λέγει ὧδε. οὐ μὰ τὸν ἀέρα τὸν ἀναπνέω, οὐ μὰ τὸ ὕδωρ τὸ πίνω, οὐ κατοίσω ψόγον περὶ τοῦ λόγου τοῦδε, id est, de natura ſcribere exorſus Pythagoras ita inquit: Non per aerem quē ſpiro, non per aquam quam bibo, non, inquam, admittam huius ſermonis vituperationem. *Quia igitur citantur Pythagoræ ſcripta ab ipſo Heraclito, certū eſt illum fuiſſe poſteriorem Pythagora, quem Peloponneſiaci belli tēpora attigiſſe, ex Lyſide eius familiari, & præceptore Epaminondæ in philoſophia, iam fuit demōſtratū. Vnde Heraclitum iure dicemus floruiſſe belli Pelopōneſiaci tempore, vt Democritum & Hippocratē. Fuiſſe aūt Athenis ipſum Hippocratem, tum quum Atheniēſes exercitum ducerent in Siciliam duce Alcibiade, quod dicitur factum anno belli Peloponneſiaci decimoſeptimo, teſtatum habemus ex oratione Theſſali filij Hippocratis, quā habuit Athenis pro deprecando aduerſus Coos bello. Quia igitur floruit belli Peloponneſiaci tempore Heraclitus, tum quoq; eius amicum ſummum et familiarem Hermodorum floruiſſe dicemus. Ex quo efficitur leges duodecim tabularum, et decemviros earum ferendarum cauſa creatos, malè collocari illis temporibus, quæ diu bellum Peloponneſiacum anteceſſerunt. Fortaſſe autem leges duodecim tabularum latæ fuerunt anno Vrbis 370. quod Tit. Liuius dicat libro 6. eo tempore, Tribunos Valer. Publicolam, L. Virginium. P. Cornelium, &c. leges duodecim tabularum, & quaſdam regum leges curaſſe redigendas in publicum.*

Quòd similiter de Roma capta dicitur à Senonibus Gallis, anno Vrbis 365. id est, Olympiade nonagésima-octaua, vt annotauit Dionysius Halicarnass. Ita hæsitãter et dubiè dicitur à Plutarcho in Camillo, sequuto priores, vt id poßit falsum existimari: præsertim quum ea addat, quæ poßint illam euertere sententiam. Nam & id in ea historia addit, εἴ τῳ πιστὸν ἀποσώζεσθαί τινα τῶν χρόνων ἀκρίβειαν, οἷς καὶ περὶ νεωτέρων ἄλλων ἀμφισβήτησιν ἡ σύγχυσις ἐκείνη παρέσχεν, id est, si cui verisimile potest esse, seruatam fuisse certam vllam eorum temporum memoriam, quando alia recẽtiora effecerit illa confusio, dubia. Iam quod addit de Heraclide Pontico & Aristotele, qui suis scriptis sint testati, obscuro quodam rumore perlatam ad eos captæ Romæ famam, docet istud sub Philippo Macedonum rege contigisse, cuius ætate autores isti vixerint.

Alia sunt infinita superiorum temporum errata, quæ vno verbo reuincuntur, si obseruatum fuerit à nobis Cyri Persarum regis tempus. Quod quia malè fuit definitũ cum imperio Persico, confirmati sunt in prophana historia errores infiniti. Ad quorum emendationem vt aliquid afferatur lucis, id quod ex Sacra scriptura compertum habemus tempus annotandum est, atq; id repetendum, quod anteà confirmatum fuit, nempe imperium Persicum annis tantùm stetisse cẽtum & triginta. Quod alij autores tradunt stetisse annis 230. vt annotauit Eusebius libro octauo demonstration. Euangelic. cap. 2. ita hic annis erratum est centum. Ex quo quanta sit orta confusio & in Græca, & in Latina historia, constare facilè potest. Ergo Cyro, suum aditi Persarum imperij de-

mus tempus, ex quo superiora animaduerti poterunt errata.

Cyrus maior Persarum rex adit imperiũ anno tertio Olympiadis octogesimæ, id est, anno ab Vrbe condita 295. sicuti certũ & constitutum id habemus ex deductis ordine temporibus, quemadmodum ea nobis Sacra oracula subijciunt & declarant. At nostri Chronographi, conferunt id tempus in Olympiadem 55. id est, annũ Vrbis conditæ 193. quum Seruius Tullus Romanorum rex quartus, annos octodecim regnasset. Bella igitur illa Marathonium & Salaminum, quibus tantopere iactant se Græci, item Themistoclis, Aristidis, Cimonis, Periclis & belli Peloponnesiaci tempora, vt sint suo loco deducẽda, iam apparere potest. Idq; vnum animaduersum, falsa esse maiore parte, quæ sũt historijs prodita, arguet. Quare septem Sapientum, & Crœsi tempora huc reuocãda sunt, vt collatis quantùm licebit temporum interuallis, alio ordine & loco singula sint reponenda. Quod quidem in vno hic faciemus, reliquorum temporum certiorem deductionem in aliud reseruantes tempus, & hunc laborem alijs communicantes. Nam nouo eoq; amplo ad hanc rem libro & volumine opus esset, si vel illustria solùm persequi vellemus, è quibus belli Peloponnesiaci tẽpus breuiter attingemus: de quo quia sunt explicatæ plurium sententiæ, nouam hic adijciamus, quæ fortasse cæteris erit certior. Est verò id indubitatum, non posse ea tempora huius belli, quæ commemorata sunt, constare. Itaque ponamus id, quod à Polybio graui autore commemoratur primo libro, Lacedæmonios imperium Græciæ summum, post confectum bellum Peloponnesiacum,

ſiacum, vix tenuiſſe annis duodecim. Præterea autem exutos eos imperio fuiſſe à Thebanis pugna illa Leuctri ca memorabili, quæ apud Leuctra agri Theſpienſis vicum geſta fuit. Quod quia factũ commemorat Pauſanias in Arcadicis, Olympiadis centeſimæ ſecundæ anno altero, certè finem belli Peloponneſiaci conferre nos oportebit, circa Olympiadis centeſimæ tempora: quòd dicat Xenophon Oligarchian à Lacedæmonijs inſtitutam, incidiſſe in Olympiadis celebratæ annum. Cuius rei idem Xenophon eſt teſtis, qui auxilia petijſſe ait Cyrum minorem à Lacedæmonijs, quos iuuiſſet in conficiendo bello Peloponneſiaco, poſt turbas triginta tyrannorum Athenis compoſitas. poſt quod tempus ille eſt profectus ad Cyrum Artaxerxis Mnemonis fratrem, conſulto ſuper ea re Socrate. Dum autem abeſt Xenophon, & Cyri minoris res non habent eum exitum, quem ſperarant Græci, Socrates cicutam bibit Athenis. Ex quibus temporum notationibus, poſſunt iam permulta emendari, atque id quod iam dictum fuit, intelligi, ſcilicet nihil in prophana hiſtoria certi eſſe in temporibus, ante Philippi Macedonis patris Alexandri Magni tempora. Nam ne id quidem quod ex Pauſania ſumpſimus, omninnò certum eſſe exiſtimamus, quòd alia ſint quæ nos ad eam ſententiam deducant, vt iſta ſerius contigiſſe exiſtimemus. Sed quod vero proximum viſum eſt, ſumpſimus: expectantes tempus quo certiora nos doceat Dominus, ſuoque Spiritu illuſtret ad meliora proferenda in lucem, per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum. Quod autem de gentiũ originibus & poſteris Noe emiſsis in varias mundi oras & colonias, pol-

liciti sumus, exequẽdum est: vt hac parte Sacra illustretur historia, quam obscurarunt multorum scripta, nulla ratione, aut Scripturæ sacræ autoritate confirmata.

De gentium originibus, hoc est, quas terras occuparint posteri Noe, memorati capite decimo Genesis. In quo variè est erratum à Iosepho, Eusebio, Hieronymo, & cæteris eorum autoritatem sequutis. Cap. VI.

IOsephi rerum Hebraicarum scriptoris; permulta sunt in historia quam ex Sacris libris repetit, peccata & errata non leuia, dum aut de suo pleraq; adiungit à Scriptura dissentientia, aut minus idoneos autores sequitur in earum rerum explicatione, quas studuit literarum monumentis commendare, ad faciliorem Historiæ sacræ cõprehensionem. Ac in prioribus quidem aliquot eius errores iam attigimus, nunc autem plures in eodem argumento proponemus. Quos non insectandi illius gratia, cuius studium & diligentiam probamus, persequi constituimus: sed ne posthac cuiusquam autoritate moti, rebus incognitis & incertis assentiamur temerè: præsertim vbi de rebus agetur à nostra memoria remotis, quæ neque Scripturæ sacræ autoritate nitentur, neq; veteris autoris probati confirmabuntur certo testimonio. Quod autem constituimus docere in præsentia, pertinet ad liberorum

Noe

Noe sedes & regiones ab ijs insessas & occupatas, quarum notitia plurimùm confert ad Sacræ scripturæ intelligentiam, quæ multis locis futura est obscura, si regiones à posteris Noe occupatæ ignorentur. Historiæ enim non minima pars est, Geographiæ notitia, ad quam ista pertinent.

Genesis capite 10. de posteris Noe & familijs, atque gentibus, per orbem ab ijs diuina prouidentia constitutis & proseminatis, ita habetur:

Hę sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, Iaphet. Natiq; sunt ijs filij post diluuium. *Hæc primùm Scriptura sacra proponit, vt intelligamus Deum post diluuium eadem ratione voluisse complere orbem habitatoribus, qua & ante diluuium constituerat. Et quò sanctior sit inter homines societas, eos vult intelligi eodem sanguine prognatos, vnamq; totum mundum esse familiam, quæ propter multitudinem diuersas regiones, tanquam domos, sortita fuerit. Tres autem filios sustulit Noe, à quibus proseminatæ sunt omnium gentium familiæ.*

Existimauit autem Aurel. August. De ciuit. Dei lib. 16. cap. 3. Iaphet esse minimum natu filiorum Noe, Chã medium, Sem verò natu maximum. In qua sententia nõnulli quoq; alij sunt, quorum errorem redarguimus anteà, docuimusq; ex ipsa Scriptura, Iaphet esse filiorum Noe natu maximum, Sem verò secundo loco natum, Cham autem postremò natum esse ipsi Noe. Quòd autem nominatur Sem primus in liberis Noe, id fit electionis & benedictionis prærogatiua. Ab his verò tribus Noe liberis, tres orbis partes post diluuium et confusio-

nem linguarum fuerunt occupatæ: idq; qua ratione factum fuerit, Scriptura demonstrat ex ipsarum gentium appellationibus, de quibus mox agemus.

Iosephus quidem Ant. Iud. lib. 1. ita hanc trium orbis terræ partium diuisionē explicat: Iapheto filio Noe filij fuerūt septem. Horum sedes à Tauro & Amano montibus incipientes, pertinebant in Asia ad amnem vsque Tanaim: in Europa vsque Gades. Chamis verò filij Syriam & regionem Amano Libanoque montibus hærentem obtinuerunt, quidquid eius ad mare vergit occupādo, & Oceanum vsq; ditionis terminos proferēdo. Semæ verò tertio Noe filio fuerunt filij quinq;, qui Asiam vsque ad Indicum Oceanum incoluerunt, ab Euphrate propagandæ ditionis initio facto.

Quid verò de hac trium orbis terræ partium diuisione senserint nostri Theologi, libet etiam proponere ex Epiphanio. In Ancorato. Et diuidit quidem Noe, velut hęres mundi à Deo constitutus, tribus filijs suis vniuersum mundum, sub sortem missum, & vnamquamque partem iuxta sortem singulis distribuit. Et ipsi quidem Sem primogenito cecidit sors à Perside & Bactris vsq; ad Indiam, vsq; ad regionem Rhinocorurorum. Sita est autem hęc Rhinocorurorū regio, in medio inter Ægyptum & Palæstinam. Ipsi verò Cham obtigit terra à Rhinocorurorum regione vsq; ad Gadira, in Meridem. Tertio autem filio Iaphet obtigerūt ea,

quæ

quę ſpectant ad Aquilonem, à Media vſq; ad Rhinocoruros. *Vult autem Epiphanius ſortes partitionis ipſius orbis terrarum fuiſſe iactas ab ipſo Noe apud Rhinocorura, aut, quemadmodum nominat Plinius, Rhinocolura: quæ vrbs Iudæam ſiue Palæſtinam definit & ſeparat ab Arabia vergente in Ægyptum, quæ dicitur in Scriptura ſacra Chus, ſicuti dictum eſt anteà, & hic ſuo loco & ordine dicetur iterum.*

Quàm bene autem dixerint Ioſephus & Epiphanius, cognitis regionibus, in quas ſingulos deduxit Deus, facile erit intelligere. Iam verò quas tenuerint orbis partes ſinguli liberorum Noe, ſpectemus ex Scriptura, orſi à Iaphet, quemadmodum ab illo, vtpote filiorum Noe natu maximo, Scriptura ſacra orditur. Maximam autem totius orbis partẽ obtinuit Iaphet, occupatis maris Mediterranei inſulis, et tota Europa, cũ maiore Aſiæ parte. Quod quidem futurũ intelligẽs Noe, bene precatur ipſi Iaphet Ge. 9. 27. his verbis: יפת אלהים ליפת וישכן באהלי שם. Quod Septuaginta *ſic conuerterũt:* πλατύναι ὁ Θεὸς τῷ Ἰαφὲθ, καὶ κατοικησάτω ἐν οἴκοις τοῦ Σήμ. id eſt, dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem. *q. d. Ampliſsimas regiones occupet Iaphetus, & inſeratur in familiam ipſius Sem. Quæ dicta cõditionem Iapetionidarum, vt ſic dicamus, declarãt. Nam in partem bonorum & tabernaculorum ipſius Sem receptus fuit Iaphet, factus Eccleſiæ & domus Dei particeps. Eſt enim Eccleſia collecta ex Iudæis & Gentibus, quarum maximè illuſtris parens fuit Iaphet, qui colonos non in Europam modò & Aſiam, ſed etiam in Africam tranſmiſit. Nam Græci, littora Africæ frequentarunt, et*

*vrbibus egregijs compleuerunt, vt ex prophana disci-
mus historia. In nostris autem Indicibus Biblicis istud an-
notatum est in hunc modum de Iapeto: Hic Africam te-
nuit secundum Berosum. quod tanquam falsum expun-
gẽdum est. Nam posteritas ipsius Cham tenuit Africam,
vt pòst docebitur.*

*Est verò Iaphet notus Græcis, atq; etiam Latinis scri
ptoribus, quem Iapetum nominant: sed illum Cœlo &
Terra natum volunt.*

*Iapeti verò genus ita Scriptura nobis proponit: Filij
Iaphet, Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, & Tu-
bal, & Mosoch, & Thiras.*

*Primus quidem Gomer recensetur in hac Iapeti pro-
sapia, à quo nostri sequuti Iosephum, volunt Gomeritas
ortos esse, qui postà dicti sunt à Græcis Galatæ. Atqui
Græcis, Galatæ sunt Galli, à quibus profecti ij, qui Del-
phos spoliarunt, & postà in Asia proximè Troadem
consederunt, dicti sunt Gallogræci & Galatæ Asiani.
qui Phrygiæ partem maiorem occuparunt, vt docent
Geographi. Et quia vulgò Berosi fragmentis fides his
in rebus stultè habetur, id non est prætereundum, quò
scripti illius vanitas appareat: in quo docetur Gomerus
Italos de suo nomine dixisse Gomeritas, deductis in Ita-
liam colonijs. Quàm verò sibi malè consentiant ista, ni-
hil est necesse persequi: tantùm videndum nobis est ex
Sacris scriptis, quid de Gomero, & Gomeritis certò sta-
tuere possimus. Reperiemus autem apud Ezechielem,
eius nominis gentem Israelitis notam seculo Prophetæ
fuisse. nam Ezech. 38: 6. Ita dicitur:* Gomer, & vni-
uersa agmina eius, domus Togorma, latera

Aqui-

Aquilonis, & totũ robur eius, populiq; multi tecum. Eo *autem loco agitur de* Gog, *hoste populi* Dei *infestißimo, cuius recẽsentur è varijs nationibus copiæ: in quibus sunt* Gomer *&* Togorma, *id est*, Gomeritarum *&* Togormæorum *auxilia, vt sic ista Latinè dicamus. Quas autem regiones tenuerint* Gomeritæ *&* Togormæi *aperit Scriptura, quum per appositionem nominat illas gentes, latera Aquilonis. Vnde possumus illud iam certò affirmare,* Gomeritas *populos esse Asiaticos, qui respectu Iudææ spectent ad Aquilonem. Agitur enim à Propheta eo loco de Iudæa, in quam populum suum reduxerat è Babylonia Deus: item de populis quos Syriæ & Asiæ reges duxerunt contra Iudæos reduces, vt eos opprimerent, &, si possent, funditus delerent. De* Togorma *quidẽ pòst suo ordine et loco dicetur.* Gomeritas *autẽ ex his Prophetæ dictis, patet Asiaticos esse populos, ad Aquilonem sitos, respectu Iudææ: quos si referamus in Indicem Biblicum, autoritatẽ Scripturæ sacræ secuti, haudquaquam aberrauerimus. In nostris igitur Indicibus ista tollenda esse videmus, quæ ita scribuntur & traduntur:* Gomer *filius* Iaphet, *à quo* Gomeritæ, *qui nũc* Galatæ *dicuntur, secũdum* Hebræos *dedit nomen* Africæ.

Magog secundus in liberis Iaphet *ponitur, à quo* Magogas, *quos* Græci Scythas *nominant, ortos ait* Iosephus. *Idem nostri* Indices Biblici *docent perperam, sicuti is à quo sunt illa petita non satis quod docuit intellexit. Nostri porrò* Theologi *mirificè torserunt se in explicatione* Gog *&* Magog, *& multa præter historiæ fidem prodiderunt de* Mosoch, Tubal *& cæteris in hi-*

storia Gog comprehensis apud Ezechielem, dum volũt explicare & enodare historiam seu prædictionem, quæ est Apoca.20.8.in hanc sententiam: Et exibit(Satanas) & seducet gentes quæ sunt super quatuor terræ angulos, Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. *Sed vt intelligatur & perspicua fiant ista omnia, spectanda est primùm Ezechielis Prophetæ sententia, et quid suos per Prophetam docere voluerit Spiritus Dei in hac historia. id verò tale est: Pollicetur Deus Ezech.c.37. se dißidiũ regnorũ Iuda & Israel compositurũ, atq; inimicitias populi sui ad concordiam reuocaturum, seq; daturum Israelitis iam concordibus, regem Dauidem, sub quo pace fruãtur, & Deo seruiant in sanctitate et iustitia. idq; in ea terra quam dederat Iacob seruo suo Deus, quam etiam maiores eorum tenuerant. Hæc sunt Dei promissa magnifica, facta captiuis Israelitis agentibus partim apud Babylonios & Chaldæos, partim apud Medos & Aßyrios. Non enim tribui Iuda & Ben-iamin tantummodo proponuntur ista, propterea quòd nominatim dicuntur Israelitæ reuocandi ex nationibus & gentibus, in quas dispersi fuerãt. Hæc autem primùm pertinent ad reductionem populi Dei, è captiuitate Babylonica, in quam fuerant potißimùm traducti Iudæi & Ben-iamitæ, cum quibus multi quoq; ex alijs Israeliticis tribubus fuerant abducti. Multi enim propter Ieroboami idololatriam, exosi sacra ab homine instituta, relictis suis domicilijs ex Israelitico regno, concesserant in Iudæam. vnde & 2. Paral. cap.11. 16, ita habetur:* Sed & de cũctis tabernaculis Israel,

rael, quicunq; dederant cor suum, vt quærerent Dominũ Deum Israel, venerunt in Ierusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrũ suorũ. *Præterea verò reges Iuda, plures vrbes Israeliticas, regno Iuda adiunxerãt, vt ex Historia sacra licet colligere. quo factum fuit, vt cũ Iudæis & Ben-iamitis, multi quoq; ex alijs tribubus Israeliticis abducti fuerint vnà in captiuitatẽ Babylonicam. qua de causa Esdras vocat reduces ex Babylonica transmigratione in Iudæã, Israelitas. Capite enim 2. 70, ita habet:* Habitauerũt ergo Sacerdotes & Leuitæ, & de populo, & cantores, & ianitores, & Natinęi, in vrbibus suis, vniuersusq; Israel in ciuitatibus suis. *Ita igitur redux à Chaldæa populus Dei nõ solùm nomine Iuda censetur, sed Israel quoq; dicitur qui collocãdus ex Dei promißione sit in maiorum suorum sedibus. cuius pacẽ quia Gog sit turbaturus, Deus iubet Prophetam suum Ezechielem, denunciare ipsi Gog, atque illis omnibus qui suppetias illi tulerint, interitum. Sic enim Ezechiel 38. 12, habetur:* Vt diripias spolia, & inuadas prædam, & inferas manum tuam super eos qui deserti fuerant, & posteà restituti. Et super populum, qui est congregatus ex Gentibus, qui posidere cœpit, & esse habitator vmbilici terrę. *Et prius dictum fuerat versu* 8. Post dies multos visitaberis, & in nouissimis annorum venies ad terram, quæ euersa est à gladio, & congregata est de populis multis ad montes Israel, qui fuerunt deserti iugiter (diu) hęc de

populis educta est, & habitabunt in ea confidenter vniuersi. *Hoc ergo sit positum, quo tota res sit planior, Deum polliceri reditum populo suo in terram auitam, in qua vt sciat qua cōditione sit futurus, neque quicquam illi sine suo nomine euenturum, admonet futurum vt eius pacem conturbet* Gog *cum suis asseclis, qui posteà suarum rapinarum, & damnorum quæ dederit populo* Dei, *reduci ex captiuitate, pœnas daturus sit grauißimas. Hæc summa est capitum* Ezechielis 37. 38. 39. *Iam igitur hoc intellecto, cætera futura sunt in hac historia procliuia. Nam quos hostes sit expertus populus* Dei, *patriæ redditus, constat ex historijs, atq; etiam ex* Danielis *vaticinijs & prædictionibus. in quibus reges Austri, &* Aquilonis *nominatim designantur, qui sint reducem populum* Dei *afflicturi.* Reges *autem Austri vocantur* Ptolomæi *reges* Ægypti, *quos à successoribus* Alexandri *primos experta est* Iudæa *infestos.* Aquilonis *verò reges sunt* Syriæ & Asiæ *reges, successores* Seleuci Nicatoris, *è quibus pios supra modum afflixit* Antiochus Epiphanes. *Quos quidem reges nomine* Gog *comprehendit & designat* Ezechiel. Gog *autem principem præcipuum & regnatorem* Magog, & Mosoch, & Tubal *dicit* Propheta. *qui populi sunt affusi* Iudææ. *Et quod ad* Magog *attinet, intelligendum est eum esse populum* Cœlesyriæ, *quemadmodum id potest deprehendi ex* Plinio, *qui lib.5.cap.23.ita inquit:* Cœle habet Apamiam, Marsya amne diuisam à Nazerinorum tetrarchia. Bambycem, quæ alio nomine Hierapolis vocatur, Syris verò Magog. *Ex his* Magog *populum esse* Cœlesyriæ *animad-*

maduertimus, quem gentium illarum præcipuum fuisse, nomen ipsum Græcum Hierapolis *arguit, quod significat sacram, & vt Latini dicunt, Augustam Syrorum vrbem. Cuius vrbis seu potius regionis principem vocat* Ezechiel *Gogum. Nam ita inquit, cap.* 38.1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, pone faciem tuam cõtra Gog, & terram Magog, principẽ capitis Mosoch & Tubal, *q.d.* O Propheta *nate homine, conuerte te ad Gog qui habitat & incolit regionem* Magog, *& princeps est capitis, id est, præcipuus & summus regnator,* Mosoch *&* Tubal. *In* Hebraico *enim contextu est* המגוג ham magog: *quod denotat* Magog *esse regionem. nam illud he, quod est he emphaticum, quod dicunt* Hebræi *hehaiedia, proprijs virorum nominibus nunquam adijcitur, quum proprijs locorum adiungatur frequenter. Ita* Gog, *rex est populi* Magog, *item* Mosoch *&* Tubal. *quod non solùm docet hic locus, sed etiam alter qui est cap. 29. eiusdem* Prophetæ *in hæc verba:* Tu autem fili hominis, vaticinare aduersus Gog, & dices, hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego super te Gog, principẽ capitis Mosoch & Tubal. *Reges igitur* Syriæ *&* Asiæ, *qui successerunt* Seleuco Nicatori, *post* Alexandri Magni *obitum, intelliguntur sub nomine* Gog, *qui negotij plurimum fecerunt populo* Dei. *Qui quidem populis* Magogis, Mosochis *&* Tubaleis *imperarunt: è quibus notus est iam* Magogus, *quem* Cœlesyriæ *populum esse intelligimus, qui fuit hostis & aduersarius* Israelitis *reducibus è captiuitate* Babylonica. *Quemadmodum autẽ populus* Iuda, *fuit* Dei

populus, et ipsam Ecclesiã Dei *retulit, ita populi Israelitici hostes retulerunt aduersarios piorum, quorũ nonnulli aperta vi bellũ* Ecclesiæ *fecerunt: alij cuniculis, & clanculum eam labefactarunt. qui quidem malè multabuntur à* Domino, *suo tempore & loco.* Atq; id quidem *est quod in* Apocalypsi *notatur per* Gog *&* Magog: *quos exsuscitauit* Satanas *aduersus ciuitatẽ sanctam.* Et Gog *reges ac principes populo* Dei *infestos denotat:* Magog *autem illos significat, qui sunt illis adiutores ad iniuriã.* Nõ *sunt igitur* Magogi, Scythæ, *sed populi* Cœlesyriæ, *perpetui et capitales* Dei *populi hostes. quod in nostris* Indicibus Biblicis *est annotandum.* Mosoch *verò &* Tubal *suo dicẽtur ordine: quos iam animaduertimus* Syriæ *propinquos & vicinos esse populos.*

Madai *tertius* Iapeti *filius nomen dedit* Medis *populis à se prognatis: quorum fuit, quemadmodum &* Assyriorum, *amplum in* Asia *maiore imperiũ.* Ii *enim euerterunt aureum imperium* Babyloniorum, *non autẽ* Persæ, *qui tum temporis aut fœderati, aut subditi* Medorum *fuerunt.* Quod *quidẽ ex* Ieremiæ Prophetæ *scriptis potest intelligi, qui* Medos *ad euertendam* Babylonem, *aduocatis auxilijs parentiũ sibi populorũ hortatur.* Itaq; *& capite* 51. 11. *inquit:* Acuite sagittas, & implete pharetras, suscitauit Dominus spiritum regum Medorum, & contra Babylonem mens eius est, vt perdat eam. Danielis *quoq; cap.* 5. 18. *dicitur:* Phares, diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. Persæ *autem* Medis *in imperio successerunt.* Mortuo *enim* Dario Medo, *qui potentiam* Babylonicam *ad se, cæso* Balsasare, *& capta*

Baby-

Babylone, traduxerat, succeßit Cyrus Persa, sicuti Danielis monstrat historia. Quæ vanitatis & mēdacij prophanas redarguit historias: quæ tradunt cæsum à Cyro Balsasarem, & occupatum ab eodem cōtinuò fuisse imperium Babylonicum. Quàm sint autē inepti, qui Medorum gentem à Medo filio Medeæ, dictam produnt, nihil attinet hoc loco commemorare.

Iauan quartus filius Iaphet nomen dedit Ionibus, qui postea cum cæteris eiusdem gentis concesserunt in nomen Græcorum. Itaq; Latinus interpres Ezech. 27. 19. pro Iauan Hebraico dixit Græciam. Quo capite, Septuaginta, vers. 13. pro eadem voce dixerunt ἑλλὰς, Græcia. Similiter Esaiæ 66. 19. Septuaginta pro Iauan, dixerunt ἑλλάδα, Græciam: Et Ioelis cap. 3. vers. 6. Ieuanim, quod est plurale à Iauan, conuerterunt ἕλληνες: Latini reddiderunt pari ratione Græcos. Aliàs tamen Septuaginta relinquunt vocē Hebraicam, sed variè detortā, in Ἰωυὰν, Ἰωῦναν, Ἰωυάν. Ab his Ionibus, Athenienses originem trahunt, etsi volūt se esse antochthonas & aborigines: qui posteà dicti sunt ab Ione Xuthi filio, Iones, atq; Ionibus in Asia minore nomen dederint. Sed sic res habet, veterem patriam Ioniam quum Athenienses multitudine abundarēt, mißis colonis in Asiam recrearunt, & colonijs auxerunt, diminutam & attritam bellis. quod ex historijs perspicuū est. Sed qui dicūt Athenienses Ionum nomen primùm tulisse, primósque esse Ionici generis, ij volunt Athenienses fuisse dictos Ionas ab Ione Xuthi filio. Xuthus autē fuit Deucalionis filius. Itaq; non nisi post Deucalionem fuerunt ipsi Athenienses dicti Iones. At multis antę Deucalionem seculis exti-

tit Iauan Aſiaticorum Ionum parens, et cæterorum Græcorum ab illis deductorum. Pauſanias autem in Achaicis ait Xuthum à fratribus Theſſalia eiectum, quòd patris Deucalionis totam pecuniam occupaſſet, qui Athenis fugit, vbi receptus ab Erechteo, cuius filiam vxorem habuit, ex qua Ionem & Achæum filios ſuſtulit.

Atticam autem fuiſſe dictam Ioniam, docet Plutarchus in Theſeo, qui cum agrum Megaricum adiunxiſſet Attico, celebrem pilam erexit in Iſthmo in qua Orientem verſus hoc inſcripſit: Hęc non ſunt Pelopónesus, aſt Ionia. & Occidentem verſus, Sunt Peloponneſus iſta, nõ Ionia. Sic Athenienſes ab Ionibus originem traxerunt, quorum nomine olim cenſebantur. Ion autem Xuthi filius eſt ætate minor quàm vt veteribus Ionibus nomen dare potuerit. Sed Græci nulla habita temporum ratione multa mentiuntur. Iones autem ex Aſia in Græciam veniſſe Hecatæus apud Strabonem lib. 9. docet. Sed Strabo lib. 8. vult Atticam dictam Ioniam ab Ione Xuthi filio: quemadmodum & Pauſanias, ſequutus eos qui Athenienſes hominum primos fuiſſe prædicarunt. Tubal recenſetur in filijs Iapeti, à quo Tubalæos, qui ſunt Iberi vel Hiſpani, putat dictos Ioſephus ſine vlla ratione. Alij eodem errore volunt Tubalæos eſſe Italos, qui Heſperiam magnam, dictam poſtea Italiam, tenuerint. Septuaginta interpretes pro Tubal dixerunt Θοβὲλ: & Chaldæus paraphraſtes idem nomen relinquit in ſua verſione, quo ſignificarunt Scripturæ ſacræ interpretes ſe ignorare quinam eſſent Tubalæi. Cæterùm, videmus in ipſa Scriptura ferè coniungi Moſoch & Tubal, maximè apud Ezechielem. vt

cap.

vt cap. 38, & cap. 39. vt citauimus in Magog. Ex quo licet colligere fuisse Tubalæos & Mosochæos vicinos populos, qui ad imperium Gog pertinerent, id est, parerẽt regibus Asiaticis & Syriacis. Et Mosoch quidem fuisse vicinum Cederenis Arabibus, mox discemus: ex quo non malè colligemus Tubal fuisse Arabiæ & Syriæ vicinum populum. Huc facit quòd Ezechiel cap. 32. in funebri Pharaoni planctu, addat illi miseros & infœlices alios principes, qui afflixerant populum Dei, in quibus nominantur Assur, Ælam, Mosoch, Tubal, Edom, Sidonij, & alij vicini Aquilonis incolæ, qui populis terræ Cananææ fuerunt molesti. Vnde illos ad Asiam maiorẽ pertinuisse videmus. Adhæc Ezechielis cap. 17. 13. Ionas, Tubal, & Mosoch, videmus ad mercatum Tyriorum solitos conuenire, & vasa ærea, cò comportasse. Quòd si mercaturæ illius temporis nota esset nobis ratio, & sciremus quæ ex quibus regionibus merces solitæ essent cõportari Tyrum, certius aliquid de his populis statuere possemus. Hoc interim nihilominus tenendum est, Tubal Asiaticum esse populum, nõ autem Europæum, Hispanum vel Italum, vt hactenus malè creditum fuit.

Mosoch pro Mesech Hebræo, ex versione Septuaginta interpretum diximus, quia illi reddiderunt Μοσόχ. Is verò est sextus in liberis Iapeti: à quo dicta est gens ab illo prognata & deducta, quæ fuit ditionis Gog, vt ex prioribus potuit intelligi. Præter ea verò quæ dicta sunt licet intelligere ex Psalm. 120. Mesech siue Mosoch Syriæ & Arabiæ vicinum fuisse populum. Eo enim loco, vt Hebræa habent, sic de miseria sui exilij queritur Dauid: Heu me miserum quia peregrè ago in Mesech, ha-

bito in tabernaculis Cedar. Quem locum ita reddidit *Chaldæus paraphrastes,* O me miserum, quia peregrinatus sum cū Asianis, habitaui cum tabernaculis Arabum. *Septuaginta autem malè locum reddiderunt, quos sequuti Latini ita versum hunc conuerterunt:* Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar. *Deplorat autem suam, profugus, conditionem David, quòd inter gentes barbaras Mesech & Cedar, cogatur versari. Vnde apparet ipsum Mesech siue Mosoch, vicinas sedes habuisse Cedræis Arabibus. Qui à Cedar Ismaelis filio nomen suum sortiti, vt est Genes. 25. 13. Sunt autē Cedræi, vicini Nabatæis, vt est apud Plin. lib. 5. cap. 11. Bona igitur ratione dicimus circunfusas Cananææ fuisse istas gentes, Mosoch, Tubal, Cedar, Magog, quū paruerint Syriæ regibus, id est, ipsi Gog, sicuti prius explicatum fuit. Quare vt falluntur ij, qui quadā vocum affinitate moti, Mesech referunt ad Moschos aut Moschouitas, quia Septuaginta interpretes dixerunt Mosoch, nihil attinet hoc loco pluribus commemorare. Satis enim illos arguit Historiæ sacræ ratio, & nominū nulla parte sibi respondentium pronunciatio. In nostris Biblicis Indicibus dicuntur Cappadoces trahere originem à Mosoch. Sed qua ratione vt non docetur, sic à nobis istud vt incertum relinquetur, etsi Mazaca vrbem citat Iosephus, testem veteris nominis Mosoch, quo vult dictos Cappadocas.*

Thiras Iapeti filiorum septimus nominatur: qui quòd terras à Cananæa remotas et longioribus interuallis dissitas obtinuit, nō memoratur postea à Scriptura, in qua

ferè vicini & effusi Cananææ populi solent nominari: aut ij qui aduersariorū populi Dei castra sequuti, molestias illi exhibuerunt. Vtrum igitur Thiras genuerit Thraces, sicuti censet Iosephus, affirmare nō ausim: neq; enim de reb. incertis temerè qcquā pronūciandū iudico.

Ex filijs Iaphet, duorum tantummodo recensetur genus, nempe Gomeri & Iauani, quòd reliquorum posteri contenti parentis sui nomine, nullas præterea sibi adoptarint gentiles appellationes. aut certè Scriptura sacra posteros illorū vno atq; eodem voluit comprehensos nomine: quòd apud illos nihil fuerit illustrius capite ipso familiæ, & primo autore originis. Prioris autem Gomeri genus, sic exponitur: Porrò filij Gomer, Aschenez Riphath, & Togorma.

Aschenez dicitur Septuaginta interpretibus ἀσχανάζ, qui est Hebraice Asknaz אשכנז primus filius Gomer, quem Aschanazæorum parentem dicit Iosephus, quos ait à Græcis appellari Rheginos. à Iosepho dissentit Eusebius, qui Aschanazæos, ait esse gētes Gotthicas. Sed vterq; cōiectura sua fallaci vsus est: quemadmodum huius ætatis Iudæi, leuibus vsi rationibus, Germanos, quos Alemanos hodie dicimus, appellāt Ascenaz, quos, vt ait Elias in Tisbite, Talmud Ierosolymitanum cōuertit Gomer & Magog, per Africam & Germaniam. Sed in errore cum cæteris pari versatur Talmud, quod quidem ex ipsa Scriptura intelligitur. Nam Ieremiæ cap. 51. 27. memoratur Aschenez cum alijs populis ad Medorū regna pertinentibus, in hanc sententiam: Leuate signum in terra, clangite tuba in Gentibus, significate super eas Gētes, annunciate cōtra

illam regibus Ararat, Menni, Aſchenez. Quo capite de excidio Babylonis agitur, et gentibus per quas Deus euerſurus erat, & deleturus Babylonios. Eodem autem capite docentur Medi, cum ſocijs & parentibus ſibi gentibus ac populis, deleturi Chaldæorum imperium, & Babylonem euerſuri. In ijs autem populis ſunt Aſchanazæi, qui ſocia arma cum Medis tulerunt aduerſus Babylonem. Cæterùm Chaldæus Paraphraſtes hos tres populos Ararat, Menni & Aſchenez, nominat Cardu, Harmeni, & Hadeb. Et Ararat quidem Geneſ. 8. dixit Cardu, quemadmodum 3. Reg. 27. & hoc loco pro quo Armeniam noſtri dixerunt. In qua arcam conſtitiſſe in montibus Carduennis, aiunt nonnulli, alij Gordiæum montem nominant. Harmeni autem ad nomen Armeniæ accedit. Sed quid revera ſit, dicere non poſſumus; quẽadmodum neque definire quid ſit Hadeb. Certum nihilominus eſt Aſchenezæos populos eſſe in Medorum regnis, qui propterea nihil ad Rheginos, aut Gotthos, aut Germanos pertineant.

Riphath ſecundus filius Gomer, memoratur tantummodo in hac hiſtoria Geneſ. 10. & 1. Paralip. cap. 1. qui fortè longius à fratribus ſeceſſit, et oras occupauit quaſdam mundi extremas. Itaque veluti ſub alio cœlo agens præteritur in alijs Scripturæ ſacræ hiſtorijs: eum tamen nonnulli aiunt nomẽ dediſſe Riphæis, qui poſtrà Paphlagones ſunt dicti. quod vtrum ſic habeat necne, diſquirendum alijs relinquo.

Togorma tertius filius Gomer, aliquot Scripturæ ſacræ locis memoratur, quẽ aiũt Tigranæis, q poſtrà Phryges ſint dicti, originẽ dediſſe. Alij volũt Togormæos eſſe

Turcas.

Turcas: vnde Iudæi Turcarum Imperatorem nominant Togar. *Alijs Togorma dicitur Germania, quòd Eze-chielis 27.14. Chaldæus interpres pro hac voce dixerit,* Medinath Garmamaja: *id est, regionem Germaniam. Talmud Ierosolymitanum pro Togorma, dixit in Genesi Barbariam. Sic in re non explorata & incerta sibi quisque permisit, & licere putauit quod visum esset proferre. Nos autem ex Scripturæ sacræ autoritate hoc statuemus;* Togormæos *fuisse populos Asiaticos, qui Syriæ & Asiæ regibus paruerint. Nam Ezechielis cap.38, 6.domus* Togorma *recensetur inter eos populos, quos secum trahit ad bellum Israelitis inferẽdum Gogus, Imperator Syriacarum gentium. Præterea capite 27,14. Ezechielis ita habetur:* De domo Togorma equos, equites, & mulos adduxerũt ad forum tuum. *Quo loco Chaldæus reddidit regionem Garmamaja: quam non esse Germaniam ex eo constare potest, quòd nihil potuit esse commercij Germanis cum Tyrijs, maximo terræ spatio inter se dissitis. Si quid autem valere possunt hic coniecturæ, quia mancipijs locuples eget æris Cappadocum rex, dicemus Togormæos posse esse Cappadocas, qui mancipia bello valida & apta producerent in Tyriorum mercatu. Huc accedit quòd multos plurimos Togormæi adducerent ad mercatum. Habet autem Cappadocia mulas quæ pariant; vt Theophrastus tradit: quòd ibi est animal sui generis, sicuti annotat Plinius lib.8.cap.44. Hæc autem, probabilitate quadam ducti, dicimus sine vlla affirmatione rei tam incertæ & obscuræ.*

Post filios Gomer, Scriptura recenset filios Iauan,

hoc modo: Filij auté Iauan, Elisa & Tarsis, Cethim & Dodanim. *Hi verò sunt nobis explicandi.*

Elisa primus in filijs Iauan *ponitur, à quo volunt eos Græcos qui sunt* Aeoles *dicti, traxisse originem. vnà etiam addunt, incolas maris* Ionij *eodem parēte esse prognatos. Apud* Ezech. *autem cap.* 27, 7. *Chaldæus paraphrastes pro* Elisa *dicit* Italiam. *qui locus ita* Latinè *habet:* Hyacinthus & purpura, de insulis Elisa, facta sunt operimentum tuum. *Ex historijs autem prophanis scimus purpurā Tyriam fuisse in summo pretio, sed posterioribus temporibus id factum fuit.* Neq; *hoc* Ezechielis *loco agitur de ea purpura, quæ in* Phœniciæ *litore legeretur: quæ tum illis locis ignota videtur fuisse purpura.* Prioribus *autem seculis, purpura petebatur à mari* Aegeo *ad* Cycladas *insulas: postea &* Getuliæ *litoribus fuit reperta, et infinitis alijs locis.* Scriptura *autem sacra quum de insulis agit, transmarinas ferè regiones intelligit, in quibus maris* Mediterranei *comprehendit insulas, quas fortè posteri* Elisa *occuparunt.* Vnde *etiam insulas fortunatas* Græci *fortasse dixerunt campos* Eliseos *ab* Elisa, *si cui hoc potest videri probabile.* Campos *enim* Eliseos *intelligi voluerunt fortunatorum nemorum insulas, & beatorum domicilia, remota à nostro orbe.* Et *posteri* Elisa *potuerunt emenso nauibus mari, ad illas oras fuisse profecti quū ex omni antiquitate* Gades *insulam positam extra fretum* Hispanicum & Africum, *cultam fuisse intelligamus.* Inde *longius progreßi, occuparunt etiā insulas, quib. reliquerint sui parentis nomē. quorū longā à primis sedibus profectionem extulerūt in maius posteri, & vera falsis admi-*

scentes

ſcentes,longinquas nauigationes ad nouũ orbem & alte rãm retulerunt vitam. Sed hæc vt volet quiſq; accipiat.

Tarſis ſecundus filiorum Iauán,nomen dedit Tarſenſibus,hoc eſt,Cilicibus, qui Tarſum Ciliciæ præcipuam vrbem colunt. Inde Pſal.72,10. Reges Tarſis & inſulæ munera offerent. *Chaldæus reddidit* מלכיא דטרשיש, Malkaia detarſus, *id eſt, reges Tarſenſium, id eſt, Cilicum & finitimarum nationũ,quæ oram maritimam Syriæ vicinam colunt. Tarſis ergo Ciliciam ſignificat,ad quem Ionas Propheta properabat,delegatum ſibi à Deo munus defugiens. Sic enim Ionæ 1,3. dicitur:* Et ſurrexit Ionas vt fugeret in Tarſis à facie Domini. Et deſcendit in Ioppem, & inuenit nauem euntem in Tarſis. *id eſt, quæ petebat Ciliciam. Eo autem loco Chaldæus conuertit,* Tarſis mare: *quemadmodum & alijs locis compluribus dixit ſimpliciter* mare; *pro* Tarſis *Hebraico vocabulo. pro quo interdum Septuaginta interpretes dixerũt Carthaginem. Nam Eſaiæ 23,1. vbi Hebræi habent,* Vlulate naues Tarſis, הילילו אניות תרשיש, *Septuaginta dixerunt,* ὀλολύξατε πλοῖα Καρχηδόνος, vlulate nauigia Carthaginis. *Similiter illud Ezechielis cap.38,13.* Seba, & Dedan, & negotiatores Tarſis, *dixerunt Septuaginta,* Σαβὰ καὶ Δαιδὰν καὶ ἔμποροι Καρχηδόνιοι, Seba & Dedan, & mercatores Carthaginenſes. *Attamen Ieremiæ cap.10,9. pro* Tarſis *Chaldæus dixit* Africam. *Item 3.Regum 10,22. vbi Latinè ſic habetur:* Quia claſsis regis (Salomonis) per mare cum claſſe Hiran ſemel per tres annos ibat in Tarſis, deferens

inde aurum & argentum, & dentes elephan torum, & ſimias, & pauos. pro Tarſis *reddidit Africam Chaldæus interpres: quod loco non conuenit: quia nauigatio illa ſeruorum* Salomonis *& regis* Hi*ran nequaquam petebat* Africam*.vel,vt alij volunt,Tunctum, aut Carthaginem, ſed Oceanum Aethiopicum, ad Ophir regionem, vel maris* Indici, *vel Oceani illius Aethiopici.Nam è mari rubro,& ſinu* Elanitico,*emenſo ſinu Arabico, petebant Ophir, quæ fortaſſe eſt Taprobana, aut alia quæpiam aurifera regio, in ea terrarum parte, quam* Nouum *orbem dicimus.* Quod *quidem licet colligere ex ijs, quæ* 3.Reg.9,26. *habentur in hæc verba:* Claſſem quoque fecit rex Salomon in Aſion-gaber, quæ eſt iuxta Ailath, in littore Maris rubri, in terra Idumææ. Miſitque Hiran in claſſe illa ſeruos ſuos viros nauticos, & gnaros maris, cum ſeruis Salomonis. Qui quum veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem. *Quòd ergo in hac hiſtoria Salomonica dicantur naues regis iuiſſe in* Tarſis, *id ita eſt accipiendum, vt intelligantur illæ naues petiuiſſe* Oceanū, *& ipſum mare ſulcaſſe:* Tarſis *enim ſignificat Ciliciam, & mare prætentum Ciliciæ & Cananææ, quod Geographi nominant Phœnicium & Syriacum,quodq; Scriptura vocat mare Occidentale. Sed præterea notandum eſt, quòd* Iſrae*litæ qui nullum aliud mare ab illo Tarſenſi,ſiue quo petebatur Tarſis, nouerant, omnia maria vocabant Tarſis,more* Ponticorū *populorum,qui quòd nullum præ*

ter ſuum mare, eſſe crederent, aut id exiſtimarent cæteris præſtare, Pontum vocauerunt ſuum mare per ſynecdochen, eodem nomine ſuum mare & cætera maria complexi. Sic populus Dei de nomine maris Tarſis ſibi cogniti, cætera quoq; maria nominauit. Quo ſenſu locus etiam ille qui eſt 2. Paralip. cap. 9, 21. ſumendus eſt, vbi habentur iſta: Siquidē naues regis ibant in Tarſis, cum ſeruis Hiran, ſemel in annis tribus. Id eſt, Naues regis petebant mare vel Oceanum quoque triennio. Ex qua loquendi formula illud Pſal. 47. 6. In ſpiritu vehementi conteres naues Tarſis, interpretandum venit. Naues enim Tarſis in Hebraiſmo, ſunt naues veliuolæ, qualiū vſus eſt in mari Tarſis. Sic Eſaiæ 2, 16. Et ſuper omnes naues Tarſis, id eſt, nauigia veliuola, qualia ſunt Tarſenſia: vel ſimpliciter, nauigia maritima. Nam & Septuaginta locū illum reddiderūt, καὶ ἐπὶ πᾶν πλοῖον θαλάσσης, & ſuper omne nauigium maris. Eſt igitur Tarſis Cilicia, & mare Tarſis, mare Tarſenſe & Cilicium: item quoduis aliud mare, ex quo naues Tarſis dicuntur, id eſt, naues Tarſenſes, & tales quales ſunt eæ, quarum vſus eſt in eo mari. Sunt alia quoque ſignificata vocis Tarſis, ſed alterius ſunt loci & inſtituti: quamobrē prætereuntur à nobis in præſentia.

Cethim voce plurali, dicitur tertius filius Iauan. qua voce non tam ille, quàm ab illo profecti & orti populi deſignantur, quos interpretes Septuaginta interdum Κιτιαίους, interdū χετιεὶμ retento Hebraico vocabulo nominant. Chaldæus quoq; paraphraſtes eoſdē Citiæos nominat. Ioſephus autem vult Cethim eſſe Cyprum, in qua veteris appellationis veſtigium ait eſſe vrbē Citium Κίτ-

τιον. Sed ex Danielis vaticinijs, & libro Numerorũ, qui ſint Cethimi facilè intelligimus & deprehendimus. quos quidem eſſe Romanos & Italos, atq; illis adiunctos & vicinos populos, ex hiſtoria & prædictionũ euentu colligimus. Et Numer. quidem cap. 24, 24. in vaticinijs Balaam, id apertè docetur, vbi Latinus interpres ita Hebræa vertit non incommodè: Venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos, & ad extremũ etiam ipſi peribũt. Quo loco pro כתים Kittim, id eſt, Cethim, bene dixit Italiam Latinus interpres. Septuaginta autẽ habẽt κιτιαίας. Chaldæus verò apertè rem ipſam dixit, interpretatus רומאי Romaæ, Romanos, ad quos ſpectat hoc vaticinium. Latinus etiam interpres, Danielis cap. 11, 30. pro Cethim, dixit Romanos, in eo vaticinio quod ad illos quoq; pertinet: vbi ita dicitur, Et veniẽt ſuper eum trieres, & Romani; & percutientur. vbi Septuaginta dixerunt κιτιεῖς. Hebræi autem & ipſi ſcholiaſtæ Rabini agnoſcunt eo loco per Cethim intelligi Romanos. Quod verò habetur Ezech. cap. 27, 6. מאיי כתים de inſulis Cethim, Latinus interpres dixit de inſulis Italię. Chaldæus verò de Apulia. Septuaginta ἐκ νήσων τῶν χεττιείμ, ex inſulis Cethim. quũ tamẽ videatur Propheta in genere agere de gentibus transmarinis: hac voce Europæas gentes ſignificans, & accommodans ſe ad ſenſus Iſraelitarum: qui quũ habitarent in Continente, & eos populos à ſe diſcretos mari animaduerterent, exiſtimabant eos omnes eſſe incolas inſularũ: quẽadmodũ & eos quos ad ſe nauibus interdũ accedere nouerãt. Et vt Itali hodie vocant earũ gentiũ, quæ trans alpes

Alpes colunt, regiones Tramontanas: sic Israelitæ discretos à se mari populos, dicebāt insulanos & insularū cultores. Sunt igitur Cethimi, Itali & transmarini populi.

Dodanim quartus Iauani filius, dicitur voce plurali, eadem ratione qua Cethim, qua ipse Dodan, & orti ab illo populi Dodanim significātur. Hos verò populos esse Rhodios nonnulli existimāt, quòd 1. Paralip. cap. 1, 7. scribatur, Dodanim & Rodanim. Verùm videntur Dodanim longius profecti, occupasse extremas oras Europæ: quòd eorum præterea nulla sit in Scriptura mentio, præterquam in enumeratione familiarum Iaphet. Huius tamen vocis Dodanim manista vestigia apparent in Dodana Epiri. Item vocis Rodanim non est obscurum vestigium in Galliæ celeberrimo fluuio Rodano. vt Dodanim tenuisse Epirum, & Rodanim in Gallijs hæsisse sit verisimile, quòd ab Historia Sacris literis prodita non est omnino alienum. Quæ quidem ita historiam familiarū Iapeti concludit: Ab his diuisæ sunt insulæ gentium, in regionibus suis, vnusquisque secundum linguā suam, & familias suas, in nationibus suis. Quibus verbis videtur Scriptura sacra velle significare, insulas gentium, id est, transmarinas regiones, vt prius interpretati sumus, id est, insulas maris Mediterranei, et Europā fuisse occupatā à filijs Iauā, qui postremo loco in hac generis serie proponuntur. Nam Gomer cū suis posteris, Aschenez, Riphath & Togorma (vt tamē nihil de Riphath affirmemus) sub imperio fuerūt partim Medorū, vt Aschenez: partim Syriacorū regū & Asiaticorū, vt Gomer, et Togorma: sub quibus etiā intelleximus esse Magog, Mosoch & Tubal.

De Thiras nil certi dicere possumus. Madai autem sedes habuit in Media, & Iauan hæsit in Asia minore cũ suo filio Tarsis. Ita reliqui filij Iauan, qui sunt Elisa, Cethim, & Dodanim, populorum Europæorum, & insulanorum maris Mediterranei parentes esse videntur.

Post Iapeti genus sequitur progenies Chami, minimi natu filiorũ Noe, quem Scriptura præponit ipsi Semo, in hac generum & prosapiarũ recensione, quòd de Iapeto & Chamo plura dicere non instituerit: sed proposuerit priuatim agere de prosapia Sem, ex qua Christi Iesu Domini nostri secundum carnẽ genus ducitur, qui est finis Legis, in quem promißiones omnes Dei spectãt, in quo & nostra omnium posita est fœlicitas.

Chami autem posteritas & genus ita proponitur Genesis cap.10. vers.6. Filij Cham, Chus, & Mesraim, & Phut, & Chanaan. Hos quatuor liberos Cham proponit Scriptura, è quibus Mesraim maximè celebris est, propter Aegyptiaci regni potẽtiam, tum etiam propter populum Dei, quẽ hospitem habuit per annos ducentos & quindecim. Quamobrẽ Aegyptus ipsa vocatur terra Cham, Psal.104,21. Et intrauit Iacob in Aegyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham. Eadem voce intelligitur Aegyptus, Psal. 105, 22. & Psal. 77,51. Sedes autem & terræ quas occuparũt filij Cham, sunt nobis quærendæ & recognoscendæ.

Chus primus filius Cham, notus est multis Scripturæ sacræ locis, in qua frequens est mentio regionis Chus, & populorum Chusæorum, in quorum interpretatione plurimùm erratum est à Iosepho, & Septuaginta Græcis interpretibus: item Latino interprete, & cæteris ferè scri-

rè ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ſequutis errores priorum. Nam Chus regionem, vbique dixerunt Aethiopiam, & Chuſæos interpretati ſunt Aethiopes. Qua de re etſi diſputatum eſt ſuprà, capite de Paradiſo, nihilominus hoc loco res tota paucis repetenda eſt: atq; aliquid eſt ſuperioribus adijciendum. Ac omiſſis quidem ijs quæ Ioſephus de Aethiopia & regina Saba, & Chus comminiſcitur, illud teneamus Chuſum Chami primum filium ſæpe cum Miſraim iungi in Scriptura, quòd Chus et ipſe Miſraim propinquas & vicinas regiones obtinuerint. Miſraim quidem eam quæ poſtea Græcis dicta eſt Aegyptus: Chus autem eam Arabiæ partem, quæ Aegypto eſt vicina & contigua, & ſinũ habet Arabicum, quem Mare rubrum vulgò nominant: quemadmodum id ex Zara Chuſæo Arabiarum rege, quem vulgò regem Aethiopum dicunt, cuius mentio fit 2. Paralip. 14. colligimus: & ex Sephora Moſis vxore Chuſæa Madianite, vt videre licet Exodi 2, 22. Accepitq; Sephoram filiam eius, (Raguel ſacerdotis Madian) vxorem. & Numer. 12, 1. Locutaq; eſt Maria & Aaron contra Moſem, propter vxorem eius Æthiopiſſam. pro quo Hebraica habent, Propter vxorem Chuſæam. Nam vxorem Chuſæam ceperat. Ea enim Arabia Chuſæa Paleſthinam attingit, ſicuti ex ea deſcriptione quam habet Plin. lib. 5. cap. 11. diſcimus, quæ ita habet: Vltra Peluſiacum (Nili oſtium) Arabia eſt ad Rubrum mare pertinens, & odoriferam illam ac diuitem, & beatę nomine inclytam. Hæc Catabanum & Esbonitarum, & Scenitarũ Arabum vocatur. Sterilis, præterquam

vbi Syriæ confinia contingit: nec nisi Casio monte nobilis. His Arabes iunguntur ab Oriente Canchlei, à Meridie Cedrei, qui deinde ambo Nabathæis. Heroopoliticus vocatur, alterq́; AElaniticus sinus Rubri maris, vergentis in AEgyptum CL M. passuum interuallo, inter duo oppida, AElana & in nostro mari Gazam. Deinde sequēti capite 12. inquit: Iuxtà Syria littus occupat, quondam terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus: namque Palestina vocabatur, qua cōtingit Arabes, & Iudæa, & Cœle, & Phœnice, & quò recedit intus Damascena. *hactenus Plinius. Ex quo Arabiam quæ dicitur Scripturæ Chus, intelligimus Cananææ contiguam.*

Cæterùm populus Dei nūquam auxiliis AEthiopum credidit se fore tutum aduersus Assyriorū, aut aliorum hostium incursiones. Neq; enim auxilia sperare poterāt ab AEthiopibus, qui sub alio cœlo agerent, & infinitis terræ spatiis distarent à Palestina seu Cananæa. Itaque quod est Esaiæ 20.5: Et timebunt, & confundentur ab Æthiopia spe sua, & ab Ægypto gloria sua: *nemo est qui nō videat malè positam AEthiopiam, pro Chus siue Chusa à regione, id est, Arabia propinqua Iudææ, à qua sperabat auxilium populus Dei, sicut ab AEgypto. Iam verò malè redditam vocem Chus per AEthiopiam, cuiuis etiam rudi constare potest hinc: quòd Nabucodonosor occupauit regionē Chus, & vicit Chusæos. Is autem nūquam AEthiopiam est ingressus: nō est igitur Chus AEthiopia. Et Nabucodonosorem nūquam penetrasse in AEthiopiam, ex Scriptura intelligimus, in qua limes victoriarū Nabucodonosor in Africa statuitur*

Scuene,

Seuene, AEgypti postrema ora, quæ est Syene. Sic enim Ezechielis 29.10. habetur: Idcirco ego ad te, & ad flumina tua, daboque terram Ægypti in solitudines gladio dissipatam, à turre Syenes, ad terminos Chus. (*Latin. AEthiopiæ, dicendum verò fuerat Arabiæ.*) *Item cap. 30. 6. dicitur:* Et corruent fulcientes Ægyptum, & destruetur superbia imperij eius, à turre Syenes gladio cadent in ea, ait Dominus Deus exercituum. *Paruisse etiam regionem Chus ipsi Nabucodonosor, intelligimus ex capite Ieremiæ 25. vbi gentes, quæ Nabucodonosori paruerunt, sigillatim recensentur, & pro Chus, Hæreb & Hærab, id est, Arabiæ, ponuntur. Quòd autem dicitur Ezechielis 30. 9:* In die illa egredientur nuntij à facie mea in trieribus, ad conterendã Æthiopiæ confidentiam, & erit pauor in eis in die Ægypti. *quàm malè sit posita vox AEthiopiæ pro Chus, nemo nisi Geographiæ ignarus non vidit. Nam ex AEgypto nõ opus est nauibus, ad petendam AEthiopiã, quæ desertis & mõtibus supra Syenem, & circa Syenem discernitur ab AEgypto, cui est continens ipsa AEthiopia. Sed regio Chus, id est, Arabia, quæ sinu Arabico, siue Mari rubro discreta est ab AEgypto, nauibus eget vt petatur ab ipsa AEgypto. Sic Nabucodonosor victa & superata AEgypto, nauibus vsus, transiit in Arabiam, id est, Chus, quæ vires suas contulerat cum AEgyptiis, vt sese opponeret Nabucodonosori. AEgyptios autem & Chusæos postea subiecit Deus imperio Nabucodonosoris. Ex his opinor, & prius cõmemoratis in Paradisi tractatione, additis iis quæ mox dicentur in Misraim, facilè poterit intelligi, Chus dicẽdã esse Arabiã nõ AEthiopiã.*

Misraim filius secundus Cham, regionẽ ipsi Chus contiguam obtinuit. Quam ea ratione Paraphrastes explicat Esaias cap. 18,1. hunc in modum: Heu terrã vmbræ alarũ, quæ est vltra flumina Chus. *Quod quidem Latinus interpres ita reddidit:* Væ terrę cymbalorum alarũ, quæ est trans flumina Æthiopiæ. *& Septuaginta sic conuertunt:* οὐαὶ γῆς πλοίων πτερύγων, ἐπέκεινα ποταμῶν αἰθιοπίας. Væ terræ nauium alarũ, quæ est trans fluuios Aethiopiæ. *Quem locum putaui proponendum ratione terræ Chus, vt esset ea notior, tum quòd is locus nõ intelligatur vulgò, et aliò quàm par sit referatur. Est autem eo versu & loco proposita periphrasis Aegypti, quæ mari alluitur, & Nilum in plura brachia diuisum habet: quò fit vt nauigijs abundet, vnde vocatur terra, seu regio nauium alarum, id est nauigiorum alatorum, vt commodè verterũt Septuaginta: vel, vt habetur Hebraicè, terra vmbræ alarum, hoc est, regio, quæ velis abundat, quæ sunt nauibus pro alis, quibus vmbra quoq; adfertur ipsis nauigijs. O te igitur miseram terram, quæ plena es vmbra alarũ seu velorum, quæ sunt nauigiorum alæ, quæ sita es, & iaces trans flumina gentis Chusæorum, siue Arabiæ. Nam Arabia Aegypto contermina, quæ est Chus, habet Gebon fluuium dictũ in descriptione Paradisi. Præterea quod ex historia prophana intelligimus, versus mare Syriacum habet lacum Sirbonidem, & ex altera parte versus Meridiem habet Traianum dictũ fluuium: item sinũ Arabicum, seu Mare rubrũ, & præterea fossas manu factas, quas Diorygas appellant, quas omnes aquas nomine fluuiorum notat Scriptura. Quòd si quis est qui existimet*

Aethiopiæ vocem retinendam in hac interpretatione: quærã ex eo, quæ nam sit illa regio quam notat Propheta, & positam dicat vltra flumina Aethiopiæ? Nam de ignota agi regione dici nequit, quũ sequentia eo capite perspicua sint, & eandem regionem dicat nauigijs papyraceis huc illuc legatos dimittere ad diuersas gentes. Esse autẽ eam trans flumina Aethiopiæ, quis nõ videt sine ratione dici? Nã Aethiopia est sub Zona torrida: & trans Zonam torridã, aut sub Zona torrida, post flumina Aethiopiæ, quæ nam quæso regio fuit cognita populo Dei, quũ ne ipsam quidem Aethiopiam sub Zona torrida positam nouerit? Quare pro Chus sine ratione positã esse Aethiopiam, nemo est qui nõ poßit iudicare. Quamobrem ij qui Sophoniæ 2, 11. dicuntur Aethiopes, interfecti gladio Domini, qui sunt Chusæi, vt est in Hebraismo, dicendi fuerãt Arabes Palestinæ vicini, quibus extrema minitatur Deus, quemadmodũ & alijs etiam vicinis Cananææ populis, qui molesti fuerãt populo suo. Sed ad Mesraim redeundum est, qui dicitur Septuaginta interpretibus Μισραΐμ, Hebræis autem Misraijm: is verò est parens Aegyptiorum, qui eodem nomine apud Hebræos dicuntur, quo & ipsa regio quæ Misraijm vocatur ab ipso Misraijm, qui eam occupauit cũ sua posteritate regionẽ: quæ prophanis autoribus multis postea seculis elapsis, dicta est Aegyptus, ab Aegypto Danai fratre, qui ambo fuerunt Beli Aegyptij filij, quemadmodum tradunt historiæ prophanæ. Belo autem dicitur succeßisse in regno Aegyptus, qui nomen regioni dedit. Danus autẽ relicta Aegypto conceßit Argos in Peloponnesum, à quo Argiui postea sunt dicti Danai. Quod quidẽ contigisse exi-

ſtimat Aurelius Auguſtinus libro de Ciuitate Dei 18. capite 11. temporibus Ioſue. Cæterum AEgypti, quia propter Sacram hiſtoriam id refert ſcire, duæ ſunt partes: vna dicta Delta, ex forma triquetræ literæ Græcæ Delta maiuſculæ, quam efficit Nilus, quæ dicitur inferior AEgyptus, incipiens à Nilopoli vel Memphi, vbi Nilus ſeſe in varios alueos fundere incipit, & inde poſteà ſeſe exonerans, in mare AEgyptiacum effluit ſeptem ingentibus oſtiis. Ea verò pars AEgypti, quæ eſt ſupra Memphim, dicetur ſuperior AEgyptus, ſiue Thebais, ad Syenem vſque, & AEthiopiæ confinia pertinens. Dicitur autem Thebais, à Thebis vrbe centum portarum, quæ eadem Græcis dicta eſt Dioſpolis: in Scriptura autem ſacra vocatur No-hamon, id eſt, No multitudinis, ſiue populoſa, & incolarum frequentia tanta, vt fidem excedat. quam Chaldæus paraphraſtes, & alij poſt eum putauerunt eſſe Alexandriam. Sed illi non animaduerterunt Prophetarũ ætate, nuſquam extitiſſe Alexandriam; quæ longo pòſt tempore fuerit condita ab Alexandro Magno, ad Maræotim lacum. Inferior autem AEgyptus æſtiuo ſolſtitio Nilo inundatur, cuius aqua, alio tempore deducitur canalibus in hortos & agros, ad eos fœcundandos: quod Scriptura ſignificat Deuteronomij capite 11. 10. in hæc verba: Terra ad quam ingrederis poſsidendam non eſt ſicut terra Ægypti, de qua exiſti, vbi iacto ſemine, in hortorum morem aquæ ducantur irriguæ: ſed mõtuoſa eſt & cãpeſtris, de cœlo expectãs pluuias: quam Dominus Deus tuus ſemper inuiſit, & oculi illius ſemper in ea ſunt, à principio anni vſq;

ad

ad finem eius. *In qua interpretatione, quod ad verbũ habetur in* Hebraico *cõtextu*, In qua ſeminabas ſemen tuũ, & irrigabas pede tuo inſtar horti oleris, *nõ eſt ineptè redditum à Latino interprete, vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducantur irriguæ. Nam pede ſuo irrigare dicit Scriptura, rigare ſemina, petita è riuis aqua.*

Phut tertius filius Cham, aliquot aliis Scripturæ locis cõmemoratur. Eũ verò Ioſephus ait dixiſſe de ſuo nomine Phutæos, qui poſtea mutato nomine ſunt appellati Libyes, à Libe Meſrei ſiue Meſraimi filio. In Mauritania quoq; ait eſſe flumen eodem nomine, cui regio Phute adiacet. Cuius quidem fluuij meminit Plinius his verbis: Lib.5.c.1. Indigenæ tradũt in ora ad Sala C L M. flumẽ Aſanem, marino hauſtu, ſed portu ſpectabile. Mox amnem quẽ vocant Fut, ab eo ad Dirim, (hoc enim Atlanti nomen eſſe eorũ lingua cõuenit,) C C M. paſſ. interueniente flumine, cui nomen Vior. *Iã verò apparet ex Ezech. cap.30.5. Phut fuiſſe in numero ſociorũ & fœderatorũ cũ AEgyptiis, vbi ita dicitur:* Chus, & Phut, & Lud, & omnis multitudo, & Chub, & filij terræ fœderis, vnà cũ illis, gladio cadent. *Vbi Latinus interpres pro* Chus, Phut, & Lud, *dixit* Æthiopiam, Libyam & Lydos, *quomodo etiam Septuaginta reddiderũt hoc loco, quẽadmodum & cap.27.10. quos ſequutus eſt ibidẽ Latinus. Item Ierem.46.9. quum Septuaginta tũ Latinus pro Phut Libyes dixerũt. Quib. ex locis hoc poſſumus conſtituere & colligere, Phutæos & Ludæos AEgyptiorũ fuiſſe ſocios populos. Lud autẽ*

in Africa alius est ab eo, qui est in Asia, eiusdem nominis populus, sicuti postea suo loco dicetur cum Deo.

Chanaan quartus filius Cham, regioni à se & suis posteritate occupatæ dedit nomen: quæ postea filijs Israhel diuino beneficio priuilegio fuit attributa, ex promissione primū facta Abrahamo, deinde repetita Isaaco & Iacobo, postmodum confirmata sub Iosue. Inde terra promissionis solet dici terra Chanaan. Cuius quidem limites noscendi sunt nobis, ne Palæstinam, aut Iudæam, aut Samariam, aut Galilæam, putemus regiones alias esse à Cananæa, sicuti quibusdam imperitis videri solet.

Exodi autem cap. 23, 31. hæc de terminis & limitibus promissæ terræ dicuntur: Ponam terminos tuos à Mari rubro vsq; ad mare Palæstinorum, & à deserto vsq; ad fluuium tradam in manibus vestris habitatores terræ, & eiiciam eos de conspectu vestro. *Quo loco Mare rubrum intelligit sinū Elaniticum vel Lælaniticum, quo Meridionalis terminus notatur. Mare autem Palæstinorum, vocat mare Mediterraneū, quod Syriacum & Phœnicium dicunt Geographi. quod quidem latus Occiduum definit terræ promissionis. Fluuius verò, per metonymiā intelligitur Euphrates, qui terminum Orientis designat, quemadmodum Libanus & Antilibanus claudunt latus Septentrionale, quod desertum nominat, quia syluis plenus est vterq; mōs, et feris, locisq; desertis, qui sunt incolis vacui: huic descriptioni cōgruere videtur locus Psal. 72. qui ita habet:* Et dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine, vsque ad terminos orbis terrarum. *Proponit enim contiguos limites maris gemini,*

nempe

nempe Rubri & Syriaci. Deinde fluuium Euphratem, postremò ipsos terræ fines, id est, saltus Libani & Antilibani, qui sunt feris pleni & deserti. Post deserta autem nulla videtur superesse vltrà regio, & in desertis videntur esse fines terræ. Numerorum verò cap.34. limites totius agri Israelitici describuntur amplißimè, qui vt intelligantur, repetendi sunt ex Hebræo. Deuteronomij quoque capite 11.14. ijdem limites paucis his verbis comprehenduntur: Omnis locus quem calcauerit pes vester, erit vester, à deserto, & à Libano, & à flumine magno Euphrate, vsq; ad mare Occidentale, erunt termini vestri. *Vbi desertum aliter quàm prius, intelligitur, nempe eremus Arabiæ Petrææ, in qua errarunt Israelitæ. cuius varia sunt nomina, pro conditione locorum: nam ibi sunt desertũ Sin, desertum Cades, desertum Pharan, & alia deserta, quæ claudunt latus Meridionale terræ promissæ. Septuaginta autem* לבנן *id est, Libanum, interpretantur Antilibanum, qui videtur esse mons Hermon. Definitur verò Septentrionale latus Libano & Antilibano, quemadmodũ latus Orientale terminatur Euphrate fluuio, & mari Mediterraneo Occidentale, sicuti id quoque apparet Iosue cap.1.4. vbi hæc dicũtur:* A deserto & Libano, vsque ad fluuium magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum, vsq; ad mare magnũ, contra Solis Occasum erit terminus vester. *In hac regione posteritas Chanaan magna ex parte hæsit, quæ à filiis Israel postea fuit extincta, vel seruitute oppressa, & cum tempore ex hominum memoria deleta fuit & euanuit.*

Ex quatuor filijs Cham, trium genus & propago recẽsetur, nempe Chus, & Misraim, & Chanaan. Primùm autem gentes à Chus ortas & profectas commemorat Scriptura; Genes. 10. 7. hoc modo: Filij Chus; Saba & Hevila, & Sabatha, & Regma, & Sabathaca. Deinde sequenti versu dicitur: Porrò Chus genuit Nemrod. Ipse cœpit esse potens in terra. Explicandi autem sunt isti ordine, deinde dicendum erit de filijs Regma qui sunt Seba & Dadan, vt habetur versu septimo.

Saba primus in filijs Chus recensetur, qui orthographia discernitur à filio Regma, qui Saba quoque dicitur, sed prima litera per schin dextrum שבא; cui respõdet eiusdem nominis שבא Saba, filius decimus Iectan, qui pertinet ad genus Sem, de quo pòst agetur. At hic de quo in præsentia agimus Seba, filius Chus est סבא Saba, initio per samech. Is verò dedit nomen Sabæis, qui fœlicem Arabiam colũt. Quod quidem ita habere, ex eo potest intelligi, quòd Sabæi Arabum populi propter thura clarißimi, ad vtraque maria porrectis gentibus habitent, vt ait Plinius lib. 6. cap. 28. Et apud Esaiam Prophetam Chus, & hic Saba per samech in prima litera סבא primogenitus ipsius Chus, iungĩtur, vt qui vicinas sedes habuerint. Chus quidem ad Istmum, quo mare Syriacum & AEgyptiacum summouetur à sinu Arabico, seu Mari rubro. Saba autem, ad ipsum Arabicum sinum. Nam שבא per schin dextrum, quem commodè ad eius discrimen, dicemus Schaba, sedes habuit versus sinũ Persicum, vt ex historia Iobi poterit cõstare: in qua Schabæi pecus Iobi abigunt, quemadmodum Chaldæi illi finitimi,

camelos

camelos etiam ipsius Iobi diripiunt. Sabæi autem filij Chus, qui versus Arabicum sinum habitant, nequaquam potuissent pecora Iobi inuadere, aut ex illis locis in quibus sedes habebat Iob prædas poterant agere, tam longo terrarum interuallo ab eo disiuncti. Cæterùm Esaiæ cap. 43. 3. ita habetur: Quia ego Dominus, Deus tuus, Sanctus Israel, Seruator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, & Chus, (Latin. AEthiopiam) & Saba, pro te. Hîc autem ponuntur ordine gentes vicinæ & contiguæ ipsi Misraim, id est, AEgypto: nempe Chus & Saba. Chus autem Arabia est, Pelusio propinqua & sinu Heroopolitico. at Saba est interior Arabia, ad sinum Arabicum. Ab hoc Saba סבא. dicuntur סבאים, id est, Sabæi, eadem forma quà à שבא Schaba, nominantur שבאים Schabæi, quos distingui oportet scriptura, vt in Hebraismo, ita & in Latino sermone.

Sabæorum autem qui sunt סבאים per samech initio, mentio fit apud Esaiam 45. 14. in hæc verba: Labor AEgypti & negotiatio Chus (AEthiopiæ Lat.) & Sabaim viri sublimes ad te trãsibunt & tui erũt. Quo loco similiter iũguntur hi vicini populi, potẽtia & opibus clari, Misraim, Chus, & Saba. Vocat autẽ Propheta Sabaim, id est, Sabæos viros mẽsuræ, id est, staturæ proceræ, quos sublimes dixit Latinus interpres. Quod verò citauimus ex Plinio, nẽpe Sabæos, ad vtraq; maria, porrectis gẽtib. habitare, id ita est accipiendũ, vt intelligamus ad vtrũq; mare, quo fœlicis Arabiæ cingun tur latera, quorũ vnũ dicitur Arabicus sinus, alterũ sinus Persicus, sedes habere Sabæos & Schabæos. quos neque

Ex quatuor filijs Cham, trium genus & propago recensetur, nempe Chus, & Misraim, & Chanaan. Primùm autem gentes à Chus ortas & profectas commemorat Scriptura, Genes. 10. 7. hoc modo: Filij Chus, Saba & Henila, & Sabatha, & Regma, & Sabathaca. *Deinde sequenti versu dicitur:* Porrò Chus genuit Nemrod. Ipse cœpit esse potens in terra. *Explicandi autem sunt isti ordine, deinde dicendum erit de filijs Regma qui sunt Seba & Dadan, vt habetur versu septimo.*

Saba primus in filijs Chus recensetur, qui orthographia discernitur à filio Regma, qui Saba quoque dicitur, sed prima litera per schin dextrum שבא, *cui respondet eiusdem nominis* שבא *Saba, filius decimus Iectan, qui pertinet ad genus Sem, de quo pòst agetur. At hic de quo in præsentia agimus Seba, filius Chus est* סבא *Saba; initio per samech. Is verò dedit nomen Sabæis, qui fœlicem Arabiam colũt. Quod quidem ita habere, ex eo potest intelligi, quòd Sabæi Arabum populi propter thura clarißimi, ad vtraque maria porrectis gentibus habitent, vt ait Plinius lib. 6. cap. 28. Et apud Esaiam Prophetam Chus, & hic Saba per samech in prima litera* סבא *primogenitus ipsius Chus, iungĩtur, vt qui vicinas sedes habuerint. Chus quidem ad Isthmum, quo mare Syriacum & AEgyptiacum summouetur à sinu Arabico, seu Mari rubro. Saba autem, ad ipsum Arabicum sinum. Nam* שבא *per schin dextrum, quem commodè ad eius discrimen, dicemus Schaba, sedes habuit versus sinũ Persicum, vt ex historia Iobi poterit cõstare: in qua Schabæi pecus Iobi abigunt, quemadmodum Chaldæi illi finitimi*

camelos

camelos etiam ipsius Iobi diripiunt. Sabæi autem filij Chus, qui versus Arabicum sinum habitant, nequaquam potuissent pecora Iobi inuadere, aut ex illis locis in quibus sedes habebat Iob prædas poterant agere, tam longo terrarum interuallo ab eo disiuncti. Cæterùm Esaiæ cap. 43. 3. ita habetur: Quia ego Dominus, Deus tuus, Sanctus Israel, Seruator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, & Chus, (Latin. AEthiopiam) & Saba, pro te. Hîc autem ponuntur ordine gentes vicinæ & contiguæ ipsi Misraim, id est, AEgypto: nempe Chus & Saba. Chus autem Arabia est, Pelusio propinqua & sinu Heroopolitico. at Saba est interior Arabia, ad sinum Arabicum. Ab hoc Saba סבא. dicuntur סבאים, id est, Sabæi, eadem forma qua à שבא Schaba, nominantur שבאים Schabæi, quos distingui oportet scriptura, vt in Hebraismo, ita & in Latino sermone.

Sabæorum autem qui sunt סבאים per samech initio, mentio fit apud Esaiam 45. 14. in hæc verba: Labor AEgypti & negotiatio Chus (AEthiopiæ Lat.) & Sabaim viri sublimes ad te trãsibunt & tui erũt. Quo loco similiter iũguntur hi vicini populi, potẽtia & opibus clari, Misraim, Chus, & Saba. Vocat autẽ Propheta Sabaim, id est, Sabæos viros mẽsuræ, id est, staturæ proceræ, quos sublimes dixit Latinus interpres. Quod verò citauimus ex Plinio, nẽpe Sabæos, ad vtraq; maria, porrectis gẽtib. habitare, id ita est accipiendũ, vt intelligamus ad vtrũq; mare, quo fœlicis Arabiæ cinguntur latera, quorũ vnũ dicitur Arabicus sinus, alterũ sinus Persicus, sedes habere Sabæos & Schabæos. quos neque

Græci neque Latini distinguunt. Qui quidem ad vtraq; maria fœlicis Arabiæ sedes habent, quòd plurimæ Sabæorum gentes sint ortæ à Saba & Schaba, quas etiam vt contiguas, etsi longè & latè fusas, coniungit Psalmus 72. 10. in quo ita Latinè habetur: Reges Tarsis, & insulæ, munera offerēt: reges Arabum & Saba, dona adducent. Ibi autem Hebraicè habetur, מלכי שבא וסבא malke Scheba & Seba, reges Schaba & Saba: pro quo dixit Latinus, Reges Arabum & Saba. Itidem eodem Psalmo Latinus interpres, vers. 15. dixit: Et dabitur ei de auro Arabiæ, pro eo quod Hebraicè dicitur, מזהב שבא mizzahab Scheba, de auro Schaba. Quod quidem notandum est diligenter propter eos, qui Schaba reijciunt in Æthiopiam, & extremas mundi oras, moti Iosephi stulta opinione seu potius delirio. quem à vero deerrasse plurimùm docent hæc Scripturæ sacræ loca, quemadmodum præter hæc alia quoque, quæ citabuntur in Schaba suo loco.

Heuila secūdus in filiis Chus memoratur, qui quidem prope Schaba versus sinum Persicum sedes habuit, quæ porrigebātur vsque ad Ismaelitas incolas deserti Pharā, & aliorum in Arabia Petræa locorum. Quod intelligitur ex Genes. cap. 25. 18. vbi hæc dicuntur: Habitauit autem Ismael, ab Heuila vsq; Sur, quæ respicit Ægyptum. Certior etiā situs regionis Heuila discitur ex historia Saulis, designati à Deo ad Amalecitas delēdos: in qua historia id habetur 1. Reg. 15. 7. Percussitque Saul Amalec ab Heuila donec venias Sur, quæ est è regione Ægypti. Ex quibus locis apparet

apparet fines Heuilæorũ pertinuiſſe ad Iſmaelitas vſq;, atque etiam Amalecitas. Vnde quàm falſa prodiderit Ioſephus de Heuila, conſtat, qui Heuilæos eſſe eos populos Africæ affirmat, qui dicãtur Getuli. Quàm etiam fallantur qui iſtam regionem Heuila, ſunt interpretati Indiam, non eſt obſcurum intuenti Scripturæ verba. Quare noſtri Indices Biblici ſunt hac parte emendandi: qui Getulos ex Ioſepho dixerunt eſſe Heuila. Eſt verò alter Heuila filius Iectan, in filiis Sem, de quo poſteà.

Sabatha tertius eſt filius Chus, à quo Sabathenos dictos, ait Ioſephus, qui dicãtur Græcis Aſtabari. Sed quinam ſint hi populi, aut vbi gentiũ agãt, diſquirendũ aliis relinquimus. Interim id affirmare poſſumus; in Arabia fœlici Metropolim quãdam à Ptolomæo nominari Sabbatha, vt populi Sabathæi dici poßint eſſe fœlicis Arabiæ incolæ, ab hoc Sabatha ſic dicti. quod à vero nõ abſonum videri poßit, quum filij Chus conſederint in Arabiis prope ſuum parentem, & Chuſæos ipſorum atauos.

Regma quartus filius Chus nominatur, cuius fit mentio Ezechielis cap. 27. 22. vbi vocatur Reema. Sed eadẽ eſt Hebraica ſcriptura, quam variè commutarunt interpretes, quum Græci tum Latini. Coniunguntur autem apud Ezechielem cum Schaba. Ex quo licet colligere Schaba & Regma, fuiſſe vicinos populos, & Arabiarũ incolas, præſertim quum iis tribuatur aurum, item lapilli, & aromata varij generis, quæ ad Tyriorum mercatum deferrent. Quo loco Septuaginta dixerunt vtroſque Sabæos & Regmæos Σάβα καὶ Ῥέγμα.

Sabathaca quintus filius Chus, videtur longius profectus recepiße ſe in extremas Arabiæ fœlicis oras, Ocea-

pum versus. quò factum fuit vt Sabathacæi vix noti fuerint cæteris Continentis incolis, qui Syriam attingerent.

Nemrod sextus filius Chus, separatim à cæteris recensetur: vt qui cæteris audacia superior statim tyrannidem arripuerit, nequaquam suo gradu contentus in familia paterna: qui eo tempore talis erat, vt qui ætate præiret, is etiam honoris gradu superior esset, & lites familiæ componeret, atque familiam regeret. Primùm autem Babylone cœpit regnare, deinde longius protulit imperij sui fines. Ita prima tyrannis in ipsa matre confusionis linguarum est orta. Atque legitimi imperij, quod paternum esse debet, ius est ibi confusum & peruersum, vbi audaciæ suæ & temeritatis monumēta prima statuerant mortales.

Sequuntur filij Regma, qui sunt Schaba & Dedan בְּנֵי רַעְמָא שְׁבָא וּדְדָן Bene Rama Sceba & Dedan. Schaba autem filium Regma scriptura distingui à Saba filio Chus per samech, dictum fuit. Nam filius Regma per schin dextrũ scribitur, at filius Chus per samech. Quod literarum discrimen Græcis & Latinis ignotum, fecit vt vterque Saba diceretur: & ab eis orti populi, Sabæorum indifferenter nomen sunt sortiti. Nos autem quia Hebræa iam pluribus, Dei beneficio, sunt cognita, hac orthographia vtimur, ad distinctionem nominum quæ putantur eadem esse & paria.

Schaba igitur, id est, שְׁבָא Iosephus AEthiopum voluit esse parentem, à quo prodidit Meroen, AEthiopum regiam prius dictam fuisse Saba. Sed hic Schaba, nihil habet cõmune cum AEthiopibus, neque cum eorum regia Meroe: quæ quodnam prius habuerit nomen, non memini

menini legere apud probatos autores. Quæ autem dixit hac de re Iosephus, quàm sint falsa, ex Sacris scriptis intelligitur. Ex quibus id quoque falsò proditum fuisse ab eodem Iosepho discetur: scilicet reginam Schaba, quæ ad Salomonem venerit, non esse profectam à Meroe, aut ab AEthiopia, regione supposita Zonæ torridæ. Fuit enim Schaba parens eorum Sabæorum, qui propter thura clari & celebres, Latinis æquè ac Græcis noti sunt. Neque verò Schaba potuisse morari in AEthiopia, testis est locuples Iobi historia, in qua cap. 1. 15. dicuntur Sabæi, id est, שבא Schaba, vt est in Hebraico textu, abegisse asinas & boues aratores Iobi: veluti postea versu 17. dicuntur Chaldæi occupasse & cœpisse camelos Iobi: quasi Satanas eos populos latrociniis assuetos habuerit ad manum, ad spoliandum & euertendum suis bonis Iobum. Habitabat autem Iobus in terra Hus, quæ complectitur Idumæam, vt pòst dicetur. cui finitimos fuisse Chaldæos ex hac historia cernimus. Hos autem populos ad sinum Persicum sedes habuisse nouimus: idque ex Geographica constat historia. Etsi autem propter aurum, thus, & gemmas, ditißimi sunt Sabæi isti, nihilominus prædas à vicinis petunt, & latrocinia exercent, sicuti Plinius id annotat lib. 6. cap. 28, vt ab iis pecora Iobi abacta fuisse nõ sit mirum. Verba Plinij ita habent, quũ de Arabibus fœlicib. agit: Mirũq; dictu, ex innumeris populis, pars æqua in cõmerciis & latrociniis degit: in vniuersum gentes ditisimæ, vt apud quas opes Romanorũ & Parthorum subsistant, vendẽtibus quæ è mari aut syluis capiũt, nihil inuicem redimentibus. *Iam verò*

Schaba parentem esse Sabæorum thuriferorum apertè monstrat locus ille, qui est Ieremiæ *capite 6. 20. qui ita habet*: Vt quid mihi thus de Schaba (משבא) affertis, & calamum suaueolentem de terra longinqua? *Idem docetur* Esaiæ *cap. 60. 6o. vbi hæc dicuntur*: Omnes de Schaba (משבא) venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. *Ex quibus locis liquet* Schaba *fuisse eius regionis incolam, quæ thurifera est, & aurifera regio in* Arabia. *Itaque quod prius diximus, rectè positum fuisse possumus arguere, nempe* Schaba *parentem esse* Arabum Sabæorum *ad sinum* Persicum *vergētium:* Saba *autem autorem etiam eorū esse Sabæorū, qui vergant ad sinum* Arabicum. *Ab ea verò* Sabæorum *gente, quæ est à* Schaba, *profectam esse ad* Salomonē *reginam* Saba, *dicimus: quia in Scriptura vocatur regina* שבא Schaba. *Quæ quū* Sabæorum Arabum *ditißimorū princeps esset, magna pompa venit* Ierosolymam. *quam Scriptura sacra aliis locis vocat reginam* Austri, *vt* Matth. 12. 42. & Luc. 11. 31: *quæ quidem venerit* à finibus terræ, *id est remotis & longinquis regionibus, ad* Salomonis *audiendam sapientiam.* Sabæa *autem* Iudææ *respectu sita est ad* Austrū, *& spectat ad* Meridiem, *dißita longo terrarum spatio ab ipsa* Iudæa: *quamobrem regina* Saba *dicitur venisse à finibus terræ, ad* Salomonis *intelligendam & ediscendam sapiētiam.* Et Ioelis *cap. 3. 8. minatur* Deus *se cum hostibus populi sui talione acturum, & par pari relaturum, inquiens*: Et vendam filios vestros, & filias vestras in manibus filiorum Iuda, & venundabunt eos Sabæis genti longinquæ

longinquæ, quia Dominus loquutus est. Vbi Sabæos intelligit hos de quibus agimus populos, à Schaba profectos & prognatos. Habet enim contextus Hebraicus pro Sabæis לשבאים. quasi dicat ipsis Schabæis. Quæ igitur à Iosepho malè translata sunt in Indices nostros Biblicos, ex his prolatis Scripturæ locis emendanda erunt.

Dadan siue Dedā filius est alter ipsius Regma, quem ij qui nobis Biblicos Indices construxerunt, sequuti eorum sententiam qui minus consideratè tractarant ista, dixerunt esse parentem nescio cuius gentis Aethiopicæ Occidentalis: credo, quia sibi iam persuaserant Schaba esse Meroen Aethiopicam insulam, cui propinquas sedes obtinuisset Dedan: præsertim quum in Scriptura sacra coniungantur Schaba & Dedan: ita errore vno posito alterū progignente, sic de istis statuerunt. Sed quàm malè talia sint dicta & cogitata, proindeq; literis prodita, potest ex eo accipi: quòd si Dedan in Aethiopia Occidua sedes habuisset, difficultatis admodum plenā profectionem, aut nauigationem expertus esset difficilem, vt ad Tyriorum, qui sunt in Cananæa, mercatum veniret: ac nescio quo præmio aut lucro potuisset excitari ad tam periculosas & longinquas suscipiendas profectiones. Itaq; si istis scriptoribus in mentem venisset quod apud Ezech. extat, cap. 27, 15. Filii Dedan negotiatores tui (ô Tyre.) certè quū cogitassent ex Aethiopia Occidua, infinita spatia terrarum superanda esse, vt petatur Tyrus, aliter sensissent de Dedā: præsertim quū ad Tyriorū mercatus aulæa, siue tapeta soliti essent comportare Dedanij: vt constat Ezechielis eodem cap. 27,

20. vbi habetur: Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum. *Quo loco Tyrum superbam, & mercatorum frequētia diuitem compellat Propheta: litem verò totam, quæ posset exoriri in hac quæstione, dirimet* Hieremias Propheta: *qui cap. 49. 8. recenset* Dedan *inter populos* Idumæos, *inquiens*: Fugite, & terga vertite, descendite in voraginem habitatores Dedan: quoniam perditioné Esau adduxi super eum, tempus visitationis eius. *Ad hæc Ezechiel 25. 15. dum de vastatione* Idumææ *tractat, vnà adiungit* Dedan. *Sic autem locus ille habet*: Extendam manum meam super Idumæam, & auferam de ea iumentum & hominē, & faciam eam desertam ab Austro (à Theman.) Et qui sunt in Dedan gladio cadent. Eo *tamē loco* Pro*pheta dixit* דדנה Dedane. *quod Septuaginta reddiderunt* Δαιδὰν. *& Chaldæus dixit* יתבי דדן Iathebe Dedan, *habitatores* Dedan. Et Rab. *Dauid Kimhi annotat he abundare in fine dictionis: quam ob causam statuitur accentus in penultima dictionis syllaba. Quod adiungendum putaui eorum causa quibus nota sunt* Hebræa, *ne vocis nouitate mouerentur. Cuius eadem ratio reperitur in* Nob *vrbe, quam incolebat* Abimelech *sacerdos* Domini, *vt est* 1. *Samuel.* 21. *Ibi enim dicitur* לנבה Lenóbe, *pro* לנב Lenob. *In* Nob *venit* Dauid: *sicuti conuertit* Chaldæus, *& annotauit* Kimhi, *he finale esse* No*sepheth, id est, abundans: quamobrem* Latinus *malè dixit* Nobe, *illam vrbem, quum dicenda esset* Nob, *vt alijs* Scripturæ *locis nominatur. Sed ad* Dedan *reuocāda est oratio, quem dicemus esse populum* Idumææ, *non autem*

Aethio-

Aethiopiæ, Scriptura sacra nobis id testificante.

Post genus Chus, Sacra scripta nobis proponũt prosapiam Mesraim, Genes. 10. 13. in hunc modum: At verò Mesraim genuit Ludim, & Anamim, & Nephthuim, & Phetrusim, & Casluhim, de quibus egressi sunt Philistiim & Caphthorim. *Hi sunt liberi Mesraim, siue Misraim, qui videntur reliquam oram Africæ ab Aegypto complesse incolis, & longius ab Aegypto profecti esse, ad quærendas sibi sedes. Eorum enim rara est aut ferè nulla post hæc mentio in Scriptura, præterquam Philistiim & Caphthorim, qui vicinas populo Dei regiones insederunt.*

Ludim tamen memorantur aliquot Scripturæ locis. Sunt autem voces pluralis numeri Ludim, Anamim, Nephthuim, Casluhim, quibus non tam autores generis significantur, quàm populi ab ijs orti & geniti. Ludim ergo populi sunt orti à Lud, quos Ierem. cap. 46. 9. Latinus interpres dixit Lydos, *sed minus commodè. Lydi enim Asiæ minoris sunt populi, orti vt videntur ab alterius generis Lud; est enim alius Lud in libris Sem. Qui autem dicuntur Lydi à Latino interprete, pro Ludim, qui sunt Ieremiæ iam dicto loco, videntur esse Africani. quandoquidem sunt in auxilijs & socijs populis regis Aegypti Nechao. Versus autem ille nonus cap. Iere. 46. ex Hebræo ita esset conuertẽdus:* Chusæi & Phutæi scutati, & Ludæi sagittarii. *Quòd verò dicimus Lud fuisse populum Africanum, fœdere coniunctum cum Aegyptio rege, Ezechielis quoque locus, qui est capite 30. 6. confirmat, qui ex Hebræo ita est reddendus:*

Chusæi, Phutæi, & Ludæi, & omnis Arabia, præterea Cubæi, & omnes fœdere coniuncti cum ipsis Aegyptiis gladio cadent. *De altero verò Lud, qui memoratur in liberis Sem, dicemus suo loco. Iam cæteri Misraim liberi nobis ignoti, prætereundi sunt, & explicandi Philistiim & Caphthorim, vt à Scriptura proponuntur.*

Philisthiim dicti Latino interpreti, & Septuaginta interpretibus interdum nominati Ἀλλόφυλοι, *quasi dicat externi generis homines, vocantur Latinis Geographis Palæstini, & ipsa regio quam colunt, ijsdem dicitur Palæstina, quæ est Scripturæ Peleseth, quemadmodum Palæstini dicuntur Hebræis Pelistim; ij aũt oram Cananææ maritimam tenuerũt, quæ vergit in Aegyptum: quorum fines describuntur apud Iosuam cap. 13, 3. Sed locus ille non sat commodè redditus est Latinè, qui ex Hebræo ita est reddendus:* A Sihor fluuio, qui spectat versus Ægyptum, vsque ad limitem Aquilonarem Accaronis, reputatur tota illa ora Cananæorum, vbi sunt quinque Satrapæ Palæstinorum, Gazæi, Azotii, Ascalonitæ, Gethæi, Accaronitæ, item Heuæi. *Est autem Philistijm siue Palæstinorum satis frequens mentio in Scriptura, vt de ijs plura dicenda non sint, hoc vnò excepto, quòd intelligendi sunt pertinere ad tribum Iuda & Simeon.*

Caphthorim dicuntur Cappadoces ab interpretibus Græcis, quos Septuaginta nominamus, quos sequutus Latinus similiter reddidit Cappadocas. Sed vtrique malè vocem istam reddiderunt, quemadmodum constat ex Deuter. cap. 2, 23. quo loco docetur quas terras insederint

rint & obtinuerint Caphthoræi, vbi hæc dicuntur: Heuæos, qui habitabant in Haſerim vſq; ad Gazam, Caphthoræi expulerũt. Qui egreſsi de Caphthor perdiderunt eos, & habitarunt loco eorum. *Ab his Caphthoræis videntur originem traxiße Palæſtini, quod Ierem.4,4. dicatur Dominus depopulatus Palæſtinos, reliquias inſulæ Caphthor. Idem videtur dici Amos cap.9,7.quo loco hæc dicuntur: Nunquid non aſcendere feci Iſrael de terra Aegypti, & Palæſtinos de Caphthor, & Syros de Kir? vbi Cappadocia pro Caphthor, pariter Cyrene pro Kir, perperam ponitur. Nam Cyrene pertinuit ad reges Aegyptios: ea verò ſita eſt in Africa ſecundum mare, poſt Aegyptum, & Marmaricam. Kir verò eſt in Aſia ſub imperio Aſſyriorum, quemadmodum ex denunciatione & prædicatione prophetæ Amos conſtat: apud quem habentur iſta 1.capite, verſu 5. Et transferetur populus Syriæ in Kir, dicit Dominus. Id verò factum fuiſſe per Teglath-phalaſſar Aſſyriorum regem, docet Scriptura, 4.Reg.cap. 16,9.his verbis:* Aſcẽdit rex Aſſyriorum Damaſcum, & vaſtauit eam, & tranſtulit habitatores eius in Kir, Raſin autem (regem Syriæ) interfecit. *vbi pro Kir ponitur Cyrena, in quam nullum ius aut imperium habuit vnquam rex Aſſur.*

Explicato Miſraim genere, ſequitur proſapia Chanaan, numeroſa admodum, quæ deſcribitur Geneſ.cap. 10,15. hoc modo: Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum ſuum, Hethæum, & Iebuſæum, & Amorrhæum, & Gergeiſæum, & Heuæum, & Aracæum, & Sinæum, & Ara-

dium Samaræum, & Hamathæum. *Hos vndecim liberos sustulit Chanaan, quos Scriptura populorum ab ijs ortorũ nominibus designat: qui quidem maiore ex parte sunt excisi & deleti ab Israelitis Dei mandato. Ac primùm quidem Deus Abrahamo pollicetur se daturum eam terram, in quam eius iussu commigrarũt. Sic enim agit cum eo Deus, Genes. 15. 18.* Semini tui dabo terram hanc, à fluuio Ægypti, ad magnum fluuium Euphratem, Cinæos & Cenesæos, Cedmonæos, & Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque, & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Iebusæos. *Quo loco fluuius Aegypti accipiendus est, non ipse Nilus, qui rigat & terminat Aegyptum ad Pelusium, sed Sihor fluuius qui spectat Aegyptum versus, quo definitur ad Gazan terra promißionis: quemadmodum id pluribus Scripturæ locis explicatur, & intelligitur etiam ex primi Paralip. cap. 13. 15. vbi dicitur:* Congregauit ergo Dauid cunctum Israel à Sihor Aegypti (qua spectat Aegyptum) vsque dum ingrediaris Emath, vt adduceret arcam Dei de Cariath-iarim.

Cæterùm multis Scripturæ sacræ locis declaratur, quinam Chananæorum populi fuerint ab Israelitis deleti. Sed id è duobus, quos proferemus, poterit intelligi. Vnus est Deuteronomij cap. 7. vers. 1. vbi hæc dicuntur: Quum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam ingrederis possidendam, & deleueris gentes multas coram te, Hethæum, & Gergesæum, & Amorrhæum,

Cha-

Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæũ, septẽ gentes multò maioris numeri quàm tu es, & robustiores te, tradideritq; eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas vsq; ad internecionẽ: non inibis fœdus cum iis, nec misereberis earum. *Alter locus est Iosue capite tertio, versu decimo, in hæc verba*: In hoc scietis, quòd Dominus Deus viuens in medio vestri est, & disperdet in conspectu vestro Chananæum, & Hethæum, & Heuæũ, & Pherezæum, Gergesæum quoque, & Iebusæum, & Amorrhæum. *Harum septem gentium sedes vbi fuerint in Cananæa, dici potest ex prælijs Iosue, quæ gesßit cum his populis. Harum autem sedes describuntur Numeri capite 13. versu 30. his verbis*: Amalec habitat in meridie: Hethæus, & Iebusæus, & Amorrhæus in montanis: Cananæus verò moratur iuxta mare, & circa fluenta Iordanis.

Pherezæi autem non memorantur in genere Chanaan, etsi recensentur inter populos Chananææ, deuotos à Deo, & internecioni adiudicatos. Itaque quod habetur Genes. 13. 7. Eo tempore Cananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa, in qua agebant Lot & Abraham: *videri poterit sic dictũ, vt Pherezæus intelligatur accesßisse nouus incola terræ Chanaan, qui fuerat præteritus in recensione prosapiæ ipsius Chanaan, quòd fortasse fuisset ortus ex aliquo po strorum Chanaan.*

Ex posteris igitur Chanaan vndecim memoratis,

quinque fuerunt excisi, cum ipso generis principe Chanaan, qui de suo nomine vnum constituerat, ab alijs distinctum & diuersum populum. Ii verò sunt Hethæi, Heuæi, Gergesæi, Iebusæi, Amorrhæi, quibus accesserũt Pherezæi.

Sidon in cæteris liberis Chanaan notus est, qui pertinuit ad tribum Aser, & finiuit terram promissam promontorio sui litoris, quod Sacra scripta vocant Hor, vt est Numer. 34, 7. vbi Latinus interpres dixit montem altissimum, pro Hor monte, siue promontorio. Reliquorum liberorum Chanaan rara est in Scriptura mentio, præterquam Hemath, qui nomen dedit Hamathæis.

Sinæus videtur fuisse incola deserti Sinai, quòd par & similis appareat in vtroq; nomine orthographia.

Aradius dicitur Hebraicè ארודי *Aruadæus, is Arado insulæ videtur dedisse nomẽ, cuius fit mensio Ezechielis 27, 8. in deploratione excidij Tyri.*

Aracæus qui est Hebraicè ערקי *Arcæus, dicitur condidisse Arcen oppidum, quod est è regione Tripolis, ad radices montis Libani.*

Samaræus dicitur Hebraicè צמרי *Tzemari, Tzamaræus. is fortasse (nam nihil præter coniecturã habemus) potuit dedisse nomen vrbi* צמרים *Tzemaraijm, id est, Samaraim, quæ est tribus Ben-iamin: vt est Iosue cap. 18, 22. Est & Samaraijm eadem orthographia, in monte Ephraim, cuius fit mentio 2. Paralip. 13, 4. quam perperam Latinus dixit Semeron.*

Hamathæus dicitur Hebraicè חמתי *Hamathi. quod quidem est nomen gentile, deductum ab* חמת *Hamath, quem nostri partim sine aspiratione dixerunt Emath,*

partim

partim cum aspiratione Hemath. Interdum enim quum Latini, tum Græci, quando nomina deducũt ex Hebræo fonte in suum vsum, & ea reuocant ad suam rationem, commutant Heth, in E tenue. Inde ex חוה *Haua, dicunt Eua: ex* חנוך *Hanoch, Enoch: ex* חוילה *Hauila, Euila: ex* חמור *Hamor, Emor. Qua ratiõe ex* חמת *Hamath, dixerunt Emath: quæ scriptura siue literatura frequentior est, quàm cum aspiratione. Iosephus autem & Hieronymus putarunt Emath esse Antiochiam, cognomine dictam Epiphaniam, manifesto errore, & ignoratione, aut certè incuria geographiæ. Nam Antiochia Epiphania posita est inter Orontem & Marsyam amnes: qui nihil pertinent ad terram promißionis. à qua etiam longè sunt remoti. Cæterùm Zieglerus vir doctus & de Geographia bene meritus, in sua Palestina, interpretatus est Emath, Ituræam, idq; bona ratione: quandoquidem intelligimus ex Sacris scriptis, Emath sitam esse post Libanum Scripturæ, qui est Antil.banus Septuaginta, Damascum versus, ad Trachonos montes, qui pertinent ad montana Galaad, in quam partem spectat Ituræa. Atque id ex limitibus terræ promissæ, quæ proponuntur Numerorum capite 34. potest intelligi. Neq; verò est quod sequamur superiores autores, Iosephum dico & Hieronymum, qui censent Emath pertinuisse ad tribum Nephthali, & propterea esse in terra promißionis. Nam multa sunt quæ id falsum esse conuincunt: & primùm locus ille qui habetur Iosue capite 13. 5. id aperit, vbi hæc dicuntur:* Libani quoq; regio contra Orientem (nondũ diuisa est) à Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris

Emath, *id est*, Hebraicè, עד לבא חמת *ad Iebo Hamath, hoc est, vsq; ad confinia Ituraeæ, quæ limitem terræ promissæ definiunt. Præterea autem 1. Paralipom. cap.18. 10. mittit Tobu rex Emath, filium suum Adôram, ad regem Dauid, vt de pace cum eo ageret, atq; illi gratularetur de victoria, quam obtinuerat victo et percusso Adar-ezer. Non fuisset autem passus eo tempore Dauid, tanto rerum successu, & Dei fauore illum comitante, terras ad Israelem pertinentes ab alienis occupari. Nec passus fuisset Tobu regnare in Emath, si ea pertinuisset ad Israelitas. Et quòd ad Salomonẽ attinet, qui dicitur 2. Paralipom. cap. 8. 3. abijsse in Emath-soba, & eam occupasse, id ex ea historia quæ est 1. Paralip. cap. 18. est intelligendum: nempe Salomonem, victam à patre regionem sibi vindicasse: quandoquidẽ Dauid percusserat Adar-ezer regẽ Soba, regionis Emath, quum pergeret vt dilataret regnum suum, atque id proferret vsque ad Euphratem. Interim autem intactam reliquit Emath, quam tenebat Tobu. Ea autem Emath videtur pertinuisse ad Syriam Damasci, sicuti possumus ex Ieremia colligere, qui cap. 49. 23. ita inquit:* Ad Damascum (hæc dicit Dominus) Confusa est Emath, & Arphad, quia auditum pessimum audierunt. Turbati sunt in mari, *(id est, turbati sunt eorum more qui in alto nauigantes, naufragium ex tẽpestate sibi instare vidẽt)* præ solicitudine quiescere nõ potuit. Dissoluta est Damascus, versa est in fugam, tremor apprehẽdit eam: angustia & dolores tenuerunt eam, quasi parturientem. *Ita Emath vicina est Damascenæ regio-*

ni,

ni, quam Hieronymus putauit pertinere ad tribum Nephthali, vbi erat iuxta sortem filiorum Israel: eo falsus quòd quidem scribitur Iosue cap. 19. 35. quod ita habet in Latina versione: Ciuitates munitissimæ, Assedim, Ser, & Emath, & Cenereth. Quo loco pro Emath, ponitur Hebraicè חמת Hammath: quod Septuaginta animaduerterunt, & dixerunt Ἀμμὰθ, non autem Emath, vt solent dicere vbi scribitur חמת Hamath. Quæ duo nomina orthographia differunt in Hebraismo. quod nō animaduersum fefellit Hieronymum, & alios minus ad scripturam Hebraicam attentos. Itaq; Hammath, siue Ἀμμὰθ ex חמת Hebræo, est vrbs tribus Nephthali, sed Emath, id est, חמת est Ituræa, limes terræ promissæ, qua vergit ad Damascum.

Expositis Iapheti & Chami liberi, posteri Sem explicandi veniunt, quem Scriptura sacra postremo constituit loco, dum eius posteros recenset: non quòd postremus sit in filijs ipsius Noe, sed quòd deinceps historiam familiæ ipsius Sem persequi & contexere velit, atque in ea commorari. Est enim Sem generis Hebræi parens, & gentis Hebraicæ autor, & sator, quæ postea dicta est Israelitica. In qua gente Deus promissiones suas de salute generis humani per Christum suum, tanquam depositas & conseruatas, agnosci voluit. Genesis autem cap. 10. 11. genus Sem ita describitur: Filij Sem Ælam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram. Hos quinque liberos Semi memorat Scriptura sacra, è quibus duorum tantùm genus describit, Aram scilicet, atque Arphaxad. Vnde intelligimus reliquorum nomine multas &

varias gentes contineri, qui sua posteritate Orientem totum propè compleuerint.

AElam, qui primus in filijs Sem ponitur, nomen dedit AElamitis, à quibus sunt oriundi Persæ, qui nomen AElamitarum posterioribus temporibus obscurarunt, constituto Persico imperio, post ruinam imperij illius aurei Babylonici, quod sub Nabucodonosore constitutum voluerat Deus. Susa autem quam Sosan Scriptura nominat, Persarum fuit regia, in regione AElam, vt est Danielis cap. 8. 2. vbi hæc dicuntur: Vidi in visione mea, quum essem in Sosan castro, quod est in Ælam regione. *Ex quo intelligimus Persas pertinere ad regionẽ AElam, quæ dicitur* עילם *Hebraicè. Septuaginta verò detracto Aijn dixerunt* Αἰλὰμ, *quos secutus est Latinus interpres. AElamitas autem quos Scriptura dicit in Actis Apostolorum cap. 2. 9. ab AElam, Geographi prophani vocant Elymæos, & eorum terram Elymaidem, eam distinguentes à Perside. Sed illi vtuntur sua ratione, ignorantes Scripturarum sacrarum historias, quas confuderunt, & ignorantia sua deprauarunt.*

Assur secũdus in filijs Sem dedit nomẽ Assyrijs, quorum florentes opes, & diuturnum imperium prophana memoratur historia. Sed verendum est ne prophani historici, præcipuè verò Herodotus, Ctesias, Diodorus Siculus, & alij quoq;, plus sibi licentiæ in eo imperio describendo sumpserint, quàm par fuerit. Nam vt fuerint florentes Assyriorum opes, non tamen tantæ & tales fuerunt, quantas illas fuisse prædicant historici prophani. quos Scripturæ sacræ testimonio, & prophanorum,

id est,

id est, sui ordinis historicorũ autoritate coarguere possumus. Scriptura enim, quum maximè florẽtes Aßyriorum res & opes proponit, quod potißimùm sub Sennacherib contigit, eas tantùm gentes proponit quæ Taurum montem vix attingant, & tamen insolẽtius ibi suas & maiorum suorum victorias prædicat Sennacherib, cuius potens imperium, quod veluti ad summum peruenerat, non ita longo post tempore corruit destructum à Nabucodonosore, & in seruitutem Babyloniorum reductum, quemadmodum ex Historia sacra discimus. Sic autem de suis & maiorum suorum præclarè gestis rebus & victorijs verba facit Sennacherib, apud Esaiam prophetã, cap. 37. 11. Ecce tu audisti, (ô Ezechia) omnia quæ fecerũt reges Assyriorum, omnibus terris quas subuerterunt, & tu poteris liberari? Nunquid eos eruerunt dij gẽtium, quas patres mei euerterunt? Gozan & Haran, & Reseph & filios Edẽ, qui erãt in Thalassar. Vbi est rex Emath, & rex Arphad, & rex Sepharuaim, Ana & Aua? *Hæ sunt victæ ab Assyrijs gentes, ad ea tempora, quibus maximum fuit Assyriorum imperium: quæ omnes gentes, vt ex Scripturis sacris intelligimus, non excedunt fines Syriæ, quã propè totam occuparũt eo tempore Assyrij, excisa Damasco & Samaria: item rebus AEgyptiorum per Assyrios afflictis, vt ex vaticinijs Ieremiæ, Esaiæ & Ezechielis constat. Quare accedendum est potius Dionysij Halicarnassæi sententiæ, quàm alijs auscultandum. Is enim vero propiora, & Scripturæ sacræ magis consentanea dixit de Assyrio imperio, libro Antiquitatum primo,*

quo hæc inquit: Antiquum illud Assyriorũ imperium, retro ad fabulosa vsque pertingens tempora, modicam quandam Assyriæ partem obtinuit: hoc in Medos translatum, & auctum etiã opibus non longo durauit tempore, in quartam ætaté desinens. Persæ porrò Medis deuictis, Asia quidẽ penè tota potiti sunt. *hæc Dionysius. Cuius testimonio cæteris fides detrahi potest, præsertim quum eodẽ tempore, quo mira de Assyrijs dicuntur, imperia hæc florerent (præter Israeliticum sub Dauide & Salomone) Syriacum, Babylonicum, Arabicum & AEgyptiacum, quæ versantibus Sacra scripta nota sunt.*

Arphaxad tertio loco memoratur in filijs Sem, cuius postea genus ad Abrahamum deducitur, capite Genesis vndecimo. Nostri sequuti Iosephũ existimãt Chaldæos ab eo duxisse originem, qui ex ea ratione olim dicebantur Arphaxadæi. Sed nihil tale docet Scriptura sacra: qui verò hæc prodiderunt, possunt videri eo moti, quòd in Arphacsad, thema à quo deducuntur Chaldæi appareat. Nam Chaldæi dicũtur Hebraicè כשדים *Casdim: vnde Casdæi & Chaldæi, permutatione & affinitate literarum transeuntium in proximas literas, dicti sunt. Singulare autem est* כשדי, *Casdi, à* כשד: *quibus literis partim constat vox Arphacsad: ita enim scribitur Hebraicè, pro quo nos diximus Arphaxad.* ארפכשד *Arphacsad.*

Lud quarto loco ponitur in liberis Sem, à quo Lydos Asiæ minoris populos volunt deductos & appellatos, nominis sono id quodam modo arguente & denotante.

tante. Est autē alius ab hoc inter posteros Misraim nominatus Lud, à quo Ludum iam dicti in prosapia Cham sortiti sunt appellationem: qui quidem Africæ sunt incolæ, & ad aliam orbis partem pertinent. Hic verò Lud filius Sem alias omnino à priore sedes obtinuit, vt qui alterius gentis & generis fuerit. Itaque apud Esaiam cap.66.19. Tarsis, Phut, & Lud iunguntur, deinde Tubal & Iauan, qui sunt Asiæ incolæ. Latinus autem interpres pro Phut, dixit eo loco Africam: falsus vocis alterius affinitate quæ est Phut. Quam vocem Nahum capite tertio, versu nono reddidit Latinus Africam: quemadmodum antea Phutæi dicti sunt esse Africani. Ezechielis tamen cap.27.10. iungũtur Paras, Lud, & Phut, qui eo loco dicuntur Tyrijs militasse. Sed vidētur Tyrij externo vsi milite & mercenario, diuersis admodum vsi nationibus: eodem fortasse more, quo nostri reges, qui Germanos, Italos, Scotos & Gallos, gentes lingua moribus & habitu differentes, secum in bella ducant. Sic veteris historiæ reges, milite vsi sunt Gallo, Thrace & Græco plerunq;. Itaq; pari ratione videntur apud Tyros militasse Paras, id est, Persæ, Phut, hoc est, Libyes siue Afri, & Lud, id est, nisi fallimur, Lydi, qui ante Cyri de Crœso victoriam, bellicæ virtutis gloria fuerunt illustres.

Aram quintus nominatur in filijs Sem, à quo variæ postea sunt gentes ortæ, quæ partim Syriorum nomine dictæ sunt à Græcis, partim in aliorum populorum nobis ignotorum nomen concesserunt. Scriptura autē sacra variè partitur Aram, in terras ab eo insessas atq; occupatas. nã frequens est in Scriptura sacra mētio Aram

Naharaim. Præterea est alia Aram, quæ cognomen habet Padan: itẽ aliæ sunt ab his regiones, Aram Damasci, Aram Naacat, Aram Soba, Arã Rohob, quæ omnes regiones videntur ad Mesopotamiam, & Cœlesyriam, atque superiorem Syriam̃ pertinere. Fit autem mentio Aram Naharaim, *id est,* Aram *fluuiorum, siue Aram interamnis, vt dixit Marcellinus, quam Mesopotamiam Græci dicunt, quòd media sit inter Euphratem & Tigrim.* Deuteronomij *cap. 23. 4. vbi ita dicitur:* Quia conduxerũt Balaam filium Beor de Pethor, Aram Naharaim: *quod Latinus conuertit, de Mesopotamia Syriæ. et Iudic. cap. 3. 8. dicitur,* Chusan Rasathaim rex Aram Naharaim, *quem Latinus interpres nominat regem Mesopotamiæ. qui vers. 10. eiusdem capitis dicitur, sine adiuncto, rex Aran, & à Latino* Rex Syriæ. *Genesis autem cap. 28. 2. mittitur Iacob à patre suo Isaac in Padan Aram, id est, in Mesopotamiam Syriæ, quæ capite sequenti 29. Genes. dicitur terra filiorum Orientis.* Et *Genesis cap. 33. 18. posteà dicitur Iacob reuersus incolumis de Padan Aram: quam Latinus dixit Mesopotamiam Syriæ: quemadmodum eam regionem sunt interpretati Septuaginta. Quare eadem regio videri potest esse Aram Naharaim, id est, Syria fluuiorum, siue interamnis Syria, quæ est Græcis Mesopotamia: et Padan Aram, aut certè Padan erit nomen certæ regionis in Mesopotamia, vt colligi potest* ex Genes. 48. 7. *vbi inquit Iacob:* Quum redirem de Padan Aram, Rachel mortua est in terra Canaan. *Cæterùm Aram Damasci fit mẽtio 2. Reg. 8. 6. Item Aram Naaca, 1. Paralip. 19. 6. Adhæc 2.*

Regum

Regum memoratur Aram Soba, & Aram Rohob. quæ regiones videntur esse Syriæ, longius paulò remotæ à Peræa, id est, regione Galaad, quæ est duarum tribuum, Ruben & Gad, & dimidiæ tribus Manasse.

Filij Aram sequuntur, qui his nominibus dicuntur, Genes. cap. 10. 23. Hus, & Hul, & Geter, & Mes. Ex his quatuor, vnum ex Scriptis sacris nouimus, nempe ex historia Iob, qui eam regionem tenuit, cuius posteà fuit Iobus incola, quæ dicta est ab eius nomine Hus. Iob. 1. cap. 1. Vir fuit in terra Hus, Iob nomine. Vbi verò terrarum fuerit regio Hus, discimus ex Ieremiæ Lamentationibus. In quibus capite 4. 21. dicitur: Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix, inebriaberis atq; nudaberis. Septuaginta autem interpretes & Latinus, hoc loco vocem Hebræam reliquerunt, quemadmodum & in Iobi historia. Sed Ieremiæ cap. 25. vers. 20. pro regibus terræ Hus, Latinus dixit reges terræ Ausitidis. Est igitur Hus regio Syriæ vel Arabiæ, quæ dicitur Scenitis, cuius pars est Idumæa, vergens ad Chaldæam & Sabæam, vt ex ipsa Iobi historia apparet, quũ Chaldæi & Sabæi bona Iobi deprædentur.

Hul, Gether, & Mes, quibus locis consederint, aut quas regiones occuparint, ex Scriptura discere non possumus. Itaq; nihil certi de his proferre possumus, quos alijs propterea disquirẽdos relinquimus, inter ipsas Syriæ regiones, multis & varijs nominibus & locis, ac tetrarchijs distinctas.

Arphaxadi posteritas posteà describitur Genes. cap. 10. 24. hoc modo: At verò Arphaxad genuit Sale

de quo ortus est Heber. Natique sunt Heber duo filij: nomen vni Phaleg, eo quòd in diebus illius diuisa sit terra: & nomẽ fratris eius Iectan, qui Iectã genuit Elmodad, & Saleph, & Asarmoth, & Iare, & Adorã, & Vzal, & Decla, & Hebal, & Abimael, & Saba, & Ophir, & Heuila, & Iobab, omnes isti filij Iectan. *Horum verò parens Heber, alio loco dictus est nobis, scilicet lib. 3. c. 3. de quo propterea nihil hic dicemus.*

Iectan duos habet in sua familia eiusdem nominis, cũ filijs Chus, qui sunt Saba & Heuila: sed hi distinctas & diuersas à superioribus familias constituerunt: quemadmodum id Scriptura innuit, quæ liberos Iectan ait regiones obtinuisse, quæ sunt à Messa, pergentibus ad Sephar montem Orientalem, id est, montana Sephar petentibus, quæ sunt in Oriente. Cæterùm vt posteri Chus, Saba, & Schaba, Sabæos de se progenuerunt porrectos ad vtraque maria, quibus Arabiæ cinguntur latera, ita Saba filius Iectan, præterea Saba is, qui in filijs Abraham ex Cetura natus, idem etiam sortitus est nomen, Sabæos de se ortos reliquerunt. Et Saba quidem Abrahamo natus ex Cetura, videtur Sabæos Persis proximos constituisse, quos Dionysius De situ orbis, hoc versu cõmemorat:

Πρῶτα σάβαι, μετὰ τοὺς πασαγάρδαι, ἄγχι δὲ τάοκοι.

id est,

Primùm Sabęi, post hos sunt Pasagardę, prope verò hos sunt Tasci. *qui Persidis sunt populi, ad quas concessisse videtur Saba Abrahami: quòd is cum cæteris fratribus dicitur emissus ab Abrahamo ad plagam*

gam Orientalem. At verò Saba filius Iectan, videtur longius progressus, Sabæos Indicos progenuisse. Sunt enim & in India Sabæi, quorum meminit in descriptione Indiæ Dionysius De situ orbis, eo versu:

Τῶνδε μέσοι ναίουσι σάβαι, καὶ ταξῖλοι ἄνδρες. id est,

Horum medij habitant Sabæi & Taxij viri.

Itaque varia populorum Sabæorum esse genera mirum videri non debet, quum varia familiarum illarum, siue gentium capita memoret Scriptura; & diuersas eodem nomine gentes agnoscat prophana historia. Iosephus autem censet hos omnes posteros Iectan, regiones occupasse quæ sunt à Cophene flumine Indiæ, vsq; ad Aßyriam. quod cur ita censeat alijs æstimandum relinquo. Cæterũ fluminis Cophenes meminit Eustathius, interpres Dionysij geographi, qui libellum de situ orbis conscripsit: qui fluuium Cophen à Dionysio, in descriptione Indiæ positum, ait vocari Cophonem ab Aristotole libro de rebus gestis Alexandri quinto. Strabo verò lib. 15. Cophen eum nominat fluuium, qui Choaspem recipit, & paulò pòst ait, post Cophen fluere Indum.

Ophir nominatur pluribus locis in Scriptura, propter auri quod eius regio habuit præstantiam. Ab Ophir autem aurum quod defæcatißimum & purißimum est, dictum volunt obrizum q. d. ophirizum, tanquam ab Ophir insula petitum. In historia autem Salomonis, quomodo peteretur Ophir, & quantæ inde adueherentur opes, declaratur 3. Reg. 9. 26. in hanc sententiam: Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est iuxta Ailath in littore maris rubri in terra Idumææ. Misitque

Hiran in classe illa seruos suos nauticos, & gnaros maris cum seruis Salomonis. Qui cũ venissent in Ophir, sumptum inde aurũ quadringentorum viginti talentorum detulerũt ad Salomonem. *Fit etiam mentio auri Ophir Iobi cap. 22. 24. Item Psalmo 45. 10. quibus locis Latinus interpres et Septuaginta sumpserunt Ophir, non pro nomine proprio, sed appellatiuo. Chaldæus autem paraphrastes proprium esse nomen intellexit, & propterea reliquit Ophir. Item 1. Paralip. 29. vbi Dauid cõgestam à se, pro ædificatione* Templi, *materiem filio proponit, sic ait vers. 4.* Tria millia talenta auri, de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes Templi. *Cæterùm vbi sit Ophir, & quod nomen habeat hodie, dicere non possumus, quanquam ex nostrorum nauigationibus discimus auriferam quandam esse insulam in Oceano noui orbis, quã uocant Zaffala, ex qua vis auri infinita petitur, quòd ibi sint aurifodinæ fertiles, & faciles effossu. Ea autem insula non sine periculo petitur, pyratarum ratione, qui auro, et ijs qui aurum exportant, insidiantur. Sit autem Ophir, Zaffala necne, aut Taprobana, aut alia Oceani Æthiopici, vel Indici insula, pro certo affirmare non possumus. Reliquorum filiorum Iectan nihil ad nos certi, præter nuda nomina ex Scriptura peruenit, quamobrem illa prætermittimus vt nobis incognita.*

Antequam autem locum ad geographiam pertinentem concludimus, non est id prætereundum quod Iosephus prodidit de liberis Abraham ex Cetura susceptis,

contra

cõtra Scripturæ ſacræ autoritatem, in quo vt falſa prodidit, ita multos fefellit, & in errorem induxit. Ait enim illos regionem Troglodyticam occupaſſe, & quidquid Arabiæ fœlicis pertinet ad Mare rubrum. At Scriptura ſacra de his ita loquitur Geneſ. 25. capite: Et dedit Abraham cuncta quæ poſſederat Iſaac, filijs autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo, dũ adhuc ipſe viueret, ad plagam Orientalem. Hæc de poſteris Abrahami, qui non comprehenduntur Hebræorum nomine, inquit Scriptura. Quantum autem diſtet plaga Orientalis, quæ ita dicitur reſpectu loci, quem incolebat Abrahamus, à Troglodytica regione, nihil attinet hic pluribus dicere: quum Troglodytica regio ſit in Africa, proxima Æthiopibus: Orientalis autem plaga, de qua agitur in hac hiſtoria, ſit ea mundi ora, quæ ſpectat ad Chaldææ plagam Orientalem, & ad Perſidem, à qua Magi profecti, dicuntur veniſſe ab Oriente, Ieruſalem. Illud quoque quod Ioſephus tradit de Africæ appellatione, quàm ſit nugatorium, ex hac hiſtoria apparet. Ait enim Epher filium Madian Abrahami nepotem quem Aphren nominat, petijſſe cum exercitu Libyam, ibiq; poſteà conſediſſe, & mutato nomine, Libyam ipſam poſtea dictam fuiſſe ab illo Aphricam, quũ ex Scriptura ſciamus Madian cum ſuis liberis Arabiæ partem tenuiſſe, proximam terræ promiſſionis.

Atque hæc quidem habuimus quæ de poſteris Noe diceremus, quos Deus à terra Sennaar, aggreſſos conſtructionem turris Babylonicæ diſperſit in varias mundi plagas, ad complendum habitatoribus orbem ipſum.

Et vt plures in hac orbis partitione, veterũ errores demonstrauimus, Dei verbo nos ad id deducente, ita non est prætereundus nostrorum error, qui recentiorũ Geographorum autoritate confirmatus, in pluribus hæsit codicibus de Melita insula vicina Siciliæ, ad quam naufragio eiectum fuisse Paulum Apostolum existimãt: quũ ex ipso Scripturæ sacræ contextu in aliam longè insulam, ab ea quæ vulgò creditur, fuisse expulsum discimus. Et ne in hac re longiores simus, et quum noua proferamus, aliena videamur à vero dicere, age spectemus ipsius Scripturæ sacræ verba, Actorum cap.17, Centurio, cui traditus fuerat Paulus deducendus Romam, plus fidei nautis habuisse quàm Paulo, suadenti vt hibernarent in Creta. vnde naufragium eo capite descriptum contigit, quo declarat Apostolus omnes in quandam insulam eijciendos, vt habetur vers. 26. Insequenti autem versu 27, docetur quartadecima nocte, ex quo iactari tempestatibus cœperant, eos fuisse in mari Adriatico, in quo naui fracta eiecti fuerunt omnes in insulam eius maris Adriatici, quam intelligunt postà dici Melitam. Est ergo Melita insula, in quam cum reliquis qui vehebantur eadem naui, fuit eiectus Paulus, in mari Adriatico. in quo Ptolomæus post Corcyram, quæ veluti fauces Adriatici sinus occupat, collocat Melitam aut Meladam, quæ longè alia est ab eiusdem nominis insula Melita, quam dicimus hodie Maltham: quæ quidem in mari Africo versus Siciliam iacet. Quod autem induxit Geographos huius temporis, & nostrorum plerosque, vt crederent Apostolum Paulum naufragio eiectum fuisse in Melitam insulam, quam Maltham hodie

vocant,

vocāt, id opinor in causa fuit, quòd nō intellexerūt quid valeret vox Syrtis, quæ versu eius capitis 17. ponitur, vbi dicitur: Timētes ne inciderēt in Syrtim. Existimarūt autem syrtis vocabulū eo loco pertinere ad eos sinus Africæ periculosos & vadosos, quibus Syrtium est nomē. atq; ita esse declarant annotationes in eū locum, quæ dicit Syrtim esse sinum in Africa. Id verò quum sibi persuasissent, putauerūt Apostolū fecisse naufragium in mari Africo, atq; inde fuisse delatū in Melitā eam, quæ in illo mari est sita, & tamen inde abijt lōgißimè, vt debuerit potius eijci in Africæ litus, quàm deferri inde ad Melitā. Sed debuerant spectare contextū v. 27, quo disertè docetur naufragiū contigisse in mari Adriatico, quod longißimè abest ab Africo. Et quòd ad vocem syrtis attinet, intelligendum est syrtim significare loca vadosa, in quæ pulsa nauigia postea absorbentur: dicitur enim σύρτις à Græco verbo σύρω, id est, traho. Nam eiusmodi loca destituta aquæ copia, veluti trahunt & retinent ad se pulsas naues, quas tandem absorbent, arena ipsa cedēte ponderi more luti, & terræ dilutæ multa aqua, quæ pondera ipsa admittit & recipit, atq; intra se recondit. Quia verò in illis sinibus prætentis litori Africæ, talia sunt pericula, ijs Syrtis minoris & maioris appellatio est tributa. Sed in hac historia naufragij Melitensis, vox syrtis non est loci nomen proprium, sed nomen est appellatiuum, quo periculum loci vadosi designatur in mari. Quod quidem ex Virgilij versu, potest intelligi: vbi voci Græcæ Latina est coniuncta idem significans:

In breuia & Syrtes vrget &c.

Syrtes enim sunt vadosa loca. qua voce Latina reddenda est hoc loco Græca, et tollenda de sinu Africo annotatio. & pro, Timentes ne in Syrtim inciderent, *vertendum est, Timentes ne in loca vadosa inciderent.*

Præterea tabulæ Geographicæ quibus exponi solet illa Pauli Apostoli nauigatio & deportatio Romam, sunt emendandæ, & à Clauda insula nauis est deducēda in sinum Adriaticum, *non autem in Africi litoris sinus: & in litore Melitæ insulæ, quæ est post Corcyram naufragium depingendum est. Esse verò Melitam insulam in mari Hadriatico, præter Ptolemæum & Stephanum, Plinius quoq; author est, inquiens:* Ab his Corcyra Molæna cognominata & inter quam & Illyricum Melita. *Ea verò est Melada quæ non est ignota nostris Geographis.*

Atque hæc quidem De origine Gentium dicta sufficiant, simulq; Chronico nostro finem imponemus, cum Deo, cui honor & gloria in secula seculorum, Amen.

FINIS.

INDEX IN CHRONICON MAT. BEROALDI CVIVS SINGVLÆ paginæ annos triginta continent.

Temporum, quæ hoc Indice continentur summaria partitio.



B orbe condito, ad diluuium, sunt anni 1656.
A diluuio, ad discessum Abrahami ex Carris vrbe Mesopotamiæ, anni sunt 427.
Ab eo tempore vsque ad Legem promulgatam à Deo, in monte Horeb, anni sunt, 430.
A Legis promulgatione, ad fundatum templum Salomonicum, anni sunt 480.
A fundato Salomonico templo, ad transmigrationem Babylonis, anni sunt 408.
A transmigratione, ad reditum populi Dei in terram Iuda, anni sunt 70.
A liberatione Babylonica, ad Christi Domini natalem diem, anni sunt 457.

Summa horum annorum est 3928.

A nato Domino, ad hæc tempora numeran-

tur anni 1575.

Summa annorum ab orbe condito, ad annum Domini 1575. est 5503.

Ab orbe condito ad diluuium ita numerantur anni 1656. à Sacra scriptura.

Adam vixit annos 130. & genuit Seth. 130.
Seth vixit annos 105. & genuit Enos. 105.
Enos vixit annos 90. & genuit Cainan. 90.
Cainan vixit annos 70. & genuit Malaleel. 70.
Malaleel vixit annos 65. & genuit Iared. 65.
Iared vixit annos 162. & genuit Henoch. 162.
Henoch vixit annos 65. & genuit Mathusalam. 65.
Mathusala vixit annos 187. & genuit Lamech. 187.
Lamech vixit annos 182. & genuit Noe. 182.
Noe erat annorum 600. quum fuit diluuium. 600.

Summa horum annorum est 1656.

A diluuio, ad promissionem factam Abrahamo, quum discedit Carris, anni sunt 427. qui ita recensentur in Scriptura sacra.

Sem biennio post diluuium genuit Arphaxad. 2.
Arphaxad vixit annos 35. & genuit Sale. 35.
Sale vixit annos 30. & genuit Heber. 30.

Heber

Heber vixit annos 34. & genuit Phaleg. 34.
Phaleg vixit annos 30. & genuit Reu. 30.
Reu vixit annos 32. & genuit Sarug. 32.
Sarug vixit annos 30. & genuit Nachor. 30.
Nachor vixit annos 29. & genuit Thare. 29.
Thare vixit annos 130. & genuit Abrahã. 130.
Abraham natus erat annos 75. quum discessit Carris vrbe Mesopotamiæ. 75.

Summa horum annorum est 427.


Sic ab orbe condito ad discessum Abrahami ex Carris, anni sunt 2083.

Quia verò Abrahami tempora, nostri chronographi componunt cum temporibus Nini, qui primus nactus est scriptores, vt ait Diodorus Siculus, annos sigillatim exponere ordimur, à primis annis Abrahami. Septennio ante illum sumpto, vt deinceps annorum quinquagenorum & centenorum, per singula folia constet ratio.

ANNI MVNDI.

		2001	
		2006	Noe moritur anno vitæ 950. post diluuiũ anno 350
1	Abraham nascitur, vixit annos 175. Gen. 25.	2008	
2		2010	
3			
4			
5			
10			
		2020	
		2026	Reu moritur anno vitę 239
20			
		2030	

ANNI MVNDI.



Abraham.

30

2031

2040

40

2049 Sarug moritur ann. ætatis 239.

2050

50

2060

	Abraham.	2061	
60			
		2070	
70			
		2080	
75	Abrahã euocatur ex Carris, repetita promissione de benedicendis in eius semine omnib. Gentibus	2083	Thare moritur anno vitæ 205.
80			
		2090	

ANNI MVNDI.

	Abraham.	2091	
	Agar fit socia thori Abraham.	2093	
	Ismael nascitur Abrahamo ls anno. vixit 137. Gen. 25.	2094	
		2096	Arphaxad moritur an. 438
90			
		2100	
		2101	
		2107	Sodoma & Gomorrha igne cœlitus demisso absumuntur. Gen. 19.
100	Isaac nascitur. vixit annos 180. Gen. 35.	2108	
		2110	AMMON & MOAB nascuntur.
	Ismael & Agar pelluntur domo Abrahami.	2113	
110	Vitæ Abraham ann. vicesdecim.		
		2119	

ANNI MVNDI.

	Abraham.	2120	
			Sale moritur an. vitæ 433.
		2126	
120			
		2130	
130			
		2140	
			Sara moritur anno vitæ 127, Genes. 23.
		2145	
140	Rebecca nubit Isaaco quadragenario. Genes. 25.	2148	

ANNI MVNDI.

142	Abraham.	2150	
150		2158	Sem moritur an. vitæ 600.
		2160	
160	Iacob & Esau nascuntur. Gen. 25.	2168	Iacob vixit an. 147. Ge. 47.
		2170	
170			
171			

ANNI MVNDI.

172		2180	
173			
174			
175		2183	Abrahã moritur. Gen. 25.
		2188	Heber moritur anno vitæ 464.
		2190	
		2200	

2210

2220

2230

Ismael moritur. Genes.25.

ANNI MVNDI.

	Anni	
	2240	
Iacob confert se ad Laban anno ætatis 77.	2245	
	2250	
Lia & Rachel dantur vxores Iacobo.		
Filii Liæ Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Issachar & Zabulon.		Filii Balæ ancillæ Rachel Dan & Nephthali.
Filii Zelphæ ancillæ Liæ Gad & Aser.		Filii Rachel Ioseph & Beniamin.
	2260	
Iacob discedit à Laban anno vicesimo ex quo illum adierat.		
	2270	

ANNI MVNDI.

	2271	
	2280	
	2288	Isaac moritur anno vitæ 180. Genes. 35.
	2390	
Jacob descendit in Aegyptum natus annos 130. Genes. 47.	2298	
	2030	

2301

2310

2315 Iacob moritur in Aegypto anno vitæ 147. Gen. 47.

2320

2330

ANNI MUNDI

2331

2340

2350

2359

ANNI MVNDI.

2360	
2369	Ioseph moritur anno vitæ 110. Gen. 50.
2370	
2380	

2390 Leui moritur anno vitæ 137. Exod. 6.

2400

2410




ANNI MVNDI.

		2420
		2430
	Moyses nascitur.	2433
1		
2		
3		
4		
5		
		2440
10		

ANNI

17	Moses
18	
19	
20	
30	
40	

ANNI MVNDI.



17	Moses.	2450	
18			
19			
20			
		2460	
30			
		2470	
40			

ANNI MVNDI

	Moyses.	2480
50		
		2490
60		
67		2500
68		
69		
70		
71		
72		
73		
74		
75		
76		

77	Moyses.	2510	
78			
79			
80		2513	Lex promulgatur Dei voce anno 430. à promissione. Gal. 3.
81	Moyses educit Israelem ex Aegypto.		
82	Srrores quadraginta annorum incipiunt anno Mosis, 81.		
83			
84			
85			
86			
87		2520	
88			
89			
90			
		3530	
100			

	Moyses.	2540	
110			
		2550	
117			
		2551	
120		2553	Moses moritur anno vitæ 120. Deuter. 34.
1	Iosue præest populo Dei annis 18.	2554	
2			
3			
4			
5			
6			
7		2560	
8			
9			
10			
11			
12			
13			
14			
15			
16			


ANNI MVNDI.

17		2570			
18	IVDICES.	2571	Iosue moritur anno vitæ		
1	Othoniel præest ann.40.		110. Ios.24.		
2	Iudic.3.				
3					
4					
5					
6					
7					
8					
9		2580			
10					
11					
12					
13					
14					
15					
16					
17					
18					
19		2590			
20					
21					
22					
23					
24					
25					
26					
27					
28					

ANNI MVNDI.

29	— — —	2600	— — —
30	— — —		— — —
31	— — —		— — —
32	— — —		— — —
33	— — —		— — —
34	— — —		— — —
35	— — —		— — —
36	— — —		— — —
37	— — —		— — —
38	— — —		— — —
39	— — —	2610	— — —
40			— — —
1	Aod vel Ehud præest annis 80. Iudic. 3.		— — —
2			— — —
3	— — —		— — —
4	— — —		— — —
5	— — —		— — —
	— — —		— — —
	— — —		— — —
	— — —		— — —
	— — —	2620	— — —
10	— — —		— — —
	— — —		— — —
	— — —		— — —
	— — —		— — —
	— — —		— — —
	— — —		— — —
	— — —		— — —
	— — —		— — —

ANNI MVNDI.



ANNI MVNDI.




	Aod.	2660	
50			
		2670	
60			
		2680	
70			

ANNI MVNDI.

		2690
80		
1	Barac & Debora, annis 40. Iudic.5.	2692
2		
3		
4		
5		
6		
7		
8		
9		2700
10		
		2710
20		

ANNI MUNDI.

		2720	
30			
		2730	
40			
1	Gedeon. ann. 40.	2732	
2			
3			
4			
5			
		2740	
10			



19	Gedeon.	2750	
20			
		2760	
30			
		2770	
40			
1	Abimelech an.3.Iud.9.		
2			
3			
1	Thola ann.23.Iudic.10.		
2			
3			
4			
5			



	Thola.	2780
10		
		2790
20		
23		
1	Iair ann.22.Iudic.10.	
2		
3		2800
4		
10		

	Iair.	2810	
20			
21			
22			
1	Iephthe ann. 6. Iudic.12.	2820	
2			
3			
4			
5			
6			
1	Abesan ann.7. Iudic.12.		
2			
3			
4			
5		2830	
6			
7			
1	Elon ann.10. Iudic.12.		
2			
3			
4			
5			
6		283	Excidium Troiæ.vide
7			Chronic.

8		2840	
9			
10			
1	Abdon ann. 8 Iudic. 12.		
2			
3			
4			
5			
6			
7			
8		2850	
1	Samson. an. Iudic. 10.		
10		2860	

ANNI		MVNDI			
20		2870			
1	Heli ann.40.1.Sam.4.				
10		2880			
20		2890			

ANNI MVNDI.

30	Heli.	2900	
40		2910	
1	Samuel & Saul ann. 40. Actor.13.		
2			
3			
10		2920	Dauid nascitur : est enim annorum triginta quum rex creatur. 2.Sam.5.

20		2930	
	SAVL rex primus Israelitarum creatur.		
30		2940	
40		2950	
1	Dauid regnat ann. 40. 2. Sam.5.		
2			
3			

ANNI MVNDI.

10		Dauid.	2960	
20			2970	
30			2980	
10				

ANNI MVNDI.

40	1	Salomon ann.40.	2990	
	2			
	3			
	4	Annus 480.ab exitu de		Templi fundamenta iaci-
	5	Aegypto. 3.Reg.6.		untur.3.Reg.6.
	6			
	7			
	8			
	9			
	10			
	11		3000	
	12			
	13			
	14			
	15			
	16			
	17			
	18			
	19			
	20			
	21		3010	
	22			
	23			
	24			
	25			
	26			
	27			
	28			
	29			
	30			

ANNI MVNDI.

31			3020		
32					
33					
34					
35					
36					
37					
38					
39					
40		REGES IVDA.		REGES ISRAEL.	1
1		Roboam ann. 17.3. Re. 14.	3030	Ieroboam an.2.23.Reg.14.	2
2					3
3					4
4					5
5					6
6					7
7					8
8					9
9					10
10					11
11			3040		12
12					13
13					14
14					15
15					16
16					17
17					18
1		Abiam ann.3. 3. Reg.15.			19
2					20
3	1	Asa ann.41.3. Reg. 13.			

REGES IVDA.			ANNI MVNDI.	ISRAEL.		
2		Asa.	3050	Nadab ann.2.3.Reg.15.	1	21
3				Baasa 24.3.Reg.15.	1	2
4					2	
5					3	
6					4	
7					5	
8					6	
9					7	
10					8	
11					9	
12			3060		10	
13					11	
14					12	
15					13	
16					14	
17					15	
18					16	
19					17	
20					18	
21					19	
22			3070		20	
23					21	
24					22	
25					23	
26				Ela ann.2.3.Reg. 16.	24	1
27				Interregnum in Israele ann.4.	1	2
28					2	
29					3	
30					4	
31				Amri ann.12.1.Reg.16.	1	

REGES IVDA.			ANNI MVNDI.	ISRAEL.		
32			3080		2	
33					3	
34					4	
35					5	
36				Samaria conditur 3.Re. 16	6	
37					7	
38				Achab ann.22.3.Reg.16.	8	1
39					9	2
40					10	3
41	1	Iosaphat ann.25 3. Reg.22.			11	4
	2		3090		12	5
	3					6
	4					7
	5					8
	6					9
	7					10
	8					11
	9					12
	10					13
	11					14
	12		3100			15
	13					16
	14					17
	15					18
	16					19
	17			Ochozias ann.2.3.Reg.22.	1	20
	18	ELISAEVS.		Ioram frater Ochoziæ an. 12.4.Reg.3.	1.2	21
	19				2	22
	20				3	
	21				4	

REGES IVDA.			ANNI MVNDI.	REGES ISRAEL.		
22	1	Ioram filius Iosaphat annis 8. 4.Reg.8.	3110		5	
23	2				6	
24	3				7	
25	4				8	
	5				9	
	6				10	
	7				11	
1	8	Ochozias filius Ioram ann. 1. 4.Reg.8.			12	
*1		* Athalia mater Ochoziæ ann. 6. 2.Par.22.		Iehu ann. 28. 4.Reg.10.		1
2						2
3			3120			3
4						4
5						5
6						6
1		Ioas filius Ochoziæ ann. 40. 4.Reg.12.				7
2						8
3						9
4						10
5						11
6						12
7			3130			13
8						14
9						15
10						16
11						17
12						18
13						19
14						20
15						21
16						22

REGES IVDA.			ANNI MVNDI.	REGES ISRAEL.		Olympiades.	Romæ conditæ anni.
17			3140		23		
18					24		
19					25		
20					26		
21					27		
22					28		
23				Ioachaz ann.17. 4.Reg.13.	1		
24				Cætera quæ spectant ad collationem regum Israel cum regib. Iuda habentur cap.5.lib.3.	2		
25					3		
26					4		
27			3150		5		
28							
29							
30				Olympias prima.		1	
31			3154			2	
32						3	
33						4	
34				Olymp.2.		1	
35						2	
36		Ioas filius Ioachaz regnat in Israele.				3	
37			3160			4	
38	1	Amasias ann.29. 4. Reg.14.		Olymp.3.		1	
39	2					2	
40	3					3	
	4					4	
	5			Olymp.4.		1	
	6					2	
	7					3	
	8					4	
	9						

IVDA.		ANNI MVNDI.		ROMAE.	Anni ab vrbe condita.
10		3170	Olymp.5.	1	
11				2	
12				3	
13				4	
14			Olymp.6.	1	
15	Ieroboam filius Ioas regnat in Israele ann.41.			2	
16				3	
17				4	
18	ROMA côditur à Romulo qui regnat Romæ annis 37.	3178	Olymp.7.	1	1
19				2	2
20				3	3
21		3180		4	4
22			Olymp.8.	1	5
23				2	6
24				3	7
25				4	8
26			Olymp.9.	1	9
27				2	10
28				3	11
29				4	12
1	Interregnum in Iuda annorum 11. Vide Chron.cap.5.lib.3.	3190	Olymp.10.	1	13
2				2	14
3				3	15
4				4	16
5			Olymp.11.	1	17
6				2	18
7				3	19
8				4	20
9			Olymp.12.	1	21
10				2	22

IVDA.		ANNI MVNDI.		ROMAE.	
11		3200		3	23
1	Azarias qui & Ozias ann.52.4.Reg.15.	3201		4	24
2			Olymp.13.	1	25
3				2	26
4				3	27
5	Amos docet sub Ozia rege Iuda, & Ieroboam filio Ioas rege Israel. Amos 1.			4	28
6			Olymp.14.	1	29
7				2	30
8				3	31
9				4	32
10		3210	Olymp.15.	1	33
11				2	34
12				3	35
13	Osee docet sub Ozia, Ioatham, Achaz & Ezechia regibus Iuda, & sub Ieroboã filio Ioas, rege Israel. Osee 1.			4	36
14			Olymp.16.	1	37
*15			Interregnũ Romæ Numa ann.43.	2	38
16	* Ieroboam filius Ioas moritur ann.15.Oziæ.			3	39
17				4	40
18			Olymp.17.	1	41
19				2	42
20		3220		3	43
21				4	44
22			Olymp.18.	1	45
23				2	46
24				3	47
25				4	48
26			Olymp.19.	1	49
27				2	50
28				3	51
29				4	52

IVDA.			ANNI MVNDI.			ROMÆ.
30			3250	Olymp.20.	1	53
31					2	54
32					3	55
33					4	56
34				Olymp.21.	1	57
35					2	58
36					3	59
37					4	60
38				Olymp.22.	1	61
39		Manahem regnat in			2	62
40		Israele.	3240		3	63
41					4	64
42				Olymp.23.	1	65
43					2	66
44					3	67
45					4	68
46				Olymp.24.	1	69
47					2	70
48					3	71
49					4	72
50		Phacea regnat in	3250	Olymp.25.	1	73
51		Israele. Azarias vel Ozias.	3251		2	74
52					3	75
1		Ioatham ann.16.			4	76
2		4.Reg.15.		Olymp.26.	1	77
3					2	78
4		Esaias anno quo est mortuus Ozias videt Domi-			3	79
5		nũ, deinceps docet sub			4	80
6		Ioathan, Achaz & Eze-		Olymp.27. Tullus Hostilius regnat	1	81
7		chia. Esa.1.		Romæ ann.32.	2	82

IVDA.			ANNI MVNDI.			ROMÆ.
			3260		3	83
8					4	84
9				Olymp. 28.	1	85
10		Michæas docet sub Ioatham, Achaz & Ezechia. Mich. 1.			2	86
11					3	87
12					4	88
13				Olymp. 29.	1	89
14					2	90
15					3	91
16	1	Achaz ann. 16. 4. Reg. 16			4	92
2			3270	Olymp. 30.	1	93
3					2	94
4					3	95
5					4	96
6				Olymp. 31.	1	97
7					2	98
8					3	99
9					4	100
10				Olymp. 32.	1	101
11					2	102
12			3280		3	103
13					4	104
14		Ezechias ann. 29. 4. Re. 18.		Olymp. 33.	1	105
15	1				2	106
16	2				3	107
	3				4	108
4				Olymp. 34.	1	109
5					2	110
6		Salmanassar capit Samariam & Israelem captiuũ abducit in Asyriam.			3	111
7					4	112

IVDA.		ANNI MVNDI.			ROMÆ.
8	* Regnatum est in Israele ann.258,	3290	Olymp.35.	1	113
9			Ancus Martius ann.24.	2	114
10				3	115
11				4	116
12			Olymp.36.	1	117
13				2	118
14	Sennacherib.4.Reg.18.			3	119
15				4	120
16			Olymp.37.	1	121
17				2	122
18		3300		3	123
19		3301		4	124
20	Ezechias.		Olymp.38.	1	125
21				2	126
22				3	127
23				4	128
24			Olymp.39.	1	129
25				2	130
26				3	131
27				4	132
28			Olymp.40.	1	133
29		3310		2	134
1	Manasses ann.55. 4.Reg.21.			3	135
2				4	136
3			Olymp.41.	1	137
4			Tarquinius Priscus ann.38.	2	138
5				3	139
6				4	140
7			Olymp.42.	1	141
8				2	142
9					

IVDA.		ANNI MVNDI.			ROMÆ.
		3320		3	143
10				4	144
11			Olymp.43.	1	145
12				2	146
13				3	147
14				4	148
15			Olymp.44.	1	149
16				2	150
17				3	151
18				4	152
19		3330	Olymp.45.	1	153
20				2	154
21				3	155
22				4	156
23			Olymp.46.	1	157
24				2	158
25				3	159
26				4	160
27			Olymp.47.	1	161
28				2	162
29		3340		3	163
30				4	164
31			Olymp.48.	1	165
32				2	166
33				3	167
34				4	168
35			Olymp.49.	1	169
36				2	170
37				3	171
38				4	172
39					

IVDA.		ANNI MVNDI.			ROMAE.
40		3350	Olymp.50.	1	173
41				2	174.
42				3	175
43			Seruius Tullus. an.44.	4	176
44			Olymp.51.	1	177
45				2	178
46				3	179
47				4	180
48			Olymp.52.	1	181
49				2	182
50		3360		3	183
51				4	184
52			Olymp.53.	1	185
53				2	186
54				3	187
55				4	188
1	Amon an.2. 4.Reg.21.		Olymp.54.	1	189
2				2	190
1	Iosias an.31. 4.Reg.22.			3	191
2				4	192
3		3370	Olymp,55.	1	193
4				2	194
5				3	195
6				4	196
7			Olymp.56.	1	197
8				2	198
9				3	199
10	Sophonias docet.Soph.1.			4	200
11			Olymp.57.	1	201
12				2	202

IVDA.		ANNI MVNDI:		ROMAE.		
13		Ieremias docere incipit. Ierem.1.	3380		3	203
14					4	204
15				Olymp.58	1	205
16					2	206
17					3	207
18		Liber Legis reperitur. 2.Paralip.34.			4	208
19				Olymp.59.	1	209
20					2	210
21					3	211
22					4	212
23			3390	Olymp.60.	1	213
24					2	214
25					3	215
26					4	216
27				Olymp.61.	1	217
28					2	218
29					3	219
30				Tarquinius Superbus.	4	220
31				an.25. Olymp.62.	1	221
1		Ioacim annis 11. 4.Reg. 23.			2	222
2			3400		3	223
3					4	224
4	1	NABVcodonosor regnat annis 45.		Transmigratio Babyl. Olymp.63.	1	225
5	2				2	226
6	3				3	227
7	4				4	228
8	5			Olymp.64.	1	229
9	6				2	230
10	7	Ioachim qui & Iechonias regnat 3.menses.			3	231
11	8				4	232

IVDA.	BAB.IMP.		ANNI MVNDI.			ROMAE.
1	9	Sedechias an.11. 4.Reg. 24.	3410	Olymp.65.	1	233
2	10				2	234
3	11				3	235
4	12				4	236
5	13			Olymp.66.	1	237
6	14				2	238
7	15	Ezechiel prophetare incipit. Ezech.1.			3	239
8	16				4	240
9	17			Olymp.67.	1	241
10	18				2	242
11	19	Templum cum vrbe Ierusalem euertitur funditùs.	3420		3	243
	20				4	244
	21	Regnatum est in Iuda à Dauide ad euersũ Templum ann.470.		Consules Romę creantur, exactis Regibus. Olym.68.	1	245
	22				2	246
	23				3	247
	24				4	248
	25			Olymp.69.	1	249
	26				2	250
	27				3	251
	28				4	252
	29		3430	Olymp.70.	1	253
	30				2	254
	31				3	255
	32				4	256
	33	Ezechieli noua structura demonstratur. Ezech. 40.		Olymp.71.	1	257
	34				2	258
	35				3	259
	36				4	260
	37			Olymp.72.	1	261
	38				2	262

IVDA. BABYL.		ANNI MVNDI.		ROMAE.	
39	Ezechiel.	3440		3	263
40				4	264
41			Olymp.73.	1	265
42				2	266
43				3	267
44				4	268
45			Olymp.74.	1	269
1	Euilmerodach ann.15.			2	270
2				3	271
3				4	272
4		3450	Olymp.75.	1	273
5				2	274
6				3	275
7				4	276
8			Olymp.76.	1	277
9				2	278
10				3	279
11				4	280
12			Olymp.77.	1	281
13				2	282
14		3460		3	283
15				4	284
1	Balsasar an.10.		Olymp.78.	1	285
2				2	286
3				3	287
4				4	288
5			Olymp.79.	1	289
6				2	290
7				3	291
8				4	292

BABYL. IMP.			ANNI MVNDI.			ROMAE.
9		Monarchia PERsica.	3470	Olymp.80.	1	293
10	1	Darius Medus ann.1.			2	294
1	*1	CYrus Persarum monarcha. — Hebdomad. Danielis.			3	295
2	2				4	296
3	3			Olymp.81.	1	297
4	4	Anno 4. Cyri fundamenta Templi secũdi iaciuntur, postea opus impeditur ab Assuero Artaxerxe, Cyri vicario.			2	298
5	5				3	299
6	6			Leges duodecim Tabularũ nõ possunt esse latę his temporibus, vt notant Chronographi.	4	300
7	7			Olymp.82.	1	301
8	1	Hebdom.2.			2	302
9	2		3480		3	303
10	3				4	304
11	4			Olymp.83.	1	305
12	5				2	306
1	6	Assuerus Artaxerxes post Cyri mortem Persicam Monarchiam obtinet. Ester 3. fit mentio anni eius 12.			3	307
2	7				4	308
3	1*			Olym.84.	1	309
4	2				2	310
5	3	*Hebdom.3.			3	311
6	4				4	312
7	5		3490	Olymp.85.	1	313
8	6				2	314
9	7				3	315
10	1	Hebdom.4.			4	316
11	2			Olymp.86.	1	317
12	3				2	318
1	4	Darius Assyrius successor Assueri. Esdr.6.22.			3	319
2	5				4	320
3	6			Olymp.87.	1	321
4	7				2	322

ANNI MVNDI. ROM AP.

5	1	Hebdom.5.	3500		3	323
1	2	Artaxerxes Pius. Esdr.1. Nehem.2.			4	224
2	3			Olymp.88.	1	325
3	4			In Græca historia confusa sunt omnia ista tempora: itaque nec cōstat de tempore belli Medici, neq; de tempore belli Peloponnesiaci, neq; certi quicquam affirmari potest de rebus Græciæ, ante Philippi Macedonis Imperium, qđ Aul.Gell. lib.17. cap.21. confert in annum ab Vrbe condita 400.	2	326
4	5				3	327
5	6				4	328
6	7			Olymp.89.	1	329
7	1	Hebdom.6.			2	330
8	2				3	331
9	3				4	332
10	4		3510	Olym.90.	1	333
11	5				2	334
12	6				3	335
13	7				4	336
14	1	Hebdom.7.		Olymp.91.	1	337
15	2				2	338
16	3				3	339
17	4				4	340
18	5			Olymp.92.	1	341
19	6				2	342
20	7	Mœnibus cingitur Ierusalem à Nehemia, ann.20. Artaxerxis Pii. Nehem. 6.25. & 5.14.	3520		3	343
21	*1				4	344
22	2			Olymp.93.	1	345
23	3	*Hebdom.8.			2	346
24	4				3	347
25	5				4	348
26	6			Olymp.94.	1	349
27	7				2	350
28	1	Hebdom.9.			3	351
29	2				4	352

30	3		3530	Olymp.95.	1	353
31	4				2	354
32	5	Nehemias redit ad Artaxerxem regem Babyl anno eius 32. à quo postea reditũ impetrat in Ierusalem. Nehem.13.			3	355
	6				4	356
	7			Olymp.96	1	327
	*1				2	358
	2	*Hebdom.10.			3	359
	3	Xerxes, quintus rex est Persarum qui quãdo bellũ Græciæ intulerit, certò statui non potest.			4	360
